Iohn [illegible]
[illegible]


MONTANI
1554

Arte Machaonia [illegible]

[illegible] Males [illegible] curat[illegible]
[illegible]





Axxix Mon

4424/A

Rhazes medicus Arabus

K 80

IO. BAPTISTÆ MONTANI VERONENSIS IN NONVM LIBRVM RHASIS AD *Mansorem Regem Arabum,* EXPOSITIO.

À VALENTINO LVBLINO *Polono, Medicis posteritatiq; eorum fideliter communicata.*

Cum Gratia & Priuilegio.

Ex dono A. R. Dni Caroli Rosani Decani ... 23 May 1672

NVLLA SINE LABOREM



EST VIRTVS.

VENETIIS APVD BALTASSAREM CONSTANTINVM AD SIGNVM DIVI GEORGII. M D LIIII.



AMPLISSIMO SVMMAQVE REVERENTIA DIGNISSIMO DOMINO D. IOANNI POGGIO BONONIENSI, CARDINALI S.R.E. TITVLI DIVAE ANASTASIAE, Episcopo Tropiensi &c. Virtutum ac bonarum literarum summo patrono S. P. D.



VLTORVM *testimonio accepi*, CARDINALIS *illustrissime, & illorum quidem doctißimorum, sententiam hanc* λάθε βιώσας, *hoc est, sic uiue ut nemo te sentiat uixisse, neutiquam pio homini competere poße; uel potißimum eô quòd author illius, ut se longè clariorem redderet (erat etenim laudis ambitiosißimus) cæteros à gloria expetenda, quæ quidem magnum calcar hominibus ad uirtutes capessendas addit, deterrebat: Quod planè luculĕterq́; M*arcus *Cicero protulit in quæstionibus Tusculanis his uerbis.* Honos alit artes, omnesq́; incenduntur ad studia gloria. *At mea quidem sententia hoc dogma non debet omnino explodi. Si enim hoc genus uiuĕdi amplectamur ut uitio inquinemur,*

nihil poteſt eſſe humano generi deteſtabilius. Sin uerò ut conuenienter naturæ uiuamus, & illuſtriorem uitam ex uirtute quæramus, nihil præſtabilius & præclarius excogitari poteſt. Ad uitia ergo rectè accommodari poſſe uidetur, à quibus ut penitus abſtineamus lege tum humana, tum diuina admonemur, etſi propter naturam corruptam, minime ab eis abſtinere ualemus, ea tamen clam cõmiſſa, minori ſunt offendiculo, id quod ſeruator noſter CRHISTVS *minatus inquit, Væ homini illi per quem ſcandalum interuenit. In uirtutibus uerò uitam traducẽs quiſq; debet clarere. Siquidem uirtutes debent eſſe in propatulo omnibus, duabus ſanè de cauſis, tum ut inde plurimos ad eas conquirendas excitemus, tum uerò ut inde quoque laudandi Dei optimi ac maximi occaſionem omnibus præbeamus: Ad quam culturam uirtutum patefaciendã* CHRISTVS *diſcipulos ſuos quàm accurate monuit inquiens, Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, glorificentq; patrem ueſtrum, qui eſt in cœlis, cuius rei cauſam ſilentio non præterijt. Quoniam inquit, Vos eſtis ſal terræ, lux mundi. Idcirco cum fuerint publicæ perſonæ, ac cathedram Moſis poſſederint, operæpretium fore exiſtimauit, ut alios uirtutibus ac bonis exemplis ad uirtutes capeſſendas, resq; præclarè gerendas excitarent. Itaque in uicijs ſic quemlibet uiuere decet, ut uixiſſe omnino non ſentiatur. At rurſus cum uirtutibus latibula petere, minime conſentaneum eſt: quoniam ex his, alijs exemplum ad*

res agendas proponere debemus, ut nos quoque ipsi præmium inde adipiscamur. Et proinde multi ne apud posteros laterent multa præclara ac stupenda excogitare agereq; pro uiribus conati sunt. Hinc plurimi Romani pro patria strenue pugnantes occubuere, ut inde uixisse agnoscerentur. Hinc quoque Plato diuinus ne Socratem uixisse posteros lateret, eius dogmata scriptis mandauit. Hinc denique magna multitudo scriptorum orta est, qui ut à posteris agnoscerentur, & multos iuuarent, maxima & omnigena eruditione referta commentaria relinquere studuerunt. Quod quidem quoque & à meo præceptore Ioanne Baptista Montano Veronensi, philosopho ac Medico omnibus numeris (iudicio quorumq; doctißimorum ac sapientißimorum uirorum) absolutißimo, præstitum fuisset: nam statuerat multa uiuens typis committere, nisi immatura morte, nobis ereptus fuisset, cuius nomen celeberrimum, ac perpetua memoria dignißimum, ne apud posteros ignotum foret, functurus officio ueri discipuli pro uiribus curaui ut commentaria integerrima (non ut aliqui, nescio quo spiritu phanatico afflati, quædam liniamenta ducta in falsas diuisiones, & referta solœcismis effingunt, & audent Montano impudenter adscribere, quæ ne ille uir doctißimus secundũ quietem cogitauisset,) in nonum Rhasis ad Mansorem Regem Arabũ, à me ueloci manu collecta, ac perfunctorie recognita, hæc enim ob studia mea literaria exquisitius ac curiosius agere, minime potui.) in pu-

 blicum

blicum prodirent, ex quibus haud modicã utilitatem studiosis accessuram existimaui. Siquidem continent morbos partiũ præcipuarũ humani corporis, cerebri nimirum & pectoris, et illos quidem admirabili methodo expositos, ut ante eum nemo id fœlicius explicauerit. Et quoniam hoc in more positum est CARDINALIS illustrißime, omnibus scriptoribus, ut quæuis scripta, etiamsi prophana fuerint, in publicum prodire non sinant, nisi foueantur patrocinio alicuius uiri maximi ac clarißimi, & hoc non temere, nimirum ut inde maximam laudem sibi pareant, Siquidem principibus uiris placuisse non infima laus est, tum uerò ut sub talium patrocinio hæc tutiora forent à maledictis ac conuitijs inuidorum, quorum omnia plena sunt. Ideo ego quoque horum institutum laudabile secutus, hæc dogmata Montani adiuuandæ medicinæ causa in publicum daturus, quærere studiosè cœpi uirum dignitatibus clarißimum & doctrina excellentißimum, sub cuius nomine hæc tutiora ac clariora forent, statimq; te unum CARDINALIS POGGI amplißime ac pariter illustrißime, ex tot millibus hominum inueni, qui certè nulli es secundus. Tu enim es ille qui ob tuas singulares uirtutes, morum sanctitatem, atque doctrinam excellentißimam, in Ecclesia Romana summum locum tenes, eiusq; cardo merito es, & ob admirabilem prudentiam tuam atq; singularem sapientiam qua præditus es, CAROLO V. Imperatori inuictißimo ita charus euasisti, ut omnes affir-

ment

ment, illũ nullũ te chariorem habere neque unquàm habiturum. Cuius rei haud leue illud argumētum est, quod ille idem Imperator à te & tempore belli, & tempore pacis de rebus maximis ac pariter grauissimis, consilium sæpißime capiat, ægreq; te à latere suo diuelli patiatur. Ob quam etiam tuam singularem prudentiam, principio extitisti totius Ecclesiæ Romanæ generalis thesaurarius ac secretarius, mox deinde in Hispanijs xx. annis, & amplius etiam, honorificentißima legatione, simulq; alijs honoribus potitus es: in quibus ita te gessisti, ut toti Hispaniæ persuaseris, nullum antea, nec aliquem in posterum tibi parem fore. Quare omnes te colunt, uenerantur, summisq; laudibus ad sydera extollunt, præcipue uerò tui Bononienses. Nam cum sub Clarißimo Doctore Helideo Paduano Foroliuiensi medico doctrina, & experientia præstantißimo medicinam hoc anno facerem, & Vlißis Aldrouandi Bononiensis uiri in omni genere scientiarum uersatißimi, longa consuetudine uterer, propter herbarum non mediocrem peritiam, conspicuum mihi extitit, quàm honorificentißime te exceperunt. Gubernator siquidem Vrbis Reuerendißimus Dominus Hieronimus Saulus Archiepiscopus Ienuensis dignißimus, cum toto Senatu, & equitibus aureatis, ac denique reliquis uiris nobilibus, tibi obuiam uenerunt. Quo spectaculo ego & mei condiscipuli omnes commoti statim, non Cardinalem, sed Pontificem maximum Bononiam

aduentare existimauimus. Iam omnes congratulabantur te incolumem rediisse in patriam, PATREM PATRIAE salutantes, & ære campano, triduum omnes hoc gaudium testificati sunt, Cætera signa attestantia gratam animi ciuitatis incredibilem erga te uoluntatem prætermitto, illud tantum addam quòd omnes ædium suarum portas, tuo præclaro stemmate muniebant, inde honorem & præsidium sperantes, ac illustrißimus Dux VRBINAS cum Gubernatore & toto amplißimo Senatu urbis, sæpißime te inuisere studebant. Inde factum est CARDINALIS POGGI amplißime ut iam petam à te uiro optimo ac sanctißimo ut hunc librum sub Montano Veronensi à me fideliter collectum, totumq; me denique defendendum suscipias. Ego siquidem nec ullo patrono possum esse munitior quàm te, si modo dignus à te fuero tuo patrocinio iudicatus, qui in fide & clientela tua sim: nec tu opinor, dedecus ullum, pro tua erga me humanitate incurres: Ita enim me geram, & enixam operam dabo, ut te mihi præsidio adiumentoq; fuisse nūquam pœniteat. Quod si quis fortè admirabitur Polonum hominem externum, tibi CARDINALI amplißimo, ac Regibus atque principibus charißimo, dedicasse librum medicum, et tua amplitudine minime dignum. Is uelim intelligat id non ineptè à me tentatum fuisse. Quandoquidem ex numero scriptorum, nulla sanè habentur digniora patrocinio illustrißimorum uirorum quàm sint medica. Hæc siquidem omnium doctißimorum unanimè

nimi consensu censentur dignißima fore, ut principum orbis patrocinio commendentur, idq; potißimũ ratione nobilitatis huius artis, quæ maximè apparet, tum ratione eius finis, tum etiam ratione exordij ac initij. Et quidẽ ratione exordij, Quoniam à DIIS *immortalibus medicina originem suam traxit,* Nam *ut inquit poëta.* Inuentum *medicina meum est.* Ra*tione autem finis.* Quoniam *finis eius est fruitio sanitatis, scopus uerò est sanitas ipsa, quæ quidem consideratur in subiecto nobilißimo nimirum in corpore humano, in quo uel præsens existit, & tunc similibus conseruatur, uel absens est, & proinde dißimilibus reuocatur.* Is *quoque uelim intelligat, id non temere à me factum fuisse, siquidem nec mihi defuerit consilium hac in re tui consanguinei* Reuerendißimi D. Ioannis Matthei de Luca Bononiensis, Episcopi Anconitani, *uiri doctißimi & prudentißimi, singulariq; uirtute ornatißimi qui hunc meum conatum esse honorificum non solum suasit, sed etiam persuasit.* Huc *quoque acceßit authoritas clarißimi* BASSIANI Landi Placentini Philosophi *ac medici summi, præceptoris mei colendi, &* VINCENTII CASALIS Brixiani *uiri doctrina ac cognitione rerum clari, uterq; enim meum institutũ collaudauit.* Iam *igitur Cardinalis amplißime digneris accipere à me externo homine tibi ob tuas singulares uirtutes deditißimo, hoc munus exiguum, dispar & non dignum amplitudine tua si chartas perspexeris, chartaceum siquidem est,* At *dignißimum iudicabis*

cum

cum dogmata in eo contenta cognoueris, qualia & à quo conscripta fuerint, quæ quidem exigua mole sunt, at uiribus amplißime patent. Et quemadmodum parui lapilli ob suum nitorem magni fiunt, ita quoque hæc dogmata plurimi æstimari debent, ob methodi puritatem ac rei ueritatem, qua penitus referta sunt. Et si hæc adhuc tibi pusilla uideantur, sufficiat quæso interim, animi hominis externi erga te propensio. Nam (CHRISTO duce & aspice) dabitur mihi aliud tempus commodius meam tibi obseruantiam, & gratam in omnes tuos uoluntatem declarandi. Id quod te facturum esse & speramus & confidimus. Vale fœlix & diu amplißime ac illustrißime Pontifex, & uos gratia atque præsidio tuo tuere. Venetijs Calendis Iulij. 1554.

V. R. Amplitudinis.

Seruitor
addictißimus.

Valentinus Lublinus Polonus
Philosophiæ ac medic. Doctor.

INDEX RERVM
OMNIVM, QVAE IN HOC
opere notatu dignæ continentur.

Catarrhi

FRIGVS

F

G

H

N

O

P


Suppuratio

FINIS.

IOANNIS BAPTISTÆ MONTANI VERONENSIS IN NONVM RHASIS AD ALMANSOREM REGEM EXPOSITIO,

A VALENTINO LVBLINO POLONO, MEDICIS POSTERITATIQVE EORVM, FIDELITER COMMVNICATA.

PRÆFATIO.



OS *fuit auditores doctißimi omnium illustrium præcessorum nostrorum, ut priusquam ad* Authorum *expositionẽ accedant, quædã proponant, quæ à* Græcis προλεγόμενα *dicuntur, quippe quæ non parum faciunt ad intelligentiam eorum, quæ ab* Au*thoribus tractantur*. Hoc *laudabile institutum, & nos imitati antequam exponamus hunc nonum* Librum Al*mansoris, septem proponemus, & imprimis ostendemus quopacto, & qua methodo inuenire poßimus subiectum, non solum in medica arte, & facultate, ue-*

rumetiam in omnibus alijs tùm scientiis, tùm artibus, in qua re expositores non pauci implicantur, secundo de nomine Authoris aliqua dicemus notatu digna, tertio uidebimus, qua ratione fuerit Author impulsus ad huius libri compositionem, quarto quam sectam ex tribus imitatus fuerit, quinto quem ordinem seruauerit in docendo, sexto quem ordinem nos seruaturi sumus, septimo qualem esse oportet discipulum tàm erga præceptorem, quã circa Authorem. His uisis ad codicis expositionem accedemus. Quantum igitur ad primũ attinet à nobis propositum de subiecto, sciendum est circa hoc nomen subiecti et græcos, et latinos uarios esse. Hi enim ipsum suppositum esse dicunt, de quo probantur paßiones, & principia quæruntur, à cuius unitate & multiplicitate sumitur unitas, & multiplicitas scientiæ, de quo etiam quid est, & quia est, supponendum autumant. Pleriq; uero Græcorum finem statuunt, quem Scopum appellant, à quo pariter unitatem scientiæ sumunt. Sed & Latinorum nonnulli subiectum attributionis hoc appellarunt, de quo paßiones, et proprietates probari inquiunt, sed hæc ommittamus tanquam parum utilia, & methodum proponamus, qua uerum subiectum inuenire poßimus. Inter Græcos, atque Latinos expositores solum inuenio Ammoniũ in præfatione Quinq; uocum uniuersalium idipsum tangere, ubi ait quòd in omni scientia speculatiua, & practica finis proponitur, ad quem dirigentes omnes nostras actiones, & speculationes, & quædam supponentes paßiones, et proprietates probamus,

& hoc probat per inductionem particularium scientiarum. Huius autem rei, quæ causa sit, nos etiam reddemus. Sed primo scire debetis neque intellectum speculatiuum, neque practicum, nisi sibi finem proponant, aut speculari, aut agere quidquam posse certum est enim in omni scientia, si fundamentum statuendum est, finem debere proponi, et quia finis est perfectio quædam quæ alicuius perfecti bilis est perfectio, cõcepto fine etiam à nobis unà subiectum concipi, et ita fieri subiectum copulatum, exẽpli gratia proponamus nobis, scientiam aliquam contemplatiuam naturalem scilicet philosophiam, perspicuũ sanè est eos, qui primum philosophari cœperunt, circa eam aliquid, ad quod intentionem suã direxerunt, concepisse cum uiderent aliqua moueri secundum locũ, aliqua generari, et corrumpi, nonnulla alterari, harum mutationum causas inuenire uoluerunt, & ita motus fuit causa huius, qui cum accidens sit, subiecti accidens est, quare necesse fuit, ut annecterent illud cum subiecto, quod est corpus mobile, motus enim ad ipsum corpus pertinet, atque ita corpus mobile fecerunt subiectum, ita ut parum constaret, si haberent finem, an etiam subiectum, in quo fundatur certa scientia. Quoniam uero subiectum in omni re est prorsus indeterminatum, ut in naturali philosophia, si affero corpus, nullam certam demonstrationem afferre potero, ideo optimum est, ut de hoc subiecto supponamus, & quid sit, & quia est, aliter non haberemus medium probandi quid sit, atque ad aliam facultatem esset recurrendum, ubi autem subiectum cum fine

copulamus, necessario inquirimus causas illius, cum enim subiectum accipio, puta corpus mobile, et debeo scire causas motus, opus est, ut sciam causas corporis, & per definitionem subiecti proprietates, & passiones probamus, ideo per cognitionem causarum, & principiorum corporis cognoscere poterimus mobilitatē illam. Nanq; ab essentia subiecti (ut inquit Gale. in secundo de Plac.) Omnes fluunt proprietates, quare adeptis causis, & principijs corporis proprietates motus cognoscūtur. Id quoq; Aristoteli est obseruatum, qui corpus mobile suppones subiectum in libris Phy. principia, & causas inquirit, quibus habitis per illa tanquam per media passiones probat, & motum de ipso. Ex his autem declaratis facilis patet responsio quæsito, quod sit, an de subiecto supponatur quid, & quia, supponi quidem, si consideremus subiectum non copulatum fini, non supponi uero si copulatum cum fine sit, necesse enim est ipsius causas principiaq; inquirere. Pari quoque modo dicamus in medicina, dicebat Gal. in libro de Constitutione artis medicæ, quæ fuerit ratio, qua homines inuenerunt Artem medicam? nulla alia sanè, nisi quia uidentes corpora aliquando ægra esse, aliquando sana, inuenire uoluerunt modum, secundum quem sanitas ipsa conseruari posset, et deperdita recuperari, ideo proposuerunt sibi pro fine sanitatem ipsam, quæ cum accidens sit, fundatur in subiecto in corpore scilicet humano ipsumq; cum sanitate coniunxerunt, ut proprium esset in medicina subiectum, corpus humanum sanabile, sed hoc sub-

iectum

Ab essentia Subiecti fluunt omnes proprietates.

Querit.

R.

Ob quam causam inuenta est Medicina

Proprium Subiectum in Medicina Corpus humanum sanabile.

iectum quod dicunt corpus humanum, si seorsum à considerationes sanitatis consideretur, neque cum ipsa copuletur, supponitur esse, namq; probare quod sit philosophi munus est, qui causas corporum principiaq; inquirere, determinareq; debet, & habet, & propterea bene dicebat Ar. in libro de sen. & sen. medicum, incipere ubi desinit philosophus. Ab hoc igitur subiecto fineq; omnes scientiæ, tàm quæ in speculatione positæ sunt, quàm quæ in actione consistunt, essentiam sibi suam uendicant, propterea dicebat Ar. tertio de anima & in libro de motibus animalium, intellectum practicum & speculatiuum fine distingui, unde si finis fuerit conceptus sub ratione ueri, totum discursum, considerationemq; omnem speculatiuam esse, si autẽ sub ratione boni factibilis, talem discursum, considerationemq; prorsus practicam haberi. Et licet tam practicus, quàm contemplatiuus faciens discursus et syllogismos in rebus & practicis, et speculatiuis operentur, ille dicitur practicus à fine, quem concipit, & hic speculatiuus. Quapropter cum concipimus corpus humanum sanabile, quia finem concipimus nõ quidem sub ratione ueri, sed boni facti bilis totus discursus practicus est, & tota ars practica dicitur, & licet speculatio non desinat in opus hoc est per accidens, nec ob id dicendum est, quin discursus practicus sit, ex his sequitur corrolarie artem medicam nobilissimã esse nobilitate subiecti, & finis, siue per se corpus humanum, intelligatur, siue copulatum cum fine, idest cum sanitate, hæc enim cum conseruet corpus humanum, & eius operationes custo-

Intellectus Practicus et Speculatiuus fine disting: uitur.

Tota Ars Medica di: it Practica.

 diat

Ars Medica nobiliss. ratione subiecti et finis.

diat, idcirco optimum quoddã dici debet. Subiectum autẽ artis medicæ duplex est, unum quod appellant, in quo, & hoc est corpus humanum, alterum, cum quo operamur, et sunt instrumenta medicinalia, sed de primo hoc loco, intelligendum est. secundum, quod proposuimus, fuit, ut de titulo aliquid diceremus, dico igitur titulum ita inscribi debere. Liber Abo Petri filij Rasi filij Zachariæ, ut nihil aliud sibi uelit id, quod diximus (Abo Petri) quàm domini Petri filij Rasi, qui fuit filius Zachariæ, & hoc factum est, quoniam consuetudo apud ipsos erat, ut nomen patris, et aui poneretur (ad Almansorem regem) fuit enim Almansor Rex potentissimus & bello, & in omni genere uirtutum maxime insignis, patrium regnum auxit ad Hyspanicum usque Oceanum, tota Aphrica occupata Marocum omniũ Aphricæ maximam ciuitatẽ ad se per successionẽ deuenisse ferunt (est enim hæc ciuitas prope Atlantem montem sita à Maumethi filio condita anno dxxiiij. sui imperij. incepit autem regnum Maumethi iam sunt dccccxlix. anni) illã exornauit literis, monumentis omnibus præterea rebus, quibus unaquæq; ciuitas maxima atque amplissima uideri et esse solet, in ea dijs immortalibus templa quamplurima erexit, superba palatia construxit, inter reliqua centum edidit bibliotechas, omnes conducens uiros in omni genere uirtutum, ac scientiarũ maxime præclaros et excellentes, è quorum numero fuit primus Rasis inter omnes Arabes, deinde successere illis Auenzoar, Auempaces, Alpharabius, Auicen. & Auer. sed illud nũquam satis mirandum apparet ita cla-

ruisse

ruisse bonas literas apud Arabes tam paruo tempore, et
quandoque ausim Græcorum ingenijs ingenia Arabum
præposuisse, quantum Græcarum Arabum Academias
florere contigisset. Numerantur nanque duntaxat clij.
anni, quibus primū Rex Almāsor bibliotechas aperuit,
& Gymnasia destructa fuere. cum enim Arabes essent
Maumethani, à Christianis non tantum ex Hyspania
depulsi fuerunt, sed etiam eorum ciuitas Regia Maro=
cus cum toto regno occupata fuit, destructa gymnasia, in
Gallia atque in Italia deducta sunt, et iam fluxerunt an=
ni quingenti quibus floruerunt. Cæterum qua ratione cō
scripserit librum hunc Rasis (quod caput est tertium no
bis propositum) declaro. sanè inuenio Oribasium, quē ma
xime imitaretur, præcipuum habuisse, ut enim Oribasius
Iuliano librum conscripsit in quo sexaginta uolumina cō
scripsit, ita ipsum quoq; imitatus Rasis similē composuit
librum quem continentem appellauit. Et ut ille paruum
alium librum ad synapium edidit, ita hic diuisionum li=
brum qui paruus est, exarauit, & quoniam et Oribasius
alium composuerat medium ad Eustachium filium, ipse
etiam Rasis ad huius imitationem medium alium con=
scripsit decē tractatus continentem, cuius nonum præ ma
nibus hoc anno sumpsimus interpretandum. de quarto
quam sectam in docendo fuerit imitatus, dico quòd & si
maximus fuerit dogmaticus Gal. imitator, tamen empiri
ce uoluit librum conscribere, sed uideamus, an hoc sit
uerū. Empirici haud quærunt morborū causas aut eorū
essentiam. Arbitrantur enim causas cognosci non posse

Sindrome est collectio signorum

& propterea ad solam signorum collectionem, quam syndromen uocant, attendunt, qua habita nullam sumunt à causa indicationem aut ab essentia morbi, sed statim ad remedia deueniunt per experientiam inuenta, quoniamigitur, hic liber characterismum empiricorum habet idcirco empirice scriptum esse dicimus, & hoc fecit, quia non omnes intellectus sunt æquales. Aliqui enim sunt, qui magis ratione mouentur, et aliqui, qui magis experientia duci uolunt: cum omnibus itaque uellet Rasis satisfacere, hunc librum empirice composuit. Erat quintum, quem ordinem seruauerit, circa quod dicimus compositiuum ordinem seruasse, uerum pro ordinum intelligentia, scire debetis, quòd aliud est seruare ordinem aliud uiam doctrinæ, & per ordinem docendorum. Tres enim sunt ordines, modi uero, uiæque doctrinæ quatuor, nec potest problema aliquid declarari nisi per aliquem ex his modis, uijsque, uel per diuisiuam, uel diffinitiuam, demonstratiuã aut resolutiuam. Per diuisiuã exempli gratiade felicitate humana uolumus quærere in quo consistat, sic procedam, felicitas uel est in corpore uel in anima, inuenio quod non est in corpore, ergo in anima, si in anima adhuc quæro nunquid in desideratiua, aut cõcupiscibili, aut iudicatiua, inuenio, quòd non potest esse nec in desideratiua, nec in concupiscibili, ergo erit in iudicatiua, & si in hac uel in sensibus exterioribus, uel interioribus, inuenio, quòd nõ in exterioribus, ergo in interioribus reperitur, et tunc quæro an in imaginatiua, aut cogitatiua, et ita indagamus rei huius ueritatem. uel per diffinitiuam

exem=

Ordo est compositiuus

Tres sunt ordines. modi uero quatuor

Diuisiua via exemplo illustrat de felicitate

Definitiua

exēpli gratia uolo ſcire, quid ſit homo, uideo quod moue tur, & animalis opera exercet, dico quod eſt animal, ſed quia uideo quod diſcurrit, ratiocinaturq́; , dico, quod eſt rationale, uideo quod moritur, dico mortale eſſe, & ſic hominē animal rationale mortale definio. uel per demonſtratiuam, ut uolo ſcire an paſſio aliqua inſit ſubiecto, id per demōſtrationē conſequor uel per reſolutionem exempli gratia uolo ſcire, ex quibus conſtat homo, primo uideo quod ex partibus homogeneis conſtat, homogeneas reſoluo in neruos, uenas, arterias, et quia uideo partes haſce alterari, inuenio hominem ex primis principijs eſſe compoſitum. Hæ ſunt quatuor uiæ, modiq́; doctrinæ. Ordines uero alio modo intelligimus exēpli gratia ſiquis uult docere aliquam artem per methodum opus eſt ut aliquo horum trium ordinum procedat, uel ordine definitiuo quo uſus eſt Gal. in Arte medicinali cum diffiniret medicinam eſſe ſciētiam ſalubrium in ſalubrium, et neutrorum, omnes partes, in definitione cōtentas declarans Artem tradidit. uel reſolutiuo, in quo ſic procedimus accipio ſanitatem & à finis notione procedens dico, ſi uolo inducere ſanitatem oportet primo uidere, quid ſit ſanitas, inuenio quod nihil aliud eſt, quam æqualitas quædam humano corpori conueniens, æqualitate inuenta, uolo uidere ubi conſiſtat inuenio quod in diuerſis partibus conſiſtit. pari quoque modo in æqualitatem inuenio tunc uolo cauſas in æqualitatis indagare, hæ autem & ab intrinſico atque ab extrinſeco poſſunt procedere, ſi ab intrinſeco, tunc uel erunt in toto uel in parte, ſi in toto febris erit, et

A v tunc

Quid ſit homo.

3 Demonſtratiuā.

an paſſio inſit ſubiecto.

4 Reſolutiuā

Ordines.

Definitiuus

Reſolutiuus.

tunc faciam tractatum de febribus si in parte uel homoge nea, uel eterogenea, et tūc inuenio omnes ægritudines par ticulares et de ipsis tractabo, si uero ab extrinseco tūc, uel uenena erunt, uel solutio cōtinui ergo incipiā tractare de uenenis, deinde faciam tractatum de his quæ soluunt conti nuū, his omnibus, quæ ad inæqualitatem pertinent, inuen tis, remanet æqualitas ipsa, quæ conseruari debet in quo=cunq;, idcirco eos, qui iter faciunt, uel naui uehuntur, do=ceo, quomodo sint regēdi, uel quæram, ut pulchri degant, et sic tractatū de decoratione compono. Tandem deuenio ad æqualitatem intrinsecam conseruandam, quæ caput & fundamentum est. Supersunt subiecta, cū quibus, quæ duo sunt, cibi medicinæq; tunc dabo uobis tractatum, in quo ea dicā quæ ad hæc duo instrumenta pertinent, deinde descen dam ad subiecta, in quibus, et considerabo quid corpus hu manum sit, eiusq; membra omnia, et organa examinans, ædam de Anathome libros deinde de temperaturis, et de principijs, ex quibus constituitur, atque hic erit ordo re=solutorius, cui opponitur compositiuus, ubi enim desinit resolutio, ibi incipit compositio, igitur uel ego procedam ordine cōpositiuo uel resolutiuo in ordine enim resoluti uo diximus primū tractatum esse de febribus, secundū de particularibus ægritudinibus, tertiū de uenenis, quartū de chyrurgicis quintum de æqualitatibus, & iter agenti=bus, sexto de decoratione, septimū de conseruatione sani=tatis, octauum de instrumentis, cum quibus, & in quibus, nonum de partibus membrorum, ultimum de temperamē tis, componamus modo primo faciemus tractatum de tem pera=

peramentis, secundo de partibus membrorum, tertio de instrumentis cum quibus & in quibus, quarto de conseruatione sanitatis, quinto de decoratione, sexto de æqualitatibus, iterq; agentibus, septimo de chyrurgicis, octauo de uenenis, nono de particularibus ægritudinibus, decimo & ultimo de febribus, quo igitur ordine horum trium utitur Rasis in hoc libro? compositiuo. In uno tamen inuertit, quoniam cum deberet à complexionibus incipere, ipse à partibus corporum incepit, non temere tamẽ, nam cum à notioribus inchoandum sit ut est præceptum omnibus concessum, ut à notioribus nobis procederet, à membris corporis uoluit exordiri, quia nobis notiora sunt quam temperaturæ, secũdo de temperaturis egit. De sexto qualem nos simus seruaturi ordinem, nos ita procedemus, primo cap. Rasis declarabimus empirice tam circa modum operandi, & curandi, quam circa syndromen signorum, completo authoris cap. iterum idem cap. reassumemus dogmatice atque per methodum singula diligentissime declarantes, utpote de dolore capitis, & quid sit dolor capitis, an sit res præter naturam, an secundum naturã, an morbus, uel symptoma, tandem dogmatice et ex methodo omnia perficiemus. ultimum, quod proposueramus fuit, ut declararemus, qualis debeat esse discipulus erga doctorem suum. Dicimus itaque eum sic esse debere, et ut nec prece, nec pretio, nec gratia motus ad hunc magis doctorem quam ad alium accedat, sed illum sibi eligendum, unde ualeat ueram doctrinam assequi. erga uero authorem exponendum ita dispositus sit, ut ipsum haud-

qua-

Cur Rasis non p[er] omnia seruauit Ord: [illegible] Compositiuus

6 Methodus Montani.

7 Officium Discipuli.

quaquam barbarum esse credat, licet Arabs sit. Nanque inter Arabes Rasis longe præstantißimus est: & primas obtinet, & artem quam optime callet, Auic. enim artem non exercuisse doctißimi tradunt, sed tantum fuisse collectorem. Sed iam explicata sunt, quæ proposuimus, reliquum est ut contextum aggrediamur.

CAPVT PRIMVM DE CEPHALEA.

COMPERTVM iam esse omnibus arbitror in hoc libro agi de ægritudinibus particularibus. Vt aũt Rasis hác doctriná ordine traderet, qui facile posset acquiri, eum, qui à situ partium est, elegit, is autem sumitur secundum gradus superioris et inferioris, et quoniã in corpore situs superior caput est, de ægritudinibus capitis primo agit, inter quas primo occurrit Cephalea. Hic tria uidenda sunt, primo nomen Cephaleæ, secundo eius essentiam, quidve per rei essentiam intelligendum sit, tertio cap. exponemus. de primo scire debetis quædam nomina ab istis recentioribus appellari synonima, licet falsò, quæ idem importare dicuntur, ea sunt Cephalea, cephalalgia, Soda, dolor capitis. Sané cephalalgia et cephalargia nisi lingua differunt, Attica enim per ρ communis uero per λ pronuntiat, cephaleam autem & sodam in communi capitis dolorem appellant. Sed cephalea à cephalargia causis, & signis non differunt sola magnitudine differunt eo quòd maiorem partium capitis imbecillitatem efficit doloremq; infert, diuturnum, diffi=

difficulterq; solubilem, qui à parua occasione facile exci tatur, uehementesq; habet acceßiones, hoc habetis tum à Gale. in tertio de loc.aff. & secundo de compositione med.secũdum locos, etiam ab Aretheo in primo de Chronicis ægritudinibus uel affectibus circa finẽ. Duo alia nomina sunt hemicrania & hemicræna, sed utrunque idem uult hoc est dimidij capitis dolorem, si mitior est sub cephalalgia, si contumacior, sub cephalea cõtinetur. Sunt & alia tria nomina Auicen. ouum, galea, nux, significat dolorem consuetudinarium totum caput occupantem. Obiter corrigendus est textus Gal. in antiqua translatione in tertio de loc. aff. loco citato, ubi legitur galea legatis cephalea, sic etiam habet noua traductio, et recte. Quare autem ouum, aut nux, aut galea dicatur, si uidistis unquam galeas Arabum, aut Turcarum facillime id poteritis cogitare. habent enim illi suas galeas acutas ad similitudinem dimidij oui & nucis, unde quemadmodum galea ipsis occupat circumq; tegit, ita huiusmodi dolor uidetur occupare, circumq; tegere et opprimere, sed de nominibus satis, iam ad rem accedamus. cephalea dolorem capitis notat, dolor autem ipse symptoma, idest actio læsa est sensus, tactus, qui secundum diuersos locos, quos inuadit, alias et alias accipit denominationes. Verũ antequam ulterius procedamus, quoniam caput ipsum empirice prius sumus tractaturi deinde dogmatice in quo processu oportet nos causas inuestigare, & ab ipsis indicationes sumere, ideo prius debemus inuestigare, quæ sint causæ doloris, tanto magis quia & summi, & anti-

qui

Hemicrania.

tractatus de causis Doloris

qui medici, hac de re disceptarunt. Tres autem insi= gniores fuerunt sectæ, prima Galeno adscribitur [redacted] dolorem à solutione continui tanquam immediata & po tissima causa fieri, immo nõ posse quoquo pacto causari, nisi soluatur continuum. Alia Auer. tertio colliget ter= tio attribuitur prædictæ ex diametro contraria, quæ etiam Alexandri, & Græcorum omnium philosopho= rum fuisse uidetur, dolorem scilicet causari nõ posse per se, nisi ab excessu primarum qualitatum. tertia media est Auicen. asserentis æqualiter à duobus generibus tum à mala tẽperatura, tum à solutione continui tanquam duo= bus obiectis pari discrimine æqualiterq́; tactum lædenti= bus causari. in secunda primi doctrina secunda cap. xix. incipiamus ab ea quæ Gal. est, ex cuius inquisitione faci= le poteritis iudicare, quid de alijs sentiendum sit. Diximus ut sibi attribuunt, sententiam eius esse, dolorem imme= diate à solutione continui prouenire, utrum autem ita sit, si ex authoritatibus eius certandum sit, pares uide= buntur. Sed age conferamus pedem. Quòd quidem sen= tiat dolorem immediate causari à mala intemperie ha= beri potest ex libro primo de elementis ubi ex Hippo. sententia disputans contra antiquos sic habet, si homo tantum constaret ex uno elemento non doleret, ex quo elicitur dolorem à mala temperatura formaliter fieri aliter non ualeret contra ipsos discursus. Idem quarto de causis symptomatum habet, & à mala tempera= tura, & à solutione continui æqualiter fieri dolorem, deinde secundo de loc. aff. primas causas doloris dicit

esse

esse solutionem continui, et malam temperaturam, in libro quoque de inæquali intemperie tertio loquens de phlegmone à mala temperatura fieri asserit, inferius etiã ait citra alterationem aliquo pacto dolorem fieri non posse, adhuc loquens de dolore unguium inquit, quid igitur dubitandum est de internis doloribus, si tam luculenter extrinsecus ob inæqualem intemperiem causatur dolor. Possem etiã longe plures locos adducere, in quibus idem habet, sed hi sufficiant quantum ad malam temperiem. Iam contra agamus, & adducamus, quæ solutionem continui doloris causam authoritates contendunt. In primis est authoritas, in quarto de causis symptomatum ubi discurrendo per omnes sensus, inquit si fieri debet dolor, necessario oportere solutionem continui causam esse, ostenditq; non posse in oculo causari dolorem nisi soluatur continuum, exemploq; declarat nigredinis, & splendiditatis, hæc duo obiecta inquit dolorem facere, illud quidem condensando partes, uniendo & congregando, hoc uero dißipando, sonus etiam soluendo continuum sensum audiendi corrumpit, in gustu autem austerus sapor & acerbus dolorem faciunt soluendo continuum, item in secundo de inæquali intemperie tertio dicitur non à quolibet calore, uel frigore fieri dolorem, alioqui nerui cum sint complexionis frigidæ & siccæ dissimilis à complexione carnis, carni dolorem incuterent, [redacted] ab omni dyscrasia causatur, sed à uehementi. Cum igitur fiat à uehementi calore, uel frigore limitandus erit excessus, demus ergo gradum, si debet esse magnus,

Authoritates quod immediate a solutione continui proveniat Dolor.

gnus, tunc inquit ipse, terminus solutio continui est, & hanc dicunt esse mentem Galeni sed nunquid ita reuera sit, cum sit contra principia philosophiæ ratione sensus tactus uidebimus. Dicimus nos Galenum non esse ita suasum, ut tenere potuerit, quod sustineri non potest, si ab essentia rei iudicanda sit. Sed circa hoc primo uidebimus an ex ipsa essentia rei, causam indicauerit Gal. postea soluemus authoritates quæ ab istis reputantur Achilles, uos autem habebitis liberum arbitrium tenendi, quod uobis magis placuerit. igitur sciendum est dolorem esse uitium in sensu tactus, ut autem eius causa sciatur, substantiam doloris debemus scire, & eius essentiam. est autem sensus tactus longe distans à reliquorum sensuum natura, alij enim sunt ad bene esse tantum, tactus uero ad ipsum esse secundo de anima xvij. & propter conseruationem propriæ essentiæ, ideo alij media extrinseca habent, & in sensiterijs nihil est de subiecti natura, at in sensu tactus non solum reperitur aliquid de natura subiecti, immo ex principijs suis exhuiusce constat, nec medium extrinsecum habet, quoniam à natura ipsa factus fuit ad conseruationem propriæ essentiæ, ut per illud perciperet contrarium omni essentiæ & principijs ex quibus constat, idcirco naturaliter et corpulente recipit sua obiecta, quæ sanè non perciperet nisi etiam excederent proportionem mixtionis, ex qua constitutus est, ideo medium extremorum in se habet, quæ percipit & hæc ab Alexandro & Ioanne Grammatico in libro de anima declarantur. 18. Cum igitur ita sit, si uidebimus, quibus

Discursus Montani circa Galeni opinionem.

rebus

rebus constet essentia doloris idest tactus & per se sensibilis uidebimus quoque quæ sit causa doloris, qui fit per excessum obiectorum: essentia igitur eius & omnium partiũ consistit in duobus indebita mixtione primorum quatuor corporum, ubi enim est æqualitas iustitiæ animali conueniens, & suis partibus, illud bene se habet, ubi uero aliqua primarum qualitatum occurrit corrumpens mixtionem debitam sentit illam, & læditur. Aliud est etiam in ipso sensu tactus præter proportionem primarum quatuor qualitatũ mistionis, & hoc est unitas necessaria quidem, si debet substãtia in actu esse, et hæc sequitur immediate formam ipsam, sicut accidens corpus. ideo Arist. 5. phy. 34. quarto meth. tertio dicebat unum & subiecto idem sunt si igitur ubi debet esse unitas, ibi sit soluens unitatem, nam sensus tactus ordinatus est ut pcipiat offensam propriæ essentiæ, Ideo dicendum est q, sicut obiectum sensus tactus est improportio primarũ qualitatum, ita & solutio continui erit eius obiectum, cum essentia corporis tàm ex unitate ipsa constet, quàm etiã ex mistione primarum qualitatũ quatuor quod non aduerterunt Recentiores, sed nunquid hoc ueteres senserint, an mea potius dicatur imaginatio? Dico Plat. Ari. Hipp. et Gal. hoc idem sensisse Ari. n. in secundo lib. de anima. 107. cum posuerit obiectum esse improportionem primarum qualitatum dixit, non est autem unum obiectum tantum, si non est unum patiens. Sed habet durum, & asperum, & hæc sunt quæ soluunt continuum, & ita tenuit Aris. idem etiam Pl. cum dixit uiolentam, & subitam paßionem naturæ illatam dolorem efficere,

Essentia doloris: tactus consistit in duobus.

Hipp. Plato A. et Gal. idem senserunt.

re, dixit naturæ, non etiã temperaturæ animalis, nanque natura ex unitate & temperatura resultat, non aliud etiã Hipp. uoluit dicens Authore Gal. in primo Libro de causis Symp. cũ subito corrumpitur et ulceratur natura. Sed statim dicetis uos, tu uis p naturã illa duo intelligere, sed nõ ita sentit Gal. uideatis ipsum cũ interpretatur hæc duo positis Authoribus Hipp. & Plat. inquit, alterare autẽ & corrũpere naturã nõ est nisi per inæqualẽ intemperiẽ uel solutionem continui, per naturã ergo proportionem mistionis, & sanitatem intellexit, quia contrarium corrumpit contrarium, dicẽs ergo hæc duo facere dolorẽ naturæ per naturã intellexit illa duo, & ita de essentia rei recte iudicauit Gal. sed dicetis unde est q, Ga. attribuitur hæc opinio ab Auic. et Auer. malus intellectus uerborum est, Gal. Reliquum est, ut respondeamus adductis in oppositũ authoritatibus, et argumentis Ad. 1. uideatis, quid in primis senserit Gal. in primo de causis symptomatum quando dixit in omni sensu dolorem magnum fieri cum soluitur continuum, id quod uerum est sed tunc ostendit ad utranque causam dolorem spectare, terminumq; esse solutionem continui, quia simul est mala temperatura corrumpens mistionem, & soluens continuum, unitatemq;, Et ideo cum in unum duæ causæ simul coeant maximus causatur dolor. Ad secundam authoritatem in lib. de inæquali intemperie, ubi dixit, Terminum primum qualitatum, cũ dolorẽ inducunt continui solutionem esse, dico Gal. exclusiue intellexisse solutionem continui esse terminum neque hoc ex somniis, sed ex Gale. dicimus, sed an ita sit, uideatis

ipsum,

Hippo:
Directio
R.

Solutio Authoritatum Galeni.
1

2

ipsum, quid in successu uerborum expresserit, inquit ille, immodicus autem calor, frigusq; faciunt dolorem, quoniam proxime accedunt ad hoc ut soluant continuum, non dixit, q actu soluant, sed q proxime accedunt ut soluant, est autem proxime accedere, nihil aliud, q̃ sine solutione cõtinui dolorẽ facere, terminus ergo in qualitatibus est solutio continui exclusiue, præterea dicit Galen. & forte non est adeo durum quod Hipp. alibi dicit omnino morbũ ulcus eẽ quoniã ulcus unitatis diuisio est, immodicus uero calor & frigus proxime accedunt (ut unitatẽ soluant) immo ẽt soluunt, ut in maximo dolore, qui fit à uehemẽti calore, uel frigore, fit.n.talis, quoniã soluitur continuũ, et dicebat Gal. secundo de loc. aff. de dolore colico uitreo illo humore frigidißimo sibi uisum esse talem in seipso sensisse dolorẽ, ac si terebro perforarẽtur intestina, atq; id quidẽ non sine rõne est, ut maximus dolor & solutionem continui & malam temperaturam pro causa habeat, sic ergo dicetis, saluabitis uos, cum Hippocr. & Pla. Arist. & peripateticam scholã doctißimum quoq; Gal. sensisse ipsumq; à non intelligentium calumnijs, uindicabitis. Quantum autem ad obiecta Auic. ex his satis liquet, q calũniatur Gal. male, supponit enim eius esse scientiam à mala temperatura non fieri dolorem, quod ostendimus falsum esse: Ad Auer. similiter, qui tenet sensus tactus unum esse obiectũ proprium tãtũ, & ideo arguit ipse primæ qualitates sensum tactus mouent non solutio continui, Dicimus contra ipsum esse Aristo. tenentem q plura sint obiecta sensus tactus, quare eius argumentum nullum est, deinde habet

Auer. si solutio cōtinui causaret dolorem in sensu tactus, esset obiectum tactus, fundamentum hoc ruit quoniam nos dicimus uerum esse solutionem continui obiectum esse tactus, quare falsum assumit. præterea arguit, omnis sensus ad qualitates est ergo etiam tactus, argumentum nullum est, nam tactus ad qualitates & ad solutionem continui est. Sed hæc hactenus de causis doloris. De speciebus autem doloris ostendemus uobis Auic. forte esse ridiculum in usurpandis tot causis doloris uerum hoc in præsentia non licet ex ipsis patentibus locis, oportune aliàs determinabimus. Tertium superest, ut scilicet contextum declaremus. Quando rubedo & tensio, et grauedo in facie, & oculis, cum istis affuerint &c. Volens igitur Rasis tradere modum curandi omnes capitis dolores (ut Emp. expedit) suas diuisiones facit. Et in primis docet curare omnes dolores per essentiam in capite existentes, Et primo eū, qui à sanguine oritur, dolorē aggreditur, deinde qui à bile, tertio qui à pituita, quarto qui ab humore melācolico, ubi autem his satisfecit, ad eos, qui per comunitatem fiunt, curationē dirigit, postremo & eos dolores, qui ab extrinseco oriūtur absoluit, et ita omnē de capitis dolore cōsiderationē perficit, sed dicet quispiam quomodo perficit, si non tradit cognitionem essentiæ locorum? Respondeo ex Gal. in libr. de locis aff. tertio nihil referre, quoniam eadem curatio est, ubicunque fiat. Sed tantum necessarium est scire, per essentiā ne an per cōsensum sit, maxime cū ipse Rasis Empirice procedat, in prima igitur pte inquit Rasis, quomodo curatur & cognoscatur dolor capitis ex multitudi

ne

ne sanguinis in capite existentis, qui primus propositus est. Quoniam autem diximus Rasim Empirice procedere, quid sit processus Empiricus primo declarare operepretium est. Debetis itaque scire hoc tempore illos dici empiricos qui casu, ac temere curant & male, ita, ut qui nescit curare Empiricus appellatur, sed falsò hoc nomen usurpatur, si enim essent Empirici boni essent medici, propterea sciatis à ueris methodicis Empiricos nō differre, nisi p indicationes ab essentia, & à loco affecto sumptas, nā inde nullam prorsus indicationē sumūt Empirici, cæterum iisdem utuntur remediis, illamq; in confesso habēt dignitatem, cōtraria contrariis esse curanda, Et pro diuersitate ægritudinum diuersa remedia applicanda, Ad hæc & pro temporum uarietate, et pro consuetudine, pro naturarum diuersitate, omnia adeo quæ a Dogmaticis considerantur, ipsi etiā aduertūt, ab iisdemq; indicationes sumunt ab Hipp. assumentes, Negant autem rationem rei ad Medicum pertinere, sicut facit faber lignarius, qui lignum incuruum cum recto non diducit, sed illud adiiciens rectum in rē suam admittit, Quærenti aūt ab eo, quare ita faciat, irridens dicet hoc ad philosophū attinere, illud sibi satis compertum esse in rem suam non conferre, tamen non tollitur per hoc, quin optimus sit faber item si nauta rubere in uesperi cernat, uentos fore pronuntiabit, & se in portum recipiet. Etsi quæras tu causam, utique ridebit dicens sic nautis perpetuo obseruatum esse, sic faciunt Empirici cum uident signa concurrentia, et indicantia dolorem capitis, causam cur sit dolor non quærunt,

Qualis est Empiricus processus.

runt, sibi.n. sufficere dicunt, q sciant esse dolorem capitis à sanguine aut alio humore, quod per signorũ syndromẽ commode agnoscunt, se in curando ita procedere, sicut & eos, qui a causa sumunt indicationem, ipsi uero ex syndrome signorum sumunt eandem. arbitrantur enim rationem esse discursum à sensibus separatum, unde dicunt comitti analogismum. At ipsi faciunt discursum sensibus, quem Epilogismum appellant. Dicetis quo pacto inuenerunt remedia Empirici. Et enim Dogmatici de mespilo dicunt habere uim astringentem, est enim acerbum, acerbitas enim fundatur in materia terrestri, et crassa, quæ uero terrestria sunt astringũt. Debetis scire empiricis quatuor esse instrumenta primum est à sponte euenientibus et hæc in duo diuiduntur, in alterum quod à natura, in reliquum quod à casu est, cum igitur Empirici uideãt naturã facere fluxũ sanguinis per nares aut hæmorrhoidas, aut euacuare per sudorẽ, per urinam, secessum, aut aliud huiusmodi atque ægritudinem per hosce fluxus remoueri, dicunt, si hoc natura facit, ita & nos facere debemus, qui eius ministri sumus. Si etiam id à casu fieri uident ab hoc sumunt indicationẽ, ut si ex uulnere ruptũ abscessum cernant, & ægrum sanari, id statim obseruant, colliguntq́; si abscessum rumpant ipsum à se curatum iri.

Ad secundum accedamus, hoc autẽ à uoluntate est, ut si quid forte somniauerint pro futurum (ut Gal. testatur in somnijs didicisse se arteriarum post aures incisionem) uel forte ab alio audiuerint sic ei euenisse & successisse, ita et ipsi in experientiam trahunt, & faciunt. Tertium est per

imitationem

imitationem tale autem instrumentum principiũ est. Ar= 3
tis, cum.n.modo naturã, modo audita, & quæ forte som=
niarunt imitati, & experti sunt sæpius, ac sæpius succes=
sisse, theoremata formant, & artem conficiunt. Quartum,
& ultimum ad exercitatos tantum pertinet, qui iam theo= 4
remata habent ex historia, ex præceptis Artis, & ex ob
seruatione, habẽt aliud, quod à Græcis μετάβασις appel
latur, & transeunt de simili ad simile, & hoc quoniam nõ
habent uiam inueniendi remedia, tantum in morbo Gallico
ipsis ignoto pro exemplo uterentur μεταβάσει, &
ex signis colligerent hanc ægritudinem similem esse Ele=
phantiasi, facerent transitum, dicerentq;, signa in hoc affe
ctu signis elephantiasis similia sunt, at similibus similis cu=
ratio conuenit ergo &c. Alius transitus est de corpore
ad corpus, membrum enim alteri membro aßimilari ui=
detur, crus brachio, quare remedium quod uni conueni=
re uident consimili etiam illud applicant, & ita remedium
conferens brachio, cruri quoque conferre autumant:
Vel de remedio ad remedium, exempli gratia ob=
seruant empirici mespilum astringere si hoc ad manum
non habent, transeunt ad aliud medicamentum astrin=
gens gustum, idcirco cotoneum malum accipiunt, quod
consimilem uim habet. hæ sunt uiæ, & sufficientes qui= Gal.
dem, ut ita Gal. ad empiricos accedat, ut dicat, si non esset Si non essem
dogmaticus mallet esse empiricus cæterum longe præstat Dogmaticus
dogmatica doctrina empiricæ longeq; nobilior existit, mallem esse
sed hæc satis de secta empiricarum, ad contextum redea= Empiricus
mus. QVANDO RVBEDO IN FACIE ET IN

OCVLIS ET TENSIO CVM HIS AFFVERIT. Videatis quomodo Rasis exprimat sectam empiricam. Dicebamus empiricos nihil aliud facere ad ægritudinum cognitionem nisi syndromen idest concursum signorum obseruare, Videntes itaque empirici rubedinem, grauedinem, caliditatem & pulsum magnum concludunt sanguinem proculdubio dominari, neque aliud quærunt, neque qua ratione ægritudo sanguinea hæc, aut illa remedia requirat, attendunt, sed statim dicunt occurrendum esse cum mißione sanguinis quoniam maiores nostri aspicientes talem signorum concursum, ita fecerunt, & bene ceßit. idem & nos facientes rem feliciter consequemur, Hanc signorum syndromen Gal. obseruauit in quarto de Tuen. sanit. & octauo Therap. & in lib. de Temp. sed nos aßignemus rationem omnium particularem, q. quidem rubedo dominium sanguinis testetur, patet ex eo quia sanguis rubens est, unde Gal. quarto de Tuen. sanit. dicebat rubeum colorem in cuti & superficie dominiũ sanguinis denotare: TENSIO, ET GRAVITAS. Hæc non sunt propria signa dominij sanguinis sicut rubedo, ita q. quicunque humor dominetur, solus sanguis denotetur à rubedine. Tensio etiã ubi abũdat pituita reperitur, similiter grauitas, & ratio est, q. multa existit in corpore pituita sed eius plures sunt species, naturalis per partes sanguinis diffusa est, quæ nihil aliud est, q̃ sanguis diminute concoctus, alia acida, & salsa ex putredine. Alia ex cruditate, quæ uitrea appellatur, & quoniam corpulentæ, et humanæ & multæ sunt in corpore idcirco grauitatem faciunt

ciunt & tensionem, facile enim inflatur, nanq; materia uiscosa facile inflare authore Galen. in secundo Progno. de spuma in urinis loquente. Hæc autem signa non sunt pathognomonica, Tensio autem grauedo, & rubedo simul iuncta unum pathognomonicum efficiunt, quod sanguinis dominium indicat. TACTVS CALIDVS. Neque hoc etiam signum est pathognomonicum, nanque & choleræ dominium indicat, est enim cholera calida & sicca, atque etiam mordax, non fuit autem necesse dicere calorē uaporosum, sicut dixit Gal. in secūdo de diffi. feb. apposuit enim caliditatem sanguinis uaporosam, quoniā tota signorum syndrome q, bilis non abundat cogitare facit. PVLSVS, MAGNVS. Hoc signum etiam sanguinis redundantiam significat, & dominium, ut author est Gal. primo de causis pulsuum, ubi tres causas continentes ponit facere pulsum magnum, primo necessitas euētationis scilicet caloris innati, à maiori enim uel minori euentationis necessitate fit maior, uel minor pulsus, secunda obedientia instrumenti requiritur ut sit habile, ad dilatandum, siccitas .n. instrumenti non permitteret, ut fieret dilatatio, tertia est, quia frustra necessitas, & obediētia adesset, nisi uirtus ualida mouens arteriam esset, His concurrentibus pulsus fit magnus, ubi autem est dominium sanguinis hæc concurrunt, quia instrumentum molle est, ideo obediens, & in sanguinis dominio copiosissime adsunt spiritus. ut patet per Gal. in libris de simpl. medicamenta secundo uolu. tertio sexto septimo de Dog. Hippoc. & Pla. ubi uult uirtutem esse calorem innatum, & sic cum plurimum sit de

calore ex consequenti plurimum de uirtute, similiter autem est plurima neceßitas euentandi, hæc omnia uidetis quomodo secundum rationem sumantur, & ideo dogmaticus longe excedit empiricum qui humi serpit, dogmaticus uero ubi deficit memoria, habet rationem, & artem, quare neque deficient instrumenta, syndromen præterea complectitur sicut empiricus sed alias superaddit rationes, quare si debent hæc omnia esse simul, necessariũ est ut in his corporibus sit dominium sanguinis, & ex methodo uidistis, quomodo rubedo est proprium signum, & pulsus magnus, & quomodo tensio, & grauitas non sint propria, & per se coniuncta, similiter caliditas & quoniam rubedo potest esse in toto corpore, addit Rasis, in facie, et oculis, ut innuat ægritudinem esse in capite, & pendere à sanguinis dominio, & huc usque pares sunt dogmatici & empirici quia uterque à sanguine scopum accipit, sed dogmaticus ultra hoc causas quærit, ideo dignior. Habita empirici signorum syndrome accedunt ad remedia, & ideo Rasis ait: FIAT PHLEBOTOMIA CEPHALICAE LATERIS DOLENTIS. Circa hoc debetis scire, q. nullus, nec Græcus, nec Arabs negauit in diuersionibus phlebotomiam semp fieri ex eodẽ latere, ideo semper hoc est perpetuum. Et hoc Auic. quarta primi uoluit, cum dixit, semper seruetur diameter, & rectitudo, quia à Gal. habuit à longinquo trahendum esse seruata rectitudine, quoniam facilius est per rectum trahere, & motus ab attracto ad attrahens fit perrectum, quam rectitudinem Græci κατ' ἰθὺ. i. κατ' ἴξιν appellant.

NB.

Phlebotomia in diuersionibus semp fiat ex eodem latere.

lant. Requiritur etiam oppositio quia in diuersione de cō trario ad contrarium trahitur materia, quorum quidem si unum deerit non fieret diuersio, sed quomodo est difficultas de pleuritide? Et quia in ea Gal. regula non uidetur obseruari, quoniã si rectitudo seruari debet, uidetur q; in phlebotomia pleuritidis non seruetur, immo tũc oppositio est, non autem rectitudo, quia multi sunt anguli à pleura aduenator per quam fit sanguinis extractio, ut ex anathome apparet, nec etiã oppositio, quia uidetur potius oppositum seruari, quia si ab hepate quod est sanguinis fons ad inflammationem sanguis defluat, & diuersio fiat per sectionem uenæ, sanguis magis ascendet per euacuationem in brachio factam, & potius uidetur attractio ad locum inflammatam, propter hoc dixerunt Arabes non esse faciendum ex eodem latere, quinimmo Auēzoar dicebat illud esse mortem infirmi, De alijs autem diuersionibus Arabes ipsi cōcordes sunt, nō tamē credatis q; Arabes dicant, cum uolumus diuertere, & euacuare non seruari diametrum, & rectitudinem, hoc idem obseruant empirici nec differunt à dogmaticis nisi quia ipsi faciunt enthimemata, & dicunt, est hic concursus signorum, ergo dominium sanguinis dogmatici uero hic sunt signa, hæc plenitudo sanguinis sed quia cōtraria contrarijs curãtur plenitudini opponitur euacuatio, ideo phlebotomia conueniens est & faciunt analogismum, qui est discursus remotus à sensibus, de quo Gal. in lib. de optima secta. Empirici uero epilogismum, qui est sensibus coniunctus.

DEINDE AQVA ROSATA, ET OL. ROS. &c.

Oppositio · Obiectio de Pleuritide · Analogismus · Epilogismus

&c. Optimus est iste processus, & modus procedendi. Postq̃ cognouerunt empirici ex syndrome signorum dominium sanguinis & ex obseruatione sanguinem mittendum esse, ad repercußiua accedunt, quia augetur semper calor. ex hystoria, q̃ repercußiua conueniunt & q̃ frigida sint, ideo medicamenta frigida, accipiunt. Nos autem non sumus contenti hoc solo, ut eligamus frigida, sed dicimus, est hic rubedo capitis ex dominio sanguinis sed ubi dominatur sanguis ascendunt uapores calidi ad caput, & ita maiorem calorem faciunt, & ita dolor fit, non ex mala temperatura solum, sed ex solutione continui, & periculum est, ne ad sphacelum capitis deducat, repercutiendum ergo est, neque contenti sunt hoc, ut solum, instrumenta, quæ ab alijs inuenta sunt, adhibeant, sed dicunt cũ frigida sunt & crassa oportet accipere quædam, quæ penetrare poßint, quia indicatione à capite sumpta, uident cutim crassam, & crassum craneum, & meningæ ambæ ad sunt, antequam ad cerebrum transeant, nisi sint, quæ penetrent, nocumentum potius faciemus, quia constiparemus potius cutis poros, & sic prohiberetur euentatio augeretur calor, et ita faceremus maiorem dolorem, ideo penetratiuo medicamẽto indigemus, ideo inuenerunt quædam acida, quæ in subtili substantia fundantur, licet frigida sint, postea uolunt q̃ hæc sola nõ sint, quia cum subtilia sint, pungunt, & mordicant, & ex consequenti soluunt continuum, ideo augent dolorem, propter ea admiscemus acida cum his quæ craßioris substantiæ sunt, ut et craßities obtundat subtilitatem & acrimoniam & subtilitas

litas adiuuet craßitiem, ideoq; cum maiori penetratione indigemus, ipsi plus de eo penetratiuo exhibent sic oppositum, opposito modo faciũt & cum distantia sit maxima maxime acidum addunt, sicut facit Gal. in libris κατὰ γένη, qui emplastrum frigidum ex cicere confectum neruis adhibet, & licet mordicet, cum habeat spatium penetrandi magnum, remittitur in itinere illa frigiditas, & ideo plus habent dogmatici quàm empirici, immo ipsi fiunt domini artis, empirici uero humi serpunt, repercußiuum uero ratione accipiunt facta euacuatione, quia stante multitudine, si essetis occupati in repercußione maior erit impetus ascendens, quãuis repercußiui medicamenti, & periculum esset propter prohibitionem euentationis, ne faceretis sphacelum. ex cephalica igitur Rasis eiusdem lateris inquit, ubi est dolor fieri phlebotomiam hoc facto recte accipit repercußiua medicamenta, & ita uos faciatis in uestra praxi. AQVA ROS. ET OL. ROS. Gal. tertio de simpl. med. cap. nono de Rosaceo declarat, quomodo in oleo rosato cum sit etiam medicina temperata, stipticitas non solum non impediet penetrationem, uerũ adiuuabit, & est uelut uehiculum, & dat exemplum, si corium liniatur oleo ros. magis, intrinsecus humectatur, q̃ ab alio oleo, quia tanq̃ manu exprimente utitur hac modica stipticitate, est ergo optimum quia penetrat, nec habet saporem mordicatiuum, ideo sedatiuum doloris maxime est, ideo in inflammationibus membrorum, capitis habent Chyrurgi semper ulñas plenas, ut infundant in uulneribus, cum timent inflammationem, quare autem

Nota.

Oleum Rosatum

Quare ag. ro. tartam misceat. 2.

autem aquam rof.misceat, optime facit, quia subtilior in oleo rosato & magis humectabit, & perstillationem crassior pars resoluta est, acetum addit, ut maiorem penetrationem faciat memor itineris. Habet autem Harculanus hic q, quadruplum aceti commiscendum est ad reliquum, sed non est tuta hæc sua quadruplicitas, immo nec certa, quinimmo potius declinamus ad oppositum sed debebat dicere modo maiorem, modo minorem fieri, secundum rariorem & densiorem capitis texturam, & sui maiorem, uel minorem instinctam uigiliarum quo casu quadruplū aceti esset summopere nocuū immo quadruplum olei rosati esset tutius si uero corpus densum esset, ut sunt corpora fossorum quadruplum aceti possumus addere, et quia sanguis calidus & humidus est aqua rosata frigida humida ideo summopere, conueniunt, & hæc omnia conquassentur optime & unum fiat, & quantitas tùm à natura ægroti, tùm ab accidentibus augenda, & minuenda est. ET SVPER NIVEM INFRIGIDATA SVPER CAPVT PONANTVR. Notetis, cum habetis inflammationem, uel totius, uel partis tunc apponatis, quæ potentia frigida sunt actu frigida, quia & talia cum admouentur loco ex sententia Gal in quinto de simpl.med.actuantur à calore super abundante, ita ut calida efficiantur, & ideo hæc est ratio, cur cicuta pota non interficit, si longam facit moram in corpore, quia actuantur à calore, & calida fit, & non nocet, ideo dicebat Gal. cum frigida applicatis debetis sæpius immutare quia calescunt, ideo frigiditas actualis cōuenientior est, ideo in ec-

Capiti apponenda sunt frigida actu et potestate.

thica

thica & causonide aquactu frigida immo frigidißima con uenit. Vbi ergo uolumus repellere, & intendimus alterare locum medicinæ non solum potentia frigidæ esse debent sed actu tales, & ideo est quia licet potentia frigidæ et sint alterare possunt, & locũ refrigerare quia quæ potẽtia talia sunt ad actũ prius deducuntur, à calore naturali, ut dicebat Gal. in. 5. de simpl. med. non autẽ deducũtur ad actum, nisi diuidantur ad minima, ita q̃ calor pugnare poßit cum illis, si uero aduersatur, & illa uincantur illa frigida esse desinunt, sicut de lactucis, cum reducuntur, ad actum calidæ fiunt, similiter uenena frigida si reducantur ad actum nõ interficiunt, ideo homines frigidioris temperaturæ citius interimuntur quàm calidioris quia prius q̃ reducantur ad actum ab arterijs, & uenis attrahuntur & quia calor naturalis aliquando debilis est, nec potest esse intentus ad actuandum tarde operatur, & si operatur deducet ad actum, & calefaciet ideo si in niue infrigidantur habemus refrigerationem in potentia & in actu, quæ cum actu frigida sunt posito occursu agunt, & extinguunt præter naturalem calorem, & naturalis euentatus melius deducet ad actum frigida medicamenta, ideo optime consulunt medici, quod medicinæ potentia frigidæ actu frigidæ applicentur, ut uoluit Gal. in secundo de compositione med. secundum locos, ubi omnia remediorum genera, taliter facta & infrigidata in niue conficit, bene igitur dogmatici post euacuationem, euitent incommoda, ut eligunt, quæ penetrant, & actu refrigerãt. Deinde docuimus, q̃ non erat certa ratio illa compo-

nendi

nēdi Harculani,quia aliquādo quadruplū aceti,aliquādo, quadruplū ol.roſ.apponitur ſcd̄m diuerſitatē naturarū. AEGER VERO A CARNIBVS, ET VINO ABSTINEAT: Poſt euacuationem in dolore à ſanguinis plenitudine dependente,uoluit Raſis, ut recte regimine uteretur,ſicut,& precipiunt Dogmatici quia eoſdem habent ſcopos,dominium ſolū,quia Empirici à natura rei indicationes paruifaciūt ſcopus autē eſt q̃ ubi eſt dominiū ſanguinis ex cōcurſu ſignorū cognoſcitur ab Empiricis, à Dogmaticis uero ex rei natura,& ex ſignis pathognomonicis, ut non nutriamus ægrum, ſecundo ut refrigeremus Empirici non querunt rationem. Nos autem a natura rei edocti ſcimus, q̃ ubi adeſt dominiū ſanguinis, ibi plurimum de alimento eſt, ut docuit Ariſt. ſecundo de anima, ideo recte factum eſt cum non nutriatur,ideo Gal. ſecundo de tempe.dixit, q̃ calida & humida corpora ex dominio ſanguinis poſſunt tolerare famē, An uero plus pituitoſa id facere poßint non eſt preſentis ſpeculationis refrigeratione autem indigent, ratio eſt quia ubi plurimum eſt de calore, & ſpiritus & feruido ſanguine ibi parum nutrire debemus,& ad frigidum alterare, ideo dixit Raſis, æger uero à carnibus, & à uino abſtineat, quia hæc plurimum nutriunt, & ſanguinem multiplicant. ET COMEDAT ADESIAM CITRINAM. Eſt autem adeſia citrina, ut declarat ille Andreas Bellunenſis, quædam confectio apud Arabes, ex croco,aceto & lentibus, decoquunt enim lentes in aceto, & crocum addunt,ideo citrinam appellant ; lentes enim ultra hoc q̃

pau=

paucum nutrimentum dant frigidum & siccum præbent ideo substãtia, & qualitatibus morbo aduersatur, Acetũ additur, quia extenuãdi & exiccandi uim habet, & quia frigidum est, & siccum, addit crocum, & laudat ipsum, cum tamen Gal. in septimo de compositione med. secundũ locos dicat crocum offendere caput ideo cum docet Hieram ex sex rebus conficere inquit, ubi sit dolor capitis, parum de croco apponas, quia caput offendit, Hic autem Rasis cõmendat ipsum. Dicatis crocum hoc in loco laudari, quia parum de ipso uult, ut addatur aliter caput offenderet, quia igitur eius modica quantitas concoquit, meliusq; facit penetrare alimentum, adiuuat cõcoctionem, ideo recte additur, ET TAPSIS idest cibus qui fit ex lentibus coctis ei recte additur. CVM AQVA, ET HERBAS FRIGIDAS. Forte sanior esset lectio, si diceretur. DECOQVANTVR LENTES IN AQVA, CVM HERBIS FRIGIDIS. Vt alluderet ad illud simile à Græcis dictum, quod erat lenticula cum beta confecta, Erat enim eorum usus frigidas herbas decoquere, ut betam, uel lenticulam, et ita exhibere, siue etiam ponantur herbæ cũ lenticula, uel sæparate idem erit, frigidæ autem herbæ sunt, lactuca, endiuia, & huiusmodi quæ frigida & sicca sunt. VENTER AVTEM SOLVATVR EX MIRABALANIS CITRINIS, ET PRVNIS ET TAMARINDIS, ZVCCARO ALBISSIMO. Post euacuationem sanguinis & post usum repellentium docet Rasis, ut uenter soluatur cum his medicamentis lenibus. ideo

Acetum.

Crocum.

Lenticula cũ Beta confecta ibus Græcorum

Euacua tio uentris

notetis cum habebitis ægritudinem à materia calida de pē dentem, à fortibus medicamentis caueatis, quia magis cale faciunt & exacerbant, unde Galen. in secundo Regiminis acutorum: postq̄ Hippo. docuit pepliū uel elleborum, quæ sunt medicamenta calida, in pleuritide exhibenda, admonet nos, ut euitemus hæc calida quia possemus agitare humores, ut præcipitentur ad locum aliquem nobilem, ideo non sunt agitandi cum his medicamētis sed cum benedictis purgandi sunt. Hoc etiam obseruauit Rasis, sed circa hoc medicamentum debetis scire, & aduertere hic Herculanum, qui uult, ut in aqua pruna, uel tamarindi decoquantur, & infundantur in ea aqua mirabalani subtiliter contriti, sed medicina erit aspera, & stipticitatem habebit, & ingrata gustui, ideo mirabalani sunt grosso modo contundendi, & infundēdi in aqua appropriata, uel fontis per noctem, mane autem in aurora coquantur cum prunis, & tamarindis, & facta expreßione, & colatura addatur zucch. albißimi q. s. Ideo ut reducatur ad praxim dicemus sic. Recip. mirabalanorum citrin. quia uim habent mundificādi sanguinem à bile, & benigniorem reddere drach. iij. uel iiij. qui grosso mō conterantur, & infundantur et in aqua endiuiæ per noctem maneant. Recip. prunorum num. x. Tamarindorum drach. vi. decoquantur, & addantur unc. ij. zucc. albißimi. De mirabalanis citrinis nihil in præsentia dicemus. De prunis autem debetis intelligere Hyspana non Damascena, quia acerba sunt, acerba autem constringunt, quia substantiam crassam habent constringentem, ideo dulciora sunt eligēda, siue Hyspana siue alteris gene

ris

ris sint, quia in dulcedine laxatio est. Tamarindi indi sunt, qui palmulæ, seu dactili indici, ideo palmula, indica appellantur, quam Actuarius ὀξυφοινικὴν uocat, ac si palmulā acidam diceret. Reprimunt enim feruorem bilis, dixit Rasis: ZVCC. ALBISS. Quia zuccharum quanto magis coquitur tanto magis amittit caliditatem: quia partes terrestres adustæ resoluuntur ex decoctione. QVOD SI ISTA NON SVFFICIVNT. SEM. MALVAVISCI IN ACETO POSITA Agitentur, quousque ad spißitudinem perueniant &c. Post q̄ Rasis euacuauit sanguinis mißione, & repellentibus usus est, et corpus cum pharmaco purgauit, rectamq; administrauit uictus rationem, si non cessauerit dolor, inquit Rasis, in re percußione non perseuerabitis, ut docuit Gale. 13. Therap. ubi ait, si utimur frigidis & perseueramus in eis, ad talem constipationem perueniemus, q̄ extinguetur calor naturalis. Igitur mundificato corpore tutò adhibentur hæc remedia, quæ habent uim subtiliādi, maturandi sine ui calefactiua, ideo semina, uel radices, aut folia ibisci, uel Altheæ iubet accipi Gale. cap. de ibisco, quia maturant, resoluunt, & dissoluunt sine attractione, non sine aliqua astringendi facultate, qua corroboratur membrum, & confortationem facit, ideo iure eligit alteam. Ex hoc loco caueatis ab errore Herculani, qui dicitur idē esse Maluauiscum, seu alteam, & brancam ursinam, cum tamen differant tota specie, bene branca ursina idest Acanthum potest habere eandem uim, non tamen idem sunt, ut declaratum est. Dicit Rasis, in aceto posita AGITENTVR. Quia

Medioore.

Efficacissimum remedium.

Psilium.

uult mucilaginem extrahere, deinde cum aceto applicare, ut exempli gratia. Recip. sem. alteæ unc. ij. & agitentur quousque uiscositas extrahatur, deinde addere acetum, & applicentur, quia magis penetrabit medicamentū, quia ex se cum sit crassum, et uiscosum nō penetraret. EX PSILIO QVOQVE, SI RELIQVA NON CONTVLERINT, ET ACETO POTERIT EMPLASTRVM CONFICI. etc. Si reliqua, dicit Rasis, non contulerint ad hoc efficacißimum remedium condescendas, et licet Gal. in secundo frigidum ponat psilium, Diosc. tamen dixit, si ponatur in aqua feruenti, refrigescit aqua et caueatis à fœdo errore Herculani, et omniū modernorum, qui secuti sunt Mesuem, à quo acceperunt, q, in medulla psilij caliditas sit in quarto in superficie exteriori frigiditas in secundo sed isti in hunc errorem deuenerunt nulla ratione præhabita, & experimento, crediderunt Authori suo, quia si esset calida in quarto escaras faceret magis, quæ euphorbium, tapsia, & cātarides, immo si apponetis ipsum tritum in loco, manifestam percipietis frigiditatem et hæc quantum attinet ad curationē doloris capitis ab humore sanguineo.

DE DOLORE CAPITIS à materia biliosa.

SI AVTEM cum istis fuerit in pulsu uelocitas, et in tactu sentitur caliditas &c. Diximus empiricos à syndrome signorum ad cognitionem ægritudinis deueni-

re & accipiunt tot signa indicantia ægritudinem, ideo inquit, si in pulsu fuerit uelocitas, & caliditas ad tactum sentiatur, quæ sunt signa duo positiua. IN FACIE autem nec rubedo (inquit) nec in oculis fuerit, nec tẽsio quæ sunt signa priuatiua, Hæc cum affuerint, necessario erit dominium bilis, & ratio huius est, quia cum adsunt hæc signa, erit dominiũ necessario materiei calidæ in corpore, et tunc uel erit sanguis, uel bilis, aut aliquid proportionabile, quoniam hæc duo tantum sunt calida sed nõ est sanguinis multitudo nam uelocitas in pulsu non dominaretur, præterea rubedo adesset, quæ signum pathognomonicum est semp & soli sanguini accommodatus, ergo non erit dominium sanguinis nec etiam tensio, aut grauitas est ergo dominiũ erit bilis, quia illa duo signa necessario faciunt concursum additur. IN FACIE nec rubedo, nec in oculis adest, ut bilis dominium innueret: q, in bile sit caliditas ad tactũ hoc est clarum. De uelocitate autem in pulsu scire debetis, q, in dominio bilis augetur necessitas euentationis caloris innati, quæ una est ex ijs tribus causis facientibus diuersitatẽ in pulsu, Aucta hac necessitate augetur pulsus, primum autem quod facit, aucta necessitas est, sed hoc facit ubi dominium est sanguinis quia ibi est uirtus ualida, & instrumenti obedientia ob eius humorem. At ubi bilis adest dominium, exiccatur arteria, ideo non est ita obediens, nec uirtus ita potens, & ita cum natura nõ ualeat dilatare arterias, & facere pulsum magnum, supplet cum uelocitate, & quod cum magna distantia non facit, cum uelocitate facit, quæ si tolleretur, cum frequentia suppleret, Bene igi

tur tetigit scopum Rasis. Quid igitur in dominio bilis faciendum est? IN PRINCIP. (inquit Rasis) SOLVATVR, uenter non dixit fiat phlebotomia, DEINDE fiant ea, quæ diximus. Quia ubi erat dominium sanguinis à phlebotomia incepit, hic autem, quia dominiũ est bilis, dixit in principio soluatur uenter. Si autem quæratis ab empiricis cur primo euacuent corpus, postea phlebotoment, & alia faciant, dicunt ita alios fecisse. Duo hic sunt uidenda, primo an stante dominio alicuius humoris in corpore debeamus mittere sanguinem necessario, secundo si phlebotomia, & pharmacia fuerit necessaria, utrum debeamus incipere à mißione sanguinis an uero ab euacuatione per uentrem. Quantum sit de primo facilis est responsio secundum Galenum in quarto de tuend. sani. Est enim regula apud ipsum, si fuerit dominium paucum humoris cum sanguine sitq; illius parua distantia à natura sanguinis debes tunc mittere sanguinem non tamen tantũ, quantũ si fuerit dominiũ multũ sanguinis si aũt multũ distanerit à natura sanguinis ad huc partius, si uero plurimũ non debes tunc sanguinem educere sed euacuare, itaq; tres sunt gradus, parum, multum, & plurima per regulam, sed quare hoc est, quia ubi plurima distantia à natura sanguinis ibi non adest indicatio aliqua à causa, neq; ibi est uirtus, quia duos habemus scopos à Gal. in libro de ratione curandi per sanguinis misßionem, uirtutem scilicet & naturam sed ibi non adest sanguinis multitudo, nec uirtutis robur, quæ cum humoribus corruptis nõ sunt & deprauatis, & cum paucitate sanguinis non stant, igi

tur

tur non phlebotomandum, sed euacuandum est primo casu. Quoad secundum dictum Herculanus, & Moderni dicunt, si humores fuerint sanguine permixti, nec commode per phlebotomiam educantur tunc ab euacuatione per pharmacum incipiendum est, sin uero apti educi tunc à phlebotomia. Sed quid est dicere humores permixtos sanguini non commode educi, uel intelligis crassos, & uiscidos, & hærentes, Aut q, minimum cum minimo commixtum sit. Si primum dicat totum oppositum est faciendum, quia Gal. super Aphorismo illo concocta medicari, & in libro quos, quomodo & quando purgare oportet, uult, q, crassis existentibus humoribus nullo auxilio moueantur, quia non attingeremus scopum, sed agitaremus ipsos, ideo abstergendi prius sunt, & incidendi, si autem intelligas p mixtos esse secundo modo tunc à phlebotomia esset incipiendum, quoniam habemus tunc maximam occasionem educendi per sanguinis mißionẽ. Addit Herculanus, ubi autem esset inflammatio in uisceribus à dominio sanguinis uel humoris alterius à phlebotomia incipiendum est saltem diuersiua, sed hoc est contra Hippoc. in secundo de ratione uictus in acutis ubi ait. In pleuritide quæ est inflammatio in pleura succingente costas, & in membro nobili dolore descendente ad hyppocundria à purgatione per inferiora euacuato ascẽdente autem ad furculam per phlebotomiam. Galen. in 13. Therap. de cura Erisipelatis loquens inquit esse euacuandum in ipso, non sicut in phlegmone, & inflammatione, si in inflammatione misit sanguinem in Erisipelate ergo non est mittendus & tamen eua-

Responsio Modernorum.

Herculani error.

cuat per inferiora ad diuertendum. Quid autem sit dicendum pro determinatione secundū difficultates ad Gal. qui dat regulam, quando à missione sanguinis uel humorum euacuatione sit incipiendum recurramus. Regula est, uel humores qui dominātur sunt in primis uenis citra hepar uel in interioribus ultra substantiam hepatis, si in primis fuerint idest in meseraicis, quæ uentriculum, & splenem circundant, nec nō intestina, tunc dico anteq̄ mittamus sanguinem euacuandum esse, & ratio est, quia si educemus sanguinem humores comperti in primis uenis existentes traherentur ad hepar, & augeretur obstructio, & prohiberetur euentatio, ideo primo humores in his partibus, & in fundo uentriculi existentes sunt euacuandi. Si uero fuerint, in alijs uenis, uel sunt semi crudi, hoc est subtiles, & tenues, tunc præcipit Galen. sanguinis missionem non esse ommittendam, si autem fuerint mixti sanguine, & crudi accipiendo cruditatem, quæ opponitur coctioni, uel fuerint crudi, sicut ille quem praxagoras uitreum appellauit, non est tunc ad sanguinis missionem recurrendum, nisi prius concocti, & post euacuati fuerint, si uero limosi, & adusti sint non est mittendus sanguis. sed clarius in quinto Therap. de cura catarrhi, ubi inquit, si humores fuerint limosi, in uenis non est sanguis mittendus, sed prius euacuandi sunt, ut sanguis mundificetur.

Dicit ergo Rasis IN PRINCIP. Soluatur uenter, &c. Vbi dominium bilis adest in corpore, ratione cuius dominij fiat dolor capitis à solutione uentris primo, secundo ad missionem sanguinis est accedendum, quia in

uen=

uentriculo, & uenis primis meseraicis existit, quæ ascẽdens ad caput dolorem facit. ideo prius oportet incipere per regulam iam dictam ab earum purgatione, quæ in primis uenis sunt, ne fiat attractio ad uenas, & maior fiat ebullitio, & febris fiat, ut in quarto de Tuen. san. declarat Gal. ex indebita sanguinis missione posse accidere, cũ igitur fuerint humores in primis uenis, à purgatione tunc incipere debemus, & hoc recte facit Rasis dum in principio soluit uentrem, sed cum quibus id fiat, tacet, quia supponit cum iisdem uel similibus .i. cum mitibus, & leuibus, quæ non soluunt ualidæ, sicut est scamoneum, sed cum mirobalanis, tamarindis, prunis, manna, caßia, Rhabarbaro, quæ recte dicuntur ab istis benedictæ. Quare autem in acutis à materia calida maxime ubi bilis dominatur, in febribus præcipue, & doloribus maximis non conueniunt hæc scamoneata? Actuarius in sua meth. lib. v. cap. de scammonea declarat hoc & dicit. Scamonea est forte solutiuum, membra naturalia summe afficit. Et de scammonea inquit ratione subtilitatis suæ substantiæ facile attrahitur à uenis, conturbat humores, quibus conturbatis, cum non poßit uirtus expellere eos per uias debitas expellit ad membra nobilia. ideo Hipp. 1. Apho. 24. in acutis paßionibus raro, & non nisi in principio utendũ medicinis purgantibus asserebat, sed bene dictis utemur DEINDE si aut ea, quæ diximus &c. Multa dixit Rasis, ideo possent dubitare iuniores, quid sit, illud, de quo intelligat. Dicerem à sufficienti diuisione neceßario de phlebotomia sola intellexisse. De uictus quidem ratione non intellexit,

quia inferius explicabit eam, non de epithematibus, & em plastris quia sæparata posuit in hoc libro quæ à primis sunt differentia. ideo cum de his non intelligat, necessario de phebotomia, dixit, ut facta uĕtris solutione primo sanguinem mittendum quia regula est, si dominium bilis tale esset, ut plurimum distaret à natura sanguinis, ita ut longe dominaretur bilis. tunc non esset mittendus sanguis, quia ille humor plurimum à sanguine distat, ubi non multum distaret, mittendus esset, sed parce, ut ubi parum copiosior eßet facienda euacuatio sanguinis nisi dominaretur bilis in longe maiori proportione sanguinem, & usque ad summum, deinde fiant alia generalia, ut epithemata, & alia, quoniā in genere saltem conueniunt, ideo diximus in numero plurali. NARIBVS autem oleo iniiciatur, & uiolatum, oleo cucurbitæ dulcis &c. Hic quidē post euacuationem per pharmacum, & phlebotomiam applicat localia, & conuenienter iuxta regulam iam dictam. materiæ autem sunt OL. VIOLATVM, & recte quoniam contraria contrariis curantur, & quia frigidum & humidum est circa secundum gradum, ideo conuenit humori calido & sicco. Oleo cucurbitæ dulcis, quæ frigida est, & humida, in secundo dixit ad differentiam amaræ, quam colocynthida appellant, hoc est amaram cucurbitulam, quæ se habet ad domesticam sicut cucumer syluestre, elaterium dictum cum domestico, quarum unum in frigida materia, alterum in calida conuenit. AVT oleum de nenufaris, quia frigidum est circa tertium. ideo scire debetis ex Gal. 2. & 3. de simpl. medic. ꝙ ol. materia est omnium

niũ liquidorũ, et nullã insignem facit qualitatẽ, sicut duro rũ materia est lithargyriũ, sic oleum est materia omniũ liquidorum, & infusionum, & ideo nullam addit qualitatẽ, quidquid coquatur in oleo, unde denominationẽ à simplici accipit, ideo si cucurbita frigida & humida in secundo, ita oleum tale erit, similiter oleum nenufarinum, aut oleum illud de floribus salicis, quod frigidum est circa secundum, licet non ita humidum sit, cum ad aliquam siccitatem declinet, & sunt hæc diuersa olea, quia sunt diuersæ dispositiones corpis, quia senũ corpus est siccũ, cõuenit magis oleũ de salicibus, pueris uero, mulieribus, & eunuchis magis conueniet humidũ & calidum. Hic est unum notandũ, cum dicat Rasis. QVORVM quodlibet super niuem infrigidatum, &c. non dixit refrigerari in niue ea, quæ in auribus ponuntur, aut oculis, aut in alio sensus instrumento quia si potentia frigida apponeretis in instrumentis sensus offendetis ipsa non solum quà instrumẽta sensus, quæ à frigiditate maxime lædantur, cum operationes omnes à frigiditate lædantur, ut in primo de causis symptomatum à Gal. habetur uerum etiã, quia neruosa quia frigida dicebat Hipp. Aph. 18. inimica sunt dentibus, neruis, oßibus, ideo bene facit Gal. qui in secundo de compositione med. secũdum locos ad aurium inflãmationẽ docet infusiones apponere tepidas in auribus, & septimo & 6. Therap. licet dicat, hecticis nihil magis conuenire aqua frigida quia ex toto operatur, cum ipsa sit frigida & humida tamen recte curari dixit quia hectici habet denudatã interiorem partem uentriculi, & intestinorum, & occur-

currunt illa frigida neruis, ideo periclitātur, nec possunt facere operationes suas, similiter nec frigida in potentia multum, unde Gal. in secundo de compositione med. secundum locos contra Apollonium disputans de remedijs applicandis capitis in dolore dicit. Curanda esse potentia frigida sicut opium, neque instrumento sensuum applicanda esse, propter ea quia licet uideātur proficere in principio deprauat tādē sensū iō Gal. 12. Therap. cap. ultimo solū in aliquo casu uult, ut exhibeātur ista stupefacientia, cū ergo dicat Rasis sup niue infrigidentur, ut capiti tātū applicetis, intellexit, quia tutò id potest fieri, quia frigiditas antequam accedat ad substantiam cer. caput est uelatum peritoneo, osse cranei, ideo crassum est, quare remittetur frigiditas & deperdetur in itinere, quia per tot partes penetrat. Intelligatis igitur q; hæc olea tepida exhibeantur, & mediocriter super niuem infrigident, infrigidata capiti superfundantur, innuit q; nullo pacto in auribus infundantur, sed tepida sint, & eadem infrigidata in niue capiti apponantur. ET NVTRIATVR. ut prædiximus &c. Ecce quomodo prius uoluit uentrem solui, secundo phlebotomiā, tertio apponere in auribus, & naribus olea iam dicta, & tepida, quarto ut nutriatur sicut prædiximus, sed quod prædixit nutriendos esse lentibus primos cum aceto in quibus erat dominium sanguinis, quæritur modo an conueniat eadem uictus ratio? uidetur q; nō quia lentes, & acetū siccissima sunt, & exacuūt humores, quomodo ergo bili, quæ sicca est cōuenient. Domini quantū ad illas herbas frigidas nō uidetur dubitatio

quia

quia Gal. in primo ad Glauc. ubi tertianam curat dicit summopere conuenire biliosis febrientibus, quia frigida & humida ideo qualitatibus contrariantur, Vbi autem dominium bilis est parum nutrire debemus, nisi cum accedit ad stomachum, & facit syncopam, sed hoc est ratione symptomatis, & coacti, quia dicebat Hippo. secundo Aph. Non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis hædes, De lentibus etiam conueniunt biliosis ruffa bile laborantibus, cum bilis aerea, tenuis, & erodēs sit ideo requiritur, q. obtundatur, & q. habeat emplasticam substātiā, ratione igitur suæ substantiæ lentes conueniunt, quia crassum humorem generant, & ad frigiditatem declinant, ita q. ratione actiuarum qualitatum saltem sint contrariæ, licet ratione paßiuarum, quia ad siccum declināt siccæ sint, cur igitur erodant, ostendam causam in lentibus, cur autē acetum summe cōueniat picrocholis, & Hipp. inquit tertio Acut. tex. ib. ideo acetum picrocholis conuenire, quia facit degenerare bilem in pituitam, quem locum debetis aduertere, quia uidetur defecisse, & contra prin. Galen. in quo loco dißimulauit Galenus quia bilis per excessum caloris est facta, ut iterum abeat ad cruditatem uidetur impoßibile, cōuenit igitur acetum picrocholis, quin immo frigidißimum est ratione frigiditatis quam in se consideramus, quia non transit uix primum gradum, & tamen refrigerat magis, q̄ ea, quæ in tertio frigida sunt, sed dicetis, quare hoc est? uideatis Gal. in xi. de Simp. med. in cap: de castoreo: dicit ibi, q. licet castoreum non sit ita uirtutis exiccantis, & calidæ sicut alia multa, longe tamen magis exiccat

Lentes crassum humorem generant et ad frigiditatem declinant.

Acetum conuenit Picrocholis.

Et contra principium G. ideo hunc locum dissimulauit.

quare Castoreum magis exsiccat quam alia

exiccat, & calefacit q̃ alia multa magis calida quia habet tenuitatem subſtātiæ, quæ penetrat ad profundū, & diſcutit, ideo dat regulam ubi eſt tenuis ſubſtantia, magis imprimit, q̃ alia maiora, quæ craßioris ſubſtantiæ, & hoc comprobat alibi, cum compoſuit omphacium, hoc eſt ſuccum agreſtæ cum aceto, & dicit licet frigidius ſit omphacium aceto, longe tamen magis acetum infrigidat, rationem reddit, quia aſtringit omphacium, & ſubſtantiā habet craſſam, ideo minus refrigerat, acetum uero ſubſtātiam habet tenuem, ideo magis refrigerat, ideo recte ſoluitur illa difficultas in quarto de Simp. med. ij. q, acetum non ſit frigidum niſi circa primum, mel aūt calidum in ſecundo, poſtea dicit ſi accipiatur mel, & acetum ſimul in pari portione q, multis numeris magis in hoc compoſito refrigerat acetum, q̃ calefaciat mel, cū tamen totum oppoſitum facere deberet, quia mel calidum eſt in ſecundo. ideo uidetur q, Gal. ſibi cōtradicat. Soluit Gal. quia mel craſſæ ſubſtātiæ, acetum tenuißimæ, ideo ſummopere penetrat, ideo pluribus numeris refrigerabit acetum, quia anticipabit refrigerare loca acetum ad quæ nō perueniet mel. Habetis quomodo ſit uerum dictum Raſis ET nutriatur æger ut prædiximus in illis, in quibus dominatur ſanguis cibis frigidißimis & humidißimis & lentibus aceto appoſito, ſimiliter etiam in quibus dominatur bilis. AEGER qı oq; odoret camphoram &c. præter infuſionem in auribus & naribus, & alia omnia ad ſedandum dolorem enumerata & enarrata docet camphoram eſſe odorandam, & aquam roſatam, & ſalices, & uiolas, & his ſimilia, ideo

ideo pomum conficere poteritis ex puluere nenufaris, uiolarum, rosarum florum salicum, & addere camphoram, & inuoluere in syndone, & sæpe irrorare aqua rosacea, uel uiolarum, uel utraque simul, & sæpe odorare, & habere partes æquales omnium præter camphorã quæ superet omnes alias, similiter sandalos omnes poteritis addere. Camphora enim frigida & sicca est in tertio à Galeno incognita ab Actuario nota, qui dic quòd nascitur in India, tam magna, & procera, ut multæ centuriæ hominum possent habitare sub ipsa, & folia ferulacea, & truncum inanem habet, ex quo manna emanat, quæ postea concrescit, & camphora appellatur, & dicitur habere proprietatem sedandi dolorem à materia calida. QVOD SI AEGRITVDO multum inualescat sumatur opij, & camphoræ uniuscuiusque quantum ponderant duo grana ordei, &c. Bene dixit. MVLTVM inualescat. Ideo habeatis pro confesso, quod opium non exhibeatis, quia Gal. in secundo de compositione med. secundum locos contra Apollonium disputans dixit non debere exhiberi opium nisi in doloribus, in quibus uel mortẽ, uel syncopam expectamus, ad quam syncopam sequitur mors, ideo in dolore capitis, inquit, non debemus exhibere, quia nunquam ad tantam magnitudinem peruenit, ut cogat ægrum se interficere, uel in syncopam cadere, immo in quocunque gradu imaginabitur, minor est quam dolor aurium, dentium, oculorum, & colicus, ex quibus homines moriuntur, immo coguntur se præcipitare ex fenestris, & ego uidi infectum tali dolore præcipitatum in

teri=

teriisse, ideo periculosa sunt admodum ista stupefacientia, quoniam nihil aliud faciunt nisi mortificare, unde nunquã ad Phylonium accedit. Gal. nisi cum timet mortem sed ad Thyriacam nouam, & ad diaspermaton, neque unquam usus est opio, à quo mortuus est ille infœlicißimus huius gymnasii Patauini splendor, & decus, & dicebat Galen. 12. Therap. antequam occurrendum esset his symptomatibus, nisi habeant rationem causæ, quæ ducat ad mortem in quo casu ne moriatur æger, inquit esse opus, ut stupefacientia exhibeamus, postea curemus uitium, quod inducunt, unde Auic. dicebat, Cum prouocaturus es somnum, non transeas tale; quale est papauer album. Rasis autem cum, si magnus sit dolor, opium proponat, consulerem ego uos, ut aliter faceretis, is enim cũ duobus granis camphoræ, grana duo opij accipit, quod non est tutum, sed imitamini Gal. qui in inflãmationibus auriũ accipit opiũ correctum, & duplum castorei, & si plurimus sit dolor æqualem partem quia calidum est. ideo neque Gal. neque alius unquã exhibuit opium sine medicina calida. Ras. excepto, qui cum camphora, & in oleo de salicibus dissolutũ uult in auribus infundi. Gal. autem aut calida medicamenta accipit, aut lac muliebre in secundo de compositione medic. secundum locos accipit, & ita habetis, quando sit exhibendum opium in dolore, scilicet tali, ut nisi occurratis duceret ægrum ad mortem. Rasis dixit cum camphora, & quantum duo grana ordei ponderant, ego autem potius crocum eligerem, uel castoreum, & cum opio componerem, nec in oleo de salicibus, sed calidiori potius infunde-

Auicenna

opinio Montani

funderem, ut illa uis refrigeratiua obtunderetur, & hæc de diſpoſitione à bile pendente.

DE DOLORE CAPITIS *à materia phlegmatica.*

PRopoſitum fuerat Raſis in præſenti cap. in primis de dolore capitis à materiali cauſa per eſſentiã deinde de alijs, qui per conſenſum fiunt ab alijs mẽbris inferioribus pertractare, tertio de dolore prouenięte à cauſis primitiuis, in prima parte huius capitis egit de duobus cauſis materialibus in cerebro exiſtẽtibus, uidelicet de dominio ſanguinis & bilis, & de his exacte uidimus, & quomodo empirice curandæ ſunt. Nunc conſequenter reſtat uidere de dolore capitis, qui procedit à frigidis materijs tam à pituita, q̃ à melancholico humore. Et ita de omnibus exacte determinatum erit. In hoc autem capitulo ſciendum eſt, q; Raſis, tractat de dolore capitis tàm qui à pituita, q̃ qui ẽt ab humore melancholico prouenit & ratio eſt, quia aliquando tam ſimilia ſunt, quæ indicant pituitæ dominium, & atræ bilis, ut non niſi cũ maxima difficultate cognoſcantur, & ratio eſt, quia ſiquis abundat atrabile, etiam pituita abundat, quia complexio frigida & ſicca plurimo excremento pituitoſo abundat, ut in ſecundo de Temp. docet Gal. item rugitu, & flatibus abundat, ideo à coitu iuuantur, ut Ar. in Probl. ait, cuius ſignum eſt, quia Antiqui in omni medicamento atram bilem euacuante portionem magnam ponunt earum, quæ purgant pituitam,

Propositum Rasis huius capitis huius.

Quare hic de utroque humore simul tractat.

Nota

tam, sicut est Hiera Archigenis, Gal. Ruffi, Hiera Logo-
dij, in quibus sunt colocynthis, agaricus, & genera titima
lorum, Bene etiam Rasi studens breuitati mire hæc duo
commiscet, quia curando dolorem capitis à pituita, siue ab
atra bile prouenerit non errabit, q; autem in hoc capitulo
hæc duo proponat ex signorum concursu patet, quia cum
solitus sit Rasis ponere concursum signorum ægritudi-
nis quam curaturus est, & concursus in his communis sit,
non ergo magis de atra bile, quã de pituita pertractat, licet
rubrica sit posita de cura phlegmaticæ cephaleæ, ut ex iã
dictis apparet, ideo inquit Rasis. SI CVM prædictis æ-
gritudinibus nihil harum fuerit de rubedine in facie, &
fuerit ægritudo antiqua, dicit si fuerit ægritudo anti-
qua, quia ubi uidebitis dolorem capitis permanere, nec ibi
adesse signa caliditatis ergo ibi adest frigida ægritudo, ua
let optime consequentia, ex remotione signorum calido-
rum, & perseuerantia ægritudinis. Ideo Gal. in lib. de cõ-
positione medicamentorum secundum locos dicit quòd
ægritudines perseuerantes sunt frigidæ, & si à princi-
pio causam calidam habent, quia resoluitur caliditas & ex
halant partes subtiles, & remanent frigidæ, Ideo cũ fue-
rint signa materias frigidas indicantia absq; signis cali-
dam materiam attestantibus ergo ægritudo erit à mate-
ria frigida sed non magis à pituita, quã ab atra bile, quia nõ
adest signum distinguens & licet dixerit de rubedine, idẽ
etiam intelligamus esse dictum de caliditate pulsus magni,
Antiqua autem ægritudo est signum positiuum indicans
ægritudines à materia frigida descendentes. Hic est notan
dum

Communis signorum in his duobus humoribus communit &c.

Antiqua ægritudo est pathognomonicum signum quod pendeat a materia frigida

dum unum uerbum cum dicitur. SI CVM prædictis ægritudinibus cum tamen dolor capitis nō sit ægritudo sed accidens, neque de causis, intendit symptomatum, quoniam causæ symptomatis sunt morbi, neque etiam debile, & sanguine intelligit, ergo intelligit, SI CVM prædictis ægritudinibus idest cum prædictis doloribus, si fuerint hæc signa materiæ frigidæ & notate, q; hic modus loquendi appellare dolorem ægritudinem est res usitata apud Antiquos, maxime cum ad uulgares loquuntur, & quia apud ipsos dolor ægritudo existimatur, ideo tali modo loquendi usus est, sicut Gal. in primo de substantia animæ, ubi ait, non curare exacte distinguere nomina, cum apud uulgares loquitur, sicut fecit Plato, qui inanimata plātas appellauit loquens de uulgaribus, qui distinxerūt eas per sensum, cætera animalia appellat. Cum autem distinctionem facit ab anima sumptam, dicit plantas esse animatas, quia tunc non curauit de nominibus, Ideo Rasis secutus Antiquos, non est mirum, si ægritudines appellauit capitis dolores, quia non curauit de nomine, quid autem sit faciendum empirice procedens ad curam accedit, & remedia adhibet, nulla sumpta indicatione à natura rei, sed tantum ex obseruatione, & hystoria, & ait: IN PRINCIPIO uenter soluatur cum pilulis cochijs uerbum illud IN principio ponderate, quia non intelligit hominem esse statim euacuandum tali dolore affectum, quia maxime erraretis, & augeretis dolorem, & uirtutem debilitaretis, quia humores exagitaretis, quibus exagitatis ascenderent ad caput, & subtiliarentur, & penetrarent ad par-

tes,ad quas non penetrassent. Quare non credatis ipsum diuersum fuisse à Gal. & Hippocr. sententia, qui clamant concocta medicari, non cruda. Sed esset contra ipsum potius, qui in continentibus, quod Gal. uoluit, si autem materia calida & subtilis esset aliter forte diceret Rasis, de qua quidem re, an. s. in materia subtili sit concoctio expectanda, & de hac concoctione dicemus aliàs. Pillulæ ergo in principio idest ante phlebotomiam intelligatis, quando scilicet est necessaria, sed hic non est necessaria, & ante fomenta, & localia, & est ferè sensus idem. Quando dicitur in principio bilis soluatur uenter ante sanguinis missionem, & cum pillulis cochijs præparata prius materia, uel cum oxymelle, uel simplici, uel scillitico, uel composito ex seminibus, uel radicibus cum syrupo de betonica, de stæcados, ut exēpli gratia. Ante concoctionē accipiendo oxymellis uel simplicis, uel compositi, uel scillitici secū dum fortitudinem subiecti, & crassitiem materiæ unc. i. uel s. secundum q. membra magis, uel minus erunt sensibilia, Decocti Betonicæ, maioranæ, saluiæ, cimini, uel anisi ad incidendum, & post tres dies si urgebit necessitas apparentibus signis aliquibus concoctionis in parua quantitate secundum Auicē. præceptum facere medicamentum forte debile, hoc est cum medicamentis fortibus debilibus, postea ad alia transire, & paulatim euacuare, paulatimq; concoquere, Si uero apparebunt signa concoctionis manifesta, & perfecta, forti existēte corpore fortem euacuationem facietis, & dabitis medicamentum completum, in dosi completa, si non habeatis occasionem, paulatim co=
quetis,

quetis, & paulatim euacuabitis. Circa pillulas cochias, primo de nomine sciatis quod idem est dicere pillulæ cochiæ, sicut si diceremus pillula pillulæ, quia cochia à Græcis pillula dicitur, ut si diceremus, Canonicus regularis, Igitur nugatio committitur, & consuetudo ita inualuit, ut Nicolaus Niresius natione Græcus lingua patriæ appellauit cochia cochiarum, sed nescio, quid uoluerit dicere, et ibi ponit eandem receptionem. Quantum autem ad rem ipsam scire debetis tanquam in typo, & exemplo, ut initiati in Arte componendi medicamenti sitis, quod cochiæ hic summa Arte conficiuntur. Ideo septem consideranda sunt de eis, primum est, quæ sint ingredientia, & qualia, secundum quæ fuerit ratio, & scopus cōponēdi, tertio quæ ratio ponderum ponēdorum, quarto quæ sit proportio eorum, quintum quid resultat ex mixtione, sextam utrum dosis sit conueniens, septimum quem fuerit imitatus, an uero fuerit sua inuētio. De primo habetis considerare puluerem hieræ picræ .i. hieræ simplicis, quum Gal. dicit ex sex rebus esse confectam in lib. de Tuen. sani. in lib. de compositione medicamentorum secundum locos in septimo Thera. Ex cinnamomo, mastice, assaro, xylobalsamo, croco, & aloe omnium pondus est drach. vi. Aloes autem centum huius Rasis accipit drac. x. colocynthidis, drach. iij. & tertiam unius, de qua scire debetis, quod inter omnia medicamenta hæc maxime stomacho inimica est, & naturalibus membris, non solum quia amarissima & mordacissima est, sed ob eius uim solutiuam, & quia leuissime ad hærens orificio stomachi maxime sensibilis, ideo dolores facit,

D iij

De Pillulis Cochiæ quod sint, de ratione et compositione earum:

Septem Considerandae:

I

Quae sint Ingredientia.

Compositio Hierae simplicis.

Colocinthis inter oia Medicamenta maxime Inimica Sthomacho et naturalibus membris.

cit, uomitum prouocat, humores prauos ad stomachũ aggregat, scammoneæ drach. i. s. De scammonea debetis scire, nos non habere uerum scãmonium, sicuti habebant Antiqui nunc asportatur in pellibus sicuti aloes, Antiqui uero habebant ipsum in paruos pastillos, & spongiosos, At nostrum ponderosum est, ipsi radicem scalpebant postea fouellam faciebant, in qua guttatim cadebat, & in conchilijs recolligebant, & pastillos faciebant leues, ut diximus, unde longe deterius est nostrum hoc Turbith ingreditur, de quo quæstio magna est, quid nam sit. Ser. inquit quod est radix Tripolij, Mesue Tithimalli, ferulæ similis, Actuarius Turpet appellat, uultq; esse radicem pitiissæ uulgari nomine esulam appellatam in Dios. illo addito, et spurio habetur radicem esse pitiissæ, quũ Turpet appellauit, sed quia radix ea, quam nos habemus neque pitiissæ, neq; Tithimalli, neque Tripolij est, ideo desideratur à nobis, & ego quondam interrogaui mercatorem Ianuẽsem, an nunquam uidisset plantam hanc? dixit eam uidisse, & q; habet folia Myrtho similia, ideo tutius esset penitus dimittere eam, De quo expertus sum, q; drac. iij. per se sumptæ nihil aliud, quàm perturbationem sine solutione sunt operatæ, & quia cum colocynthide, & scammoneo ferè semper ponunt, credunt solutionem ab ipso prouenire, quod est falsum. Stecas est herba odorifera in stecadibus insulis prope Marsiliæ ciuitatem, quæ tres sunt ita seriatim positæ, ut stechados appellarentur, ex his defertur stechas, quæ secũdum Gal. contrarias habet uirtutes, ex partibus enim frigidis constringentibus, & constipantibus,

nec

nec non ex calidis amaris, aperientibus constans, Ideo maxime conuenit membris naturalibus, sicut absinthium, & alia amara, quæ simul astrictionem habent, sed q, capiti appropriata sit, sicut Moderni existimant, qui in omni medicina capitali semper stæchadem apponunt, non uideo, non negamus tamen id posse facere, quia odorata & quia corroborat spiritus, calefacit, expurgat, & purificat spiritus ideo cōfert capiti, sed quoniam alia multa suauissima sunt, quibus nō attribuitur huiusmodi uirtus, dicerem id esse factum, quoniam Medici nostri, cum uideant insignem medicum uti medicina aliqua, cum aliquid agere uolunt, ipsum imitantur, & non scientes id ex methodo et ratione cum cæco duce ambo in tenebris ambulant, & ita omnes errāt nunquid modo conueniens sit capiti, assentio quidē, sed non ita appropriata. Quoniam Gal. medicinam hanc oppilationibus summopere conuenire utique asserit, non tamen ita capiti appropriatam. De secundo quæ ratio est, & scopus componendi, Diximus eam fuisse, ut pituitosi humores primo euacuentur, secundario biliosi. Vt autem pituitosi purgentur colocynthida, & Turbith in magna quantitate apposuit ut biliosos scammoneum, in minori tamen quantitate, quia id minus intendebat, ut omnium commode fieret, quia scammoneum habet uim, ut stomacho inimicetur & cum ipsum humores attrahat prauos, propter cuius consensum Apoplexia Epilepsia & uertigines oriuntur, ut uirtus stomachi custodiret, semper quidem maxime autem in casu isto, hieram picram Gal. quæ maxime stomacho utilis est, & conueniens, apposuit. Immo propter

eam causam Andromachus composuit eam, habet stæchadem in magna quantitate, quam dixi conferre capiti maxime, & membris naturalibus sua ui astringente, & confortante, nec non odore suo consolante, sicut Gal. cum seseli, & dauco fecit, ut uirtus stomachi confortaretur: Videtur ergo quomodo intentio Rasis fuerit in ea commiscere, quibus tutò ac cōmode euacuatio hæc fieret. De tertio. s. de ratione ponendorum talis fuit, ut ea, quæ consolantur ad robur, uel ad remouenda medicinæ uitia in maiori essent quantitate, idcirco eorum quantitas fuit drach. xv. stæcadis quidem quinque, Hieræ picræ. x. cum tamen omnium dosis sit drac. xxv. ideo consolantium drac. xv. sunt, euacuantium. x. quoniam id quod rationem habet basis medicamenti iuste amplum debet esse, Et ita uos faciatis in uestris compositionibus, ut consolantia sint in multa quantitate, euacuantia uero quantum satis sint, ut euacuent, licet illud foret minimum pondus, & si aliter faceretis, errabitis. De quarto idest de proportione ponderum ingredientium scire debetis, q̀ medici omnes numero impari summopere studuere, cui maximam uim dedere. Vnde Ar. in primo cœli secundo ternarium numerum mirifice extollit, sine ratione tamen, tanq̄ ei insit arcanum quoddam, ideo pillulas, & syrupos in numero impari exhibent. Nam & natura ipsa dies creticos impares facit, in quibus semper magnas mutationes ad salutem præcipue efficit, Et ideo Medici institutum hoc (licet absque ratione sit) obseruant quod à Rasi minime ommissum fuit, qui sciens secreta componendi merito colocynthidis drac. iij. unius tertiam

[Handwritten marginalia: 3 Ratio pon. derum; 4 Proportio ponderum; Pillulae et Sirupi in impari numero exhibentur.]

tiam in ſua compoſitione appoſuit, Et forte nullus erit, qui non admirabitur, cur drac.iij.tertiam unius poſuerit, forte Plinium imitatus, qui deridebat minima hæc pondera, qui arcana ignorabat. Si enim hæc minima obſeruantur, proportio ſeruatur, immo minimum granum ad totam harmoniam conducit, Non igitur abſque ratione factum fuit, ut collocynthidis eſſent drac.iij.& tertia unius. Scamonij drac.ij. & s. Turbith drac.vi. & ut minimum ponderis haberetur uideatis totam miſtionem. Hæc enim drac. xxv.ſcrup.ij.g. x.diuiduntur in x. doſes ſicut fecit Raſis in ſingula doſi colocynthidis primo erant.g.xx. ſcamoneæ.g.xv.Turbith.g.xxx.iſta omnia debent habere proportionem, ut harmoniam habeant ſecundum numerum imparem. Diſcurramus igitur rem ipſam, ſcamonium habet.g.xv.colocynthidis.g.xx. proportio ſcamonij ad colocynthida eſt ſeſquitertia, hic enim numerus uigenarius qui maior eſt totũ numerũ ſcamonij, ſuperat in ſeſquitertia, quia ergo numerus ſcamonij eſt. g .xv. colocynthidis.g.xx.xx.autẽ ad xv. proportionẽ habet ſeſquitertiam ergo proportio horum talis eſt. Turbith uero g.xxx.ſi referãtur ad doſim colocynthidis, quæ eſt.g.xx. proportionem ſequi alteram conficiunt, Accipiatis prætera omnia medicamenta pituitam purgantia, colocynthida .ſ.& Turbith & eorum doſis ſimul accipiatur, numerũ facient quinquagenarium hinc comparatæ cum medicamẽto bilem purgante, ſcamonio.ſ.cuius doſis erant. g.xv.reſultat proportio ſuper tripartiens, ſexquitertia. Hic.n. numerus quinquagenarius ter numerum.xv.& tertiam

partẽ eiusdem, Accipiatis postremo basim, et fundamẽtũ huius harmoniæ, & cõpõnis, cõsolãtia. s. medicamẽta hieræ drac. x. stæcados dra. v. quæ. xv. faciunt, soluẽtia med. habebant drach. x. quæ ad. xv. proportionem faciunt sesquialteram, continet enim numerus. xv. denarium numerum in se, & eius medietatem, & ita semper seruatur proportio tripla. Ex quibus omnibus fit harmonia mirabilis ab Hipp. diuino habita, & hæc quoad rationẽ proportionis. De v. quid resultat ex tali mixtione? Dico q̃ uis pituitam euacuandi resultat, quia plura sunt med. pituitam educentia secundario bilem, & hoc recte factum fuit, quia pituita cum crassa sit non ita de facili ad caput ascendit, nisi bilem habeat secum tanquam uehiculum, sicut apparet in podagricis, ij enim non laborant tali ægrotatione nisi secũ habeant bilem tãquam uehiculum conducens pituitam ad loca affecta, ideo Gal. in. v. Therap. curans catarrhum cum his, quæ pituitam euacuant, quæ etiam bilẽ euacuant commiscet ca. 14. De sexto idest de idonea dosi, an cõuenerit, an uero peccauerit, cum diuiserit totam compositionem in. x. doses, uidetur q̃ non conueniat quia grana. xv. scamonij, &. xx. colocyntidis apud Mesuen sit dosis unicuique per se sufficiẽs, immo nimis efferre soluẽt, adsunt etiã Turbith. g. xxx. et hieræ drach. 1. quæ per se sola sufficiẽs est, et idonee purgat, uidetur ergo, q̃ excedat ideo nõ male dixit Herculanus hoc loco cum consulit, ut non ascendatis ad dosim hanc, sed ad drach. mediam & ego sum cum eo, quia uobis infeliciter succedet. si autem obseruare possemus ea quæ docentur

tur

tur à Gal. in lib. quos, et quando purgare oportet, ubi admonet, ut in euacuando prouideamus nobis, ut idoneum corpus habeamus. in quo casu, & cum materiæ optime sunt dispositæ, & uiæ corporis præparatæ, quoniam corpora cum quis purgare uoluerit oportet fluida facere, dicebat Hip. secundo Aph. nono nec non lib. primo. 22. concocta medicari, Tunc his recte consideratis optime faceretis, si totum pharmacum in dosi ista daretis, qualiter esset dicere, q antiqua med. uana fuerit, & illi impostores. Diosc. scru. iiii colocynthidis exibet, Actuarius scr. ii. ponit esse dosim colocynthidis, scāmonij etiā scr. ii. Ideo non haberemus med. effrenem, si scamonei doses integræ sunt scru. ii. hic adsunt. g. xv. colocynthidis. hic ad sunt. g. xx. turbith, drach. 1. est doses integra secundū Mesuem. g. xxx. hic ponūtur, ideo non esset contra rationem totam dosim exhibere, sed quinimmo habebamus partem illam, exquisitam delinquimus, sicut de phleb. accidit. quis est qui usque ad animi defectum sanguinē mittat? uanumq; est dicere, q non habemus in presenti tempore illa corpora ita robusta, sed hoc est, quia artem amisimus quis præterea facit cauteriū in pectore penetrans propter suppurationem in pectore. quis secat arterias post aures, sicut Galen. faciebat. sed & est propter ea quia Artem ignoramus, ideo med. iacet sepulta, postremo non habemus scammonium, quale Antiqui habebunt, Et quia arte caremus instrumentisq; idoneis, ideo & uos infra dosim istam persistetis.

Vltimum autem quod quærebatur erat an confectio hæc

7 An confectio sit sua

hæc esset Rasis, an alterius, & certe nullam aliam habemus ita exquisitissimam, ut sit istamet, habemus bene aliã, quæ in uirtute est ista, & sunt pillulæ Gal. ad catarrhũ, de quibus in v. Therap. 14. quæ habent scammonium pro purgantibus, & colocynthida, sed loco turbith, & forte rectius habent Agaricum, & hæc sunt instrumenta euacuantia humores. Alia sunt pro basi, & ad correctionem harum medicinarum, quæ tria similiter correctiua sunt, sicut ista, sed loco hieræ aloë habent, loco stæchados bdellium. Vidistis Rasim componentem artificio non carere, Nunc autem ostendam uobis hanc tanto artificiosiorem esse, quantum Galenus prestat ipsi Rasi. Examinemus igitur artem compositionis huius: supponatis primo dictum artificium, Nos habemus colocynthida, & agaricum in quibus est uis euacuandi humorem crassum, et pituitosum à capite, & à superioribus partibus, non quia respiciant magis caput, quam cæteras partes superiores, quoniam æqualiter à membris singulis trahunt, neque credatis Mesuæ qui dicit à capite magis trahere, quàm ab alijs membris, quia illud magis respiciat uerum quidem est, quod dicitur, sed quod à capite trahat magis per accidens est, quia attractio fit à propinquiori loco, et magis attrahitur propinquum, et cum medicinæ istæ leues sint natãtes in stomacho, capiti propinquiores sunt, ita trahunt à capite, quod non ita est de grauibus, quæ in fundo stomachi resident. Et hinc est quod agaricum, et colocynthis si cum grauioribus componuntur quia in fundo permanent, ab omnibus hinc membris trahunt, nec faciunt tunc accidentia,

quæ

quæ ſolent facere cum ſine medicamentis grauibus exhi= bentur, & ſine corrigentibus eorum uitia, humores.n. craſſos ubicunque ſunt, purgant, Adeſt ſcamoneum, quod bilem euacuat, ſed cum loqueremur heri de Arte compo= ſitionis diximus uobis colocynthidam habere maximam uim, & infeſtiſsimam ſtomacho, ut eius uires penè de= ſtruat propter amaritudinem, & acrimoniam eius, ita ut non ſolum id faciat, uerum & inteſtina ulceret ſua quali= tate uenenoſa, ideo qui exhibent medicinam hanc in doſi, pluſquam conueniat non ſolum excoriationes, & dyſente rias, ſed etiam mortem inducit, ideo ſi uolumus corrige= re eam, cum ſuo oppoſito id fieri debet. Raſis etenim unũ uitium tantum correxit, quia uidebat membris naturali= bus infeſtam eſſe, cum medicamento aſtringente occurrit, quale fuit ſtæchas, & hiera cum odorato, quia tale maxi me confert ad rectificandas medicinas cerebro, & cordi in feſtas, Non aduertit autem omnia, ſicut Gal. fecit, aderat enim acrimonia, & uis erodendi non parum magnifacien da, quæ corrigenda ſunt cum ſuo oppoſito. Et ideo bdel= lium eſt, quod uim emplaſticam habet, ut inquit Gal. in li= bro de ſimpl. med. 28. ratione cuius acrimonia obtunde= retur colocynthidis, & agarici, At diuinus Gal. id animad uertens naturam imitatus, quæ ſemper per pauciora, quo ad fieri poſsit, facit ea, quæ per plura fieri poſſent metho do per quam breuiſsima uſus eſt, hæc duo medicamenta ita corrigit, ut nihil addi poſsit, & ponit tria ad corre= ctionem, aloem, bdellium, & dragacanthum. Aloes qui= dem laudatur, quia corroboratur uentriculus maxime, &

dicebat

Bdellio nos caremus

dicebat Actuarius quod in sola aloe uirtus est corroborādi membra naturalia, cætera medicamenta destruunt ea. Indigebamus etiā cerebri cōfortatione, & cordis, necnō obtusione illius acrimoniæ, ideo posuit bdellium, quo tamen nos caremus, non quia desinat esse in natura, cum æternæ sint species, sed inscitia Medicorum nostrorum, nostrum nouum fœtet, uerum odoratum est, debet esse uiscidum longe magis, quam illud, plus etiam concoquit, & emollit, & uirtutem habet emplasticam, ita ut si fricetur manibus, lentescat in modum ceræ, ratione odoris cordi, et cerebro confert ad spiritus recreandos & generandos, habent etiam lentorem, quo maxime occurrit acrimoniæ, quemadmodum sciuistis ex methodo simplicium. Et ideo posuit Gal. bdellium, ut suo lentore acrimoniam obtunderet, suo odore uitales, & alios spiritus recrearet, & cum leni astrictione, & concoctione uentriculus corroboraretur, et naturalia mēbra, magisq́; uitia corrigit, quàm stæchas. Et quoniam in bdellio caliditas quædā est, quæ non ita corrigebat acrimoniam colocynthidis, & scāmonei, gummi Arabicum addit, in quo immensissima uirtus emplastica adest, sed non solum, ut uicarij officium gerat, apposuit ut suppleret pro bdellio, sed quia curabat catarrhum ad pectus descendentem, uoluit gummi Arabicum imponere, ut obtunderet acrimoniam eius, ut tueretur patiens ab erosione in pulmone, quam facere catarrhi acrimonia solet. Et ideo ubi uultis purgare caput, opus est corrigere descensum illum, id autem commode fiet addendo uisciditatem catarrho, ne descendat ad pectus

Bdellium nostrum [illegible]

Vires eius

Gummi Arabicum

& pulmonem exulceret, ſed quoniam cum doctis loquitur Gal. & iam declarat methodum medicamentorum de modo componendi dixit, & non de doſi, & hæc fecit, quia non conueniunt omni naturæ eadem, tum quia etiam à rei natura iam dederat ſcopum, ideo non indicauit fore neceſſarium particularem facere compoſitionem, quæ omnibus naturis non conueniret, ideo neceſſarium uobis eſt, ut habeatis methodum componendi, & licet aliquando cõponat, hoc facit ratione exempli. Vos autem ita componetis. Aloes, quæ pro baſi ponitur, erunt drach. vi. agarici drach. ii. ita q; in tripla proportione ſe habeat aloes ad ipſum colocynthidis drach. i. ſcammonei ſcrup. ij. bdellii drach. i. s. ut ſit ſubduplum ad aloem, ſicut ſtæchas ad totam hieram ſe habebat, gummi Arabici drac. s. Et ita conficeretis medicamentum, quod habeat proportionem.

POSTQVAM VERO uenter ſolutus fuerit, infundatur caput ex oleo ſambucino, & oleo de been, & mittatur in nares &c. Proſequitur Raſis, & perſeuerat in regula ſua, quam docuerat, ut nunquam localia applicentur, niſi corpore euacuato & à leuioribus inchoat, ex quo loco forte multi Medici ſumpſerunt à leuioribus ſemper eſſe inchoandum, & faciunt ſibi canonem, qui nõ ſemper eſt uerus, immo aliquãdo à maximis incipiendum eſt, aliter fruſtra dixiſſet Hipp. 1. Aphor. Extremis morbis extrema remedia adhibenda ſunt, ut optime inquit Gale. 13. meth. & clarius in v. ubi deridet Eraſiſtratum, qui ſemper à leuioribus inchoabat, quia dantur ægrotationes quæ ſi à leuioribus inchoaueris, tam ſæuæ fierent, ut non

poſſent

possent amplius sustinere fortia remedia. Igitur incipiendo à leuioribus in talibus, inciperes interitum, quando autem darent indutias id possumus tutò facere sicut in casu fecit Rasis, qui infusiones applicat capiti, & in nares infundit, ex sambacino oleo, & de been. Est nanque sambath apud Arabes, quod à Græcis iasme, alio nomine iesamin uocatur, & est flos odoratissimus, quem ignorabant Græci, oleum tamen iesmoleum cognoscebant ex India, & Arabia deferebatur, quem nec Gal. cognouit quorum aliqui sunt coloris citrini, albi, & cerulei, calidus est flos iste ad secundum gradum cum siccitate, & tenuitate substantiæ, sine stipticitate, ex quo sequitur ut penetret ad profundum, soluit, & calefacit mirifice, quia docuimus frigida & calida tenuissimæ subiectæ magis calefacere & refrigerare ratione tenuitatis substantiæ, q̃ multa alia longe calidiora, & frigidiora crassioris tamen substantiæ. ol. de been appellauerunt Arabes been quod Græci glandem unguentariam, nota erat Latinis olim, ideo mirum est, quomodo odoratissima esset, & non habeamus cognitionem eius, cum dicat Plinius, hanc arborem tàm proceram esse in India, & Syria, ut ex ea fiant naues, sed huius causa est medicorum negligentia, neque credatis hanc esse glandem illam, quam muscatam appellamus, quia diuersa est prorsus ab illa, nam unguentaria glans uomitum prouocabat, & uentrem soluebat, nostra uero stomachum corroborat, nec uentrem soluit, nec est eius pinguedinis, de qua dicebant Antiqui. si in frigida aqua ponebatur, maxima olei copia emanabat, ratione suæ

suæ uiscositatis, & pinguedinis, erat præterea amara, nõ tamen subtilis substantiæ, ideo cum uolebant, ut oleum moram traheret in loco illud assumebant. Nos loco eius nucem muscatam possumus eligere, quæ uim habet astringẽdi, ideo uidetur, q̃ sit crassæ substantiæ, calidæ in secundo & habet acrimoniam aliqualem, ideo loco olei de been, poterimus facere oleum de nuce muscata, & hæc quo ad olea immittenda in aures, & nares. AEGER Quoque odoret algaliam. Adhibet etiam odoramẽta, quia odor uapor tenuissimus est ascendens ad caput, habens uim exiccandi superfluitates, & magis ascendit, q̃ faciat corpulentum, ideo recte post infusionem in aures ut odoret algaliam docet, quia uapores penetrant, ubi non penetrat oleum. Algalia est cõfectio optima, licet nostra Algalia nostra fæteat, nescio quomodo cõueniat, poteritis uos conficere pomum odoratissimum, ex xyloaloes, ambra, & musco, eritq́; Algalia odoratissima, eritq́; pro nobilissimis uiris, quos curabitis. ET INFLETVR muscus naribus. Aduertatis quia si muscum prout est insufflabitis, in eo tanta est acuitas, ut etiam è naribus sanguinem profluí faciat, orificia uenarum erumpens, & ideo musco solo non est utendum, poteritis autem in his in quibus maxima est obstructio & frigiditas cer. uti musco solo, quia sumpta indicatione à natura corporis, cui occurrimus, oportet medicinas exhibere efficacissimas ad maiorem penetrationem, & quia extremis morbis extrema remedia sunt applicanda, ad fortiora medicamenta & efficacissima remedia debemus conscendere. Ideo Rasis inquit: QVOD si

Algalia

ægritudo infeſtauerit multum, ſumatur euphorbium, & caſtoreum amborum an. ſexta pars drachmæ unius, & diſſoluta in oleo pauco ſambucino mittatur in aurem, & narem. Eſt enim in euphorbio uis calida in quarto & cum ardore, immo cum ſolutione continui, ideo facit dolorem intenſum, & exaſperat, quia oſtendimus nos, quòd maximus gradus caloris non eſt ſine ſolutione continui. Caſtoreum uero maxime calefactiuum eſt, quia tenuiſsimæ ſubſtantiæ eſt, ideo maxime calefacit. Euphorbium autem bimum uel trimum eligendum eſt, anniculus enim eſt nimis efficax, Ideo non conuenit unius anni, quia ergo non habemus perfecta inſtrumenta, non eſt mirum ſi peritiſsimis medicis res non ſemper feliciter ſuccedat. Hic notetis quando lachrimæ ſucci, & gumi adoleuerint, habeatis hoc, quòd quicunque, uel ſucci, uel lachrimæ, uel gumi non habent pinguedinem, ſed aqueas partes dominantes, facile exoleſcunt, ſicut eſt euphorbium in quo partes terreſtres, & igneæ extenuatæ à calore nullam habẽt inſeuiſciditatem. Ita etiam uos cum hæc uidebitis pati uetuſtatem cognoſcetis, & quanto magis rariora, & leuiora erunt, quia exhalabiles ſunt facile alterantur ab extrinſeco, & partes illæ licet igneæ facile euaporant, aquea humiditas ſimul eleuatur, & cũ calido euaporat præter opium, quod licet non ſit uiſcidum durat tamen per ſeculum, quia eſt tantæ frigiditatis, & dẽſitatis, ut non poſsit alterari à calido aeris, quæ eſt cauſa putredinis, & cum maxime reſiſtat alterationi, etiam aeris maxime reſiſtet putredini. Accipiatis ergo omnes reſi

nas, & gummi, quæ habēt plurimum uiscositatis, hæc quā
to magis senescunt, tanto meliores sunt, ut patet de oleo,
quanto uetustius est tanto calidius, idem de pinguedinibus
est, quæ propter uisciditatem sunt calidiores quanto ue=
tustiores, quia partes aqueæ, & aereæ subtiles longitudi
ne temporis exoluuntur, & aereæ magis compositæ cum
calido igneo terrestres partes magis retinent, & ideo ca
lidiores sunt. Vinum medium est inter hæc, quanto uetu=
stius, tanto melius, patitur autem aciditatem, quia calidi=
tas subtilis est, & non retinetur, ut in oleo, & in resina,
Ideo facile euaporat nisi obturetur, Ideo Antiqui qui fide
lius uasa fictilia obturata optime habebant, ex quibus non
poterāt euaporare, ideo p 30. annos conseruabant sua ui
na, Nos aūt dolia lignea habemus, ideo non conseruatur,
quia caliditas euaporat, in uase autem illo quam Telluriā
appellant, quoniam uasa habent ex castaneis craßißima,
conseruant uina per longum tempus. Nostri autem Pata
uini, quia optime sciunt alumen habere uim constipatiuam
non permittens fugere illam spirituositatem, illa conser=
uant uina, quæ postea ita stomacho infesta sunt. Hoc facto
uult Rasis, ut accipiatur euphorbij, & castorei an. sexta
pars unius drachmæ, & cum pauco oleo sambacino ad=
misceantur dicens paucum oleum non dat quantitatē. Ga
len. primo de comp. med. secundum locos cap. de Alope=
cia dicit singulæ unciæ euphorbij libram. i. olei commisce=
ri, ergo in unc. xij. olei una euphorbij ponere, ut ergo re
ducamus compositionem ad actum, sic componetis. Recip.
ol. sambucini unc. s. euphorbij, castorei an. g. x. misce, &

infundantur in aures, hic.n.modus noster, & id, quod dicitur partim debet esse unc.s. ut sit duodena pars ad oleũ, & ex hoc habetis maximam uim calefaciendi, & penetrãdi ratione castorei, q, est tenuissimæ substãtiæ. COMPLEMENTUM cephaleæ calidæ. Postquàm tradidit Rasis modũ curandi dolorem capitis à materiali causa ꝑ essentiam in capite & à regulari cura processerit remouendo causas doloris, & docuit, quomodo euacuatio per phlebotomiam esset necessaria, & etiam cum pharmacia, & alijs. Nunc redit ad complementum curæ, separauitq; emplastra hæc ab alijs, quia uult separare curam symptomatis, cum relinquimus causas ipsas ratione suæ necessitatis, quam coactam curam appellant, ideo quia nunc uult docere curam coactam, quomodo sit procedendum tàm in calida quàm in frigida ægritudine causis neglectis, incipit à calida, & ait cum aderit dolor acerbissimus, ut timeamus ne debilitata uirtute spiritus resoluantur, & ratione apertionis à caliditate tanta materia attrahatur, ut humor adhæreat, & ingrediatur tunicam cer. & phrenitidem faciat, causa neglecta, ut resoluat symptomata, & postea redeatur ad causam facit cap. hoc, & inquit. IN CEPHALEA uero calida emplastrum hoc fronti, & temporibus est imponendum cuius confectionem describit. Circa quam tria habetis considerare, primo quæ fuerit eius intentio, secundo quæ sint ingredientia simplicia, tertio modum componendi, quem non tradit Rasis. De primo sciatis Rasis scopum in hac compositione fuisse primo ut alte rationem intensissime calidam cum suis oppositis

Circa Coacta.

Redit ad Emplastra.

Circa Emplastra tria notanda

ſitis remoueret, ſecundo uoluit caput corroborare, indigebat enim caput corroboratione, quia nimio dolore dilatata, & laxata erant omnia, ideo indigebant aſtringentibus. Indigebat etiam ſtupefacientibus, quia aliquando ita accidens ſæuum eſt, ut alterantia non conueniant. De ſecundo uidelicet quæ fuerint ingredientia, primum fuit, Semina lactucæ, quæ frigida eſt, & humida in ſecundo. Accipit ſecundo ſief memithæ.i. ſuccum memithæ, quæ apud Latinos, & Græcos Glaucium appellatur, quam herbam nos non habemus, Antiquis optime erat nota, quam pingunt habere ſimilitudinem cum papauere cornuto. Sed quiſpiam ueſtrum poſſet dicere, Tu dixiſti in Lect. iſta balanum merepſicum non reperiri, immo Venetijs nil notius eſt oleo de Been, & quia Been, eſt glans illa, idē ſunt, ergo reperitur, Tum etiam Venetiis reperitur ſemen albū ſine odore, ex ipſoq; faciunt oleum, quo utimur ad alia odoramenta & unguenta conficienda, ergo paſsim inuenitur. Dico mihi notum eſſe ſemen illud, ſed ita mihi uidetur alienum, ut non indigeat probatione. Ideo ſcire debetis Been eſſe æquiuocum ad balanum, primo quoniam eſt paruum ſemen, paulo maius cicere, & glans noſtra habet ſimilitudinem glandis, & ob id glans unguentaria appellatur, Aut capparis habet ſimilitudinem, non tamen floris qui comeditur, quia Theophraſtus cum comparat eam ad capparem, non quidem ad florem, ſed ad fructum, qui inſtar oliuæ eſt, comparat. Sed ad huc inſtabitis, non dicitur unguentaria, quia habet odorem, ſed quia materia odoramentorum eſt, quæ expetitur ab unguentarijs, quia

Semen lactucæ

Glaucium non habet.

Obiectio

Quare glans unguentaria.

& si non habeat odorem illa, quam habemus nos, non propter hoc est dicendum, quod non reperiatur. Huic obiectioni respondet Theoph. qui eam εὔοδμον appellat idest odoratam, & quod expetitur ab unguentarijs propter odorem unde unguentarij corticem eligebant, in quo est odor, & nucem abigebant, ideo dixit Theoph. expeti propter odorem, praeterea non habet Been, quo utuntur Venetijs uires aliquas illi glandi traditas uomendi, & educendi per aluum, ideo licet habeat id nomen, & conficiant oleum ex eo, non est dicendum esse glandem illam unguentariam.

Est ergo sief memithae, idest succus memithae, quae et apud Graecos, Latinos, & Arabes Glaucium dicitur, est autem Glaucium quo ad qualitates frigidum & habet frigiditatem similem aquae fontanae, nō intelligatis actualem, quia talem non intelligimus, sed dū actuatur, deducet corpus ad talem frigiditatem qualis est inducta ab aqua fontanae, quae insignis est non tamen summa, sicut ea, quae in niue uel glacie inducitur, ac si diceremus in secundo uel usque ad tertium habet. praeterea cum substātia frigida uim aliquam astringendi ex sapore deprehensam, Habet etiā leuem amaritudinem quandam, quia abstergit sine mordicatione, ideo uos qui Artem habetis ad secundas & tertias uirtutes optime cogitare poteritis, posse esse optimū ad mundificandum ulcus sine corrosione. Conuenit etiam ulceratis oculis leui tamen ulceratione, & collyrium fiebat ex succo Glaucij. Et haec de succo memithae, sed negligentia Medicorum, & Temporum factum est, ut à nobis ignoretur. Sed quid deterius est loco Glaucij succum pa-

paue-

paueris cornuti, recipere? Nõnulli alij chelidonij minoris accipiunt, à quibus maxime à maiori chelidonio tanq̃ à peste cauendum est, quia in ipsis est uis corrodendi, & exulcerandi, quia igitur ignotum est, aliam inueniatis, quæ habeat talem uirtutem cum reperiatur. De papauere cornuto, habetis à Diosc. & Gal. quid sit. Et ab errore caueatis Ruellij qui cum Glauco confundit Glaucium, illa enim prouocat lac, & prorsus diuersa. Pro eo igitur ponetis uel succum portulacæ, uel solatri, & ad alterandum commode facietis, tertium est Sandalinum album, & rubeum, de sandalis nihil dicemus, quoniam omnibus notißimi, sunt enim frigidi & sicci in tertio licet Serapio, & Actuarius rubeos frigidiores ponant, ex quo patet substantiam terream, siccam à calore non excoctam dominari in ipsis, quia si eam concoxisset ad salsedinem, aut amaritudinem deuenisset, cum ergo austeri tantum sint Sandali frigidi & sicci sunt, ideo conueniunt ad reprimendum bilem, & corroborandum membrum. Ingreditur præterea Fausel, idest nux quædam parua, ut auellana, quæ apud Serapionem peregrina est, quæ ex India deferebatur, Aliqui dicunt Venetijs uidisse nucem hanc inuolutam, quæ agitata Fausel est, Ego credo eam esse speciem glandis proceræ, & habere uim astringendi, loco cuius uel glandem nostram, uel Acachiam, uel hypocistidem poterimus accipere, ideo dixit Serapio. 94. quòd sunt in tali temperatura, sicut sandali, & quia uires secundæ à primis sequuntur habent, & terrestrem substantiam exiccantem. Sunt Rosæ quarum qua-

Sandali sunt frigidi et sic[ci] .3.

Loco Fausel accipiamus nostram glandem ... Acacia.

litates iam diximus, ſunt enim frigidæ & ſiccæ in primo conſtrictionem, & leuem amaritudinem, & dulcedinem habent, quæ tamen amaritudo, & conſtrictio adiuuat ad penetrationem ex earum leui conſtrictione, & tenuitate ſubſtantiæ. Vltimo ponit opium, quod habet uim mortificandi, & ſtupefaciendi, & ita uidetis, quomodo ſem. lactucæ, uel ſief memithæ, & reliqua omnia conueniunt & poßint id facere, quod à Compoſitore fuit intentum, quæ ſint ponenda loco illorum, quibus curemus. De modis menſuræ, certum eſt, q. omnes Medici indicationem à duobus ſumunt, & ad duo reſpectum habent, ad locum ſcilicet affectum, & ad affectionem ipſam. Igitur cum ſciamus humorem calidum, & ſiccum dominari, ſi uolumus alterare ſumpta indicatione ab ægritudine alterare ad frigidum debemus cum lactuca, & alijs. Habita autem indicatione à loco quia corroborari debet, habemus ſandalos, & acaciam, ſcitis autem omnia ualde aſtringentia conſtipare meatus, ut reliquæ medicinæ non ingrediantur. Cum autem ponitur emplaſtrum noſtrum fronti, oportet ut medicamenta penetrent, & uos ex anathome uidiſtis duritiem frontis, & quo impetu oportet penetrare, ut penetrent ad profundum. Conſtipantia ergo non conueniunt, quia impediunt, ideo mēſura eorum, ut à Gal. dicitur in 2. de ſimpl. med. in cap. 9. de Roſa, debet eſſe in parua quantitate & doſi, & contemperando, non autem in æquali portione, ſicut dixit Herculanus: immo alterantia in quadrupla proportione ad ipſa adſtringentia ſunt apponenda. Recte autem facietis ſi ſic compo

ſitionem ad praxim reducetis. Rec. ſem. lactucæ, ſucci portulacæ an drac.ii.ad corroborandum, & confortandum. Sandal.alb.& rub.& loco ſauſel, acatiæ ana ſcr.i, quæ eſt proportio ſubquadrupla, ideo recte corroborabitur nec impedietur penetratio rerum ſubtilium. Roſarũ, quia talem habent temperaturam, ut penetrationem adiuuent, & manu ducant alias medicinas ad locum, in maiori quantitate apponuntur etiam, quia poſſunt corroborare cerebrũ ex odore, ut ſpiritus recreentur, qui faciunt ad corroborationem, ideo in ſeſquialtera proportione ad aſtringentia ponentur, & quia ſingulorum ſcrupulus fuit quantitas, ſeſquidrachmam, ideſt drach.i.s.apponetis. Roſarum igitur drach.i.s.& omnia erunt drach.vi. pro tertia autem intentione, quæ erat ſtupefacere membrum, quia uolebat curare ſymptoma coacta cura, uoluit ſtupefacere. Stupefactio autem mortificatio eſt, ideo hic cauere debetis, quia Gal. 2.de comp. med.ſecundum locos, inuehit contra Apollonium de his ſtupefacientibus, Non (inquit) exhibeantur, niſi in intenſiſsimis doloribus, in quibus timetur mors, uel ſyncopa, & quod in doloribus capitis quantuncunq; intenſiſsimis nunquã deducetur æger ad mortem, uel ſyncopã, ideo rarò ad opium, aut ad phylonium accedetis, neque credatis Herculano, quia multum errat in hac parte. grana igitur iii. opij nõ tranſcendatis, & habebitis immenſam frigiditatem. Et hoc emplaſtrum, quia una tãtũ uice ſufficiet contuſis ſcilicet & præparatis omnibus per ſe, quoniam aliqua ſolidiora ſunt, aliqua rarioris texturæ, bene ſunt quædam, quæ non poſſunt ex

 ſe conteri

Recepta

Stupefac[illegible]

ſe conteri, niſi addatur aſperum aliquid, & ubi compoſi ta fuerint, pulueres hos aſpergatis aceto, & aqua roſacea, ut dicit Raſis, & recte, quia uult, ut penetrent indicatione ſumpta à loco affecto, quia uult ut fronti apponãtur. Aduertatis tamen, ut hoc emplaſtro non utamini, maxime cum opium adeſt, niſi cum dolor adeo immenſus fuerit, & omnia feceritis pro ablatione eius, & timor eſt, ne fiat phrenitis, Tunc ſtupefacientibus uti poteritis, & caueatis à frequenti uſu eorum ſtupefacientium, & noli te ſequi errorem noſtrorum Modernorum, qui in omni dolore ad Phylonium accedunt, quo facto mittatur ſuper eum pannus aqua roſacea, & aceto infuſus, qui cum te pefactus fuerit iterum infundatur, & deſuper ponatur, uult, ut ſæpe remoueatur panni infuſio. LINIMENTVM uero cephaleæ frigidæ. Poſtquam Raſis dedit modum curandi dolorem in cauſa calida cura coacta. Nunc docet in frigida, & linimentum ponit ex trociſcis, qui habeant remouere hoc ſymptoma à cauſa frigida cau ſatum & eadem uia procedens ſicut in calida. Compoſitor non habuit unam tantum intentionem, ſed diuerſas ſumendo indicationes à loco affecto, & ab ægritudine ipſa, necnon à uirtutibus omnibus. Videns igitur materiã cru dam & craſſam pertinaciter inhærentem eſſe, pluribus inſtrumentis eſt uſus, & quia uidit quod eius pars aliqua concoctione indigebat, quia nunquam ita rebellis eſt, quin aliqua non poſsit ad benignum reduci, ſeparando iuuatiuũ à nocitiuo, ut iuuatiuũ in nutrimentum conuertatur, nocitiuum uerò expellatur, & hæc eſt concoctio uera, adiu=

adiuuatur autem concoctio cum Medicinis calidis, quæ ſecundum gradum non excedant, & emplaſticam ſubſtantiam habeant, ut calor innatus retineatur, & (ut ita dicam) emplaſticentur & ſpiritus, & ut fiant bonæ concoctiones, & cum hoc etiam habeant odorem bonum quo ſpiritus corroborentur, quibus corroboratis adiuuent concoctiones, & ſunt crocus, & bdellium, & hæc ſunt inſtrumenta Medici interius, & exterius operantis, tam phyſici dico, quam Chirurgici, qui ſunt idem. Indigebat ſecundo inciſione, materiæ craſſæ, ideo piper, & rutam poſuit 2
in compoſitione, in quibus propter tenuitatem ſubſtantiæ, & caliditatem tertii gradus hoc maxime facere poſſunt, quia incidentia acuta, & tenuia eſſe debent, quia talia ſunt commodißima. Habent etiam intentionem ad aperiendum 3
obſtructiones, & ut materia abſtergatur, quæ duo cum amaris rebus complentur, & quantum amara abſtergant Gal. in v. de ſimpl. med. oſtendit. Cum igitur Raſis omnibus his indigeret, ut pori aperirentur, fieretq; difflatio materiæ, Marrubium poſuit, quod ratione amaritudinis uim habet abſtergendi, & aperiendi. Et quia uidebat materiam craßam, & rebellem ad exitum poſt inciſionem, concoctionem, & apertionem pororum uoluit inſtrumentũ 4
uiolenter euacuans à centro ad circunferentiam, ſicut in ſciaticis & dolore uertebræ fit, in quibus euacuato corpore ueſicatorijs utimur in locis ſciæ, ut euocetur materia à partibus intimis ad extimas, Cum igitur haberet Raſis hanc intentionem poſuit, ſinapi, & euphorbium, quæ quantam uirtutem habeant ueſicandi, & euacuandi exterius

appa=

apparet ex hoc, quia in quarto calida sunt, ideo caustica appellantur, & quoniam (ut superius diximus) substantia cerebri plurima habet intermedia diuersa, aduertere oportet, et debemus materias eligere, quæ facile penetrēt quoniam materiæ pituitosæ de facili non euacuantur, ideo posuit castoreum tenuißimæ substantiæ, ut penetret ad locum, ad quem non penetrant alia medicamēta. Ideo Gal. in ix. de simpl. med. dicebat tenuioris eße substantiæ castoreum omni alio medicamento. Et propterea neruis summopere conueniunt, quorum substantia solida est, quoniã & si applicaremus eis id, quod exiccaret, & non penetraret non faceret effectum, ideo, quia castoreum tenuißimæ substantiæ est, maxime conuenit neruis, additur igitur ut omnia facile poßint penetrare. De ponderibus nihil dicã, quia uos mutare debetis intentiones, quia nunc magis concoquendi habetis rationem, ideo plus de concoquentibus & quando magis incidendi habetis intentionem, ideo plus de incisiuis, similiter astringendi, prouocandi, ideo plus eligere debetis, mensurando semper intentiones. Dat hic Rasis modum componendi linimentũ, ut conterantur omnia sæparatim, & cicotriconizentur, idest à fecibus emundentur, ideo cicotrinizare idem est, quod uiolenter, aut ualide emundare à fecibus & per cribrum excutere. Et cum uino ueteri aspergantur, Quia uinum uetus, ut dicebat Galenus ad caliditatem, & siccitatem usque ad tertiũ gradum accedit & penetrationem adiuuat, & cum hoc calefacit, iubetq; trociscos fieri ponderis drach. iij. & semiunciæ, quia uult unum tantum accipi pro qualibet uice, neq;

Castoreum

Cicotrini: Zare

neq; cum oleo id facere uelitis, quia tunc medicina in minori quantitate fiet, quoniam uirtus maxima in ipsis trociscis inest, quandocunq; necesse fuerit ex uno in uino ueteri, aut oleo costino, aut chamæmelino dissoluto frons multoties liniatur. Recte uult, ut hæc olea accipiantur secundum diuersa subiecta, quibus occurrimus, si non sit dolor capitis ita immensus, nec materia ita pertinax, oleum chamæmelinum accipietis, quia alia sunt multum calida, maxime cum mulieribus aut delicatis uiris, uel alijs mederi uobis occurrat. Robustiori autem in quo credamus adesse materiam ualde uiscosam ad costinum accedemus, in costo enim inest uis calefaciendi, ut ad tertiū gradum immensæ accedat, et exulcerat simul etiam cum oleo, nō quidem ratione caliditatis tantum, sed quia cum ea substantia calida ignea habeat aliam terrestrem excoctam ab igne, in qua stat amaritudo, ideo ubi est ignea materia calida cum terrea, quia magis adhæret, pertinacius calefacit, exuritq;, ideo piper non exurit, sicut cantarides, & nasturtium, quoniam ut dicebat Gal. in xi. de simpl. med. in cap. de zingibere habet excrementosam substantiam, in qua diutius perdurat calor, ideo exurit, ita de costo dicimus, habere substantiam terrestrem, in qua calor adhæret, ideo exurit magis, quam faciant alia multa calidiora, Non tantum inquit Rasis possumus ponere linimentum hoc super frontem, immo etiam in aurem illius lateris, & in narem, quia omnia facere uoluimus quæ polliciti sumus. AEGRO VERO uinum uetus, & forte dandū est. Debetis scire Hipp. in tertio de ratione uictus in acutis

oleum chamamellinum.

oleum costinum.

cutis dicebat. Vinum potens nocere capiti, inferioribus uero partibus conferre, leue autem capiti conferre intestinis nocere, sed intelligit dandum esse uinum non loco alimenti, ut copia eius detur, & tale erit tenuis substantiæ, & fulsium. Exhibetur autem quia in materia crassa uiscida pertinaciter inhærente incidentibus indigemus, ideo calidis & siccis indigemus, ideo uinum quia tale est confert, sicut dicebat Hippocrates. Fames canina uini potione tollitur, & in 6. Aphorismorum horror, & reliqua uinum cum æqualiter potum fuerit. soluit ægritudinem. Item oculorum dolores, uini potio soluit. DVM AVTEM Cephalea per hebdomodam unum perseuerauerit æger in balneum mittendus est.
Dixit per unam septimanam. Quia supponit Rasis iam eductas materias ab inferioribus partibus, quia non educta materia pituitosa à partibus inferioribus, non esset æger mittendus in balneum, Quia igitur materia iam deducta est, & balneum faciet iam materiam difflare, nec ascendet ad caput, & corpus calefaciet, ideo conueniens est, in quo tempore existente adhuc ægro in balneo uult, ut super caput eius aqua, in qua chamæmelum, sampsucus, & nemen, & stæchas cocta fuerint, fundatur, in qua quidem chamæmelum ratione caliditatis suæ in primo gradu humores concoquet: sampsucus etiam, in quo est amaritudo, absterget, & incidet remedium commodissimum in aperiendis menstruis, quia medicinæ tales debent incidere crassitiem, quæ est in sanguine, & uenas aperire. De sampsuco, & amaraco faciunt isti questionem, an sint di-

diuerſi, de quo alias dicemus. Et caueatis ab errore Ruellij, licet fuerit uir maximus, Qui credidit parthenium eſſe amaracum, & tamen diuerſæ ſunt herbæ, & cum diuerſis notis pinguntur. De nemen noſter Herculanus inquit, non dicas eſſe ſiſymbrium ſed ſerpillum, nullam tamẽ adducit rationem, maxime, cum Auic. totum oppoſitum dicat, Quomodo ergo credendum eſt illi, ſi uelit dicere nemen eſſe ſerpillum, quia capiti prodeſt ex Dioſc. ita etiam ſiſymbrium ex eodem Dioſcoride.

Error Ruellij

Vnum debetis ſcire à nobis derelictum. Quare in dolore capitis iubet, cum curamus ſymptomata linimentum fronti applicare, cum melius eſſet, & in uertice applicarentur, ubi ſunt commiſſuræ, in fronte autem ratione oſsis ſatis dure non ſunt commiſſuræ, ideo conuenientius uidetur, quòd uertici potius, quàm fronti eſſent applicanda. Circa quam difficultatem debetis notare ſummo conſilio hoc Raſim feciſſe, ſi enim tam efficatia remedia ſiue calida ſiue frigida, ut eſt opium, & exurentia, quale eſt euphorbium, ſynapi, & reliqua huiuſmodi uertici applicarentur, ſubito uis illa, quæ habet energiam maiorem quam conuenit membro principali occurrens nõ tolleraretur, quia repentinas mutationes non tollerat natura, quia ſubſtantiæ mutatio dolorẽ facit, qui eſt uia ad corruptionem, ut inquit Gal. in 4. de ſimpl. med. Vbi ex intentione Hipp. et Plat. ait, quòd dolor cauſat naturæ corruptionem & ideo natura tollerat ſubitas mutationes, quia non tollerat propriam corruptionem, ſi ergo hoc euenit in alijs membris, quanto magis in mem-

Obiectio.

bris

bris principalib. ſicut eſt cerebrũ, cor, & os uentriculi, propterea bene conſultum eſt, ut cum habeamus tam fortia med. non applicemus ea uertici, ſicut alia remisſiora, ſed potius fronti, quia tunc ſenſatim ingrediuntur interiores partes cerebri & non cũ ea uiolentia, ſicuti cum uertici applicantur, Et hoc experientia comprobatum eſt, ut non ſolum ratione, ut in nobili quadam accidit, quæ cum dolore intenſisſimo capitis capta eßet reſolutis ſpiritibus ab uapores calidißimos. Medicus quid excellentiſſ. res frigidiß. non potẽtia tantum, ſed actu uertici applicuit, ex cuius applicatione in caròn, ſeu ſubeth incurrit, ut uix plurib. remedijs reduci poſſet ad priſtinum ſtatum, inquam diſpoſitionem non incidiſſet, ſi fronti applicuiſſet, & quod de frigiditate dictum eſt, idem de caliditate dicatis. ideo hæc fuit ratio, & conſilium Raſis. Loquebamur etiam in ſuperioribus de lauacro faciendo capiti, ubi materia frigida in capite eſſet, quam uolebamus concoquere, quod componebatur ex illis 4. herbis, uel omnibus ſimul aut aliquibus ex una tantum ſecundum diuerſas intentiones, quod ea ſumatur indicatio à capite habetur. Pro quo ſcire debetis, quod intentio noſtra eſt uelle omnino expellere, (ut ita dixerim) materiam uiſcoſam pertinacem inhærentem cerebro ratione cuius cauſatur dolor maior, et quia ita craſſa plures habet intẽtiones, primo ut eius pars aliqua ad benignum reducatur, q. ſemper natura tẽtat, et ut ſeparet excrementum ab utili, & illud expellat, hoc ad benignum conuertatur. ſi ergo natura ita facit, ita & nos debemus ſtudere, ut fiat concoctio in capite & reducatur

Lauacrum faciendum capiti.

Sampsucum .i. maiorana siue amaracum

catur ad benignum id, quod reduci potest ideo chamæme lũ apposuit quæ cõcoquẽdi uim habet, sicut & myrrha, Fœnugræcum, Althea & multa alia, posuerunt, & sampsucum, seu maioranam, & amaracum, quæ idem sunt. A quo duo habemus incisionem ab acri sapore, qui fundatur in substantia tenui cum caliditate in tertio, & talia optime incidunt. Adest etiam amaritudo in sampsuco, quæ fundatur in substantia terrestri, quæ est exceßio à calore, ex qua coctione resultat amaritudo, & igitur ratione amaritudinis abstergit, & aperit, quæ duo cum in hoc casu conuenerint, diximus, ut humores difflentur, & abstergantur, necnon incidantur. Nemen etiam habet compositio quod siue serpillum, siue sisymbrium sit, utrumq; calidum est, & siccum usque ad tertium gradum, & habent tenuitatem substantiæ, differunt autem abinuicem, quoniã sisymbrium astringentem uim habet, est autem sisymbrium mentha illa delicatior, & odoratior, de qua dicunt rustici quod in montanã degenerat, nisi excolatur, ideo corroborat stomachum, serpillum uero habet tenuem substãtiam, nec in eo est aliquid astringens, utrum autem nemen sit serpillum, uel sisymbrium, ex Arabibus non poßumus rei ueritatem colligere. Herculanus dixit nemen esse serpillum non sisymbrium, nec rationem adducit, maxime cum Auic. qui est dux Arabum, oppositum dicat in cap. de Nemen, qui dicit Nemen idest sisymbrium, ideo si uolebat Herculanus impugnare Auic. debebat rationem afferre contra ipsum. Nos dicemus aliquid de re ista. Auic. etiam uideatis in cap. de Nemen & Diosc. etiam in cap. de serpil-

Serpillum siue sisymbrium

lo, uidebitis magnam differentiã, nescio an dicam ignorantiam Auic. qui ita negligens est, ut non distinguat sisymbrium à serpillo, & utriusq; uires simul confundit. Ideo uidere poteritis, quàm parum sit credendum Arabibus in hac re, quid autem esset iudicandum in hac re, ego dicerem Nemen esse serpillum, & in conclusione sum cum Herculano, quia nos uolumus uim incidendi, ex alijs ingredientibus habemus uim abstergendi, & concoquendi, & hæc habemus à serpillo, & ultra, habet proprietatem, qua capiti confert, & tenuitatem substantiæ habet. Proponit sticadem Arabicam. Non credatis herbam ideo dici Arabicam, quia ex Arabia deferatur, quia uulgata est apud nos. Isti faciunt duas species, unam Arabicam, aliam, quam à sticadon appellant; quæ ex Gallia defertur ideo cum dicunt stechadem Arabicam non intelligunt hanc nostram, quam Serapio à sticadon appellat, quæ ex Gallia apportatur & pingit eam, quam nos habemus, & dat ei omnes uirtutes, quas & Diosc. & Gal. tradunt, & maxime Gal. qui ratione diuersorum saporum quos habet amari. s. & acerbi, diuersitatem in substantijs arguit. Ideo habet tenuitatẽ substantiæ, quam excoxit calor, ex qua causata est amaritudo, ideo incidit, & quia acerbum habet saporem, ideo substantiam habet crassam, & terrestrem ideo uim astringendi. Hic autem de Arabica intelligit Rasis, quam Græci non cognouerunt, ipsi enim unicam tantum speciem cognouerunt. Quis est ergo ille seras Arabicus, dico quod Arabes hoc nomen dederunt illi herbæ quæ à Dioscoride Seriphium appellatur species absinthij, alio nomine appellatum

latum Scean, & Saras Arabicus, ideo bene dixit Serapio, quod aliud est citrinum stecas, Seriphium intelligatis, quia si ea quæ dicit Serapio cum Seriphio cōferatis, omnia hæc erunt nota, nascitur Seriphium prope mare nostrum humilius & candidius q̄ nostrum, florem cæruleum habet, amaritudinem, nec habet stipticitatem, sicut absynthium. Semen eius contra uermes ualet ratione suæ amaritudinis, uulgari sermone semencinæ appellatur, Veronenses, quia ex Ianua defertur, Ianuinam uocant, appellantq;. Aliqui sunt, qui confundunt Seriphium, cum santonio, perperam tamen, santonium enim Abrotano simile est, habet tamen folia craßiora, & santolina appellatur, & caueatis, quia nonnulli alij confundunt Seriphium cum Abrotano masculo ratione floris, non dico modo de hortensi, à quo ferè flos non apparet, si de illo sermo est, quod in montibus nascitur odoratum, cum flore luteo, cuius copiam maxime uidi ego in apēninis montibus à Florentinis ulgari lingua Tegnāte nuncupatū, quia hoc in suffumigijs utūtur, & ideo aliud est Seriphium, quod species est marini absynthij, & salsi ab istis Arabibus Saras Arabicus appellatur, in quo amaritudo dominatur, ideo aperiendi, & abstergendi uim habet. Chamœmelum uim concoquēdi, sampsucus incidendi, & aperiendi. QVOD SI Cephalea quotidie ante comestionem inuadat postq̄ Rasis expleuit omnes curationes doloris per essentiam, & curauit symptomata idest dolorem neglecta causæ curatione, Accedit consequenter ad curationem doloris capitis, qui fit per consensum, habetis autem, quod multiplex est species con-

Seriphiū quid et ubi nascatur.

Iam accedit ad curatio: nem doloris per consen: sum.

ſenſus, ſed hoc loco Raſis breuitati ſtudens unum tantum conſenſum poſuit ratione uentriculi, quia talis frequẽtius fit, & aduertatis, quia ſi ſanguis fuerit efuſus ad os uentriculi, fit maior dolor, & maiora accidentia, q̃ faciat bilis, aliàs uidebimus, ſi pituita, torporem faciet, ſi melãcholia triſtes imaginationes facit, uerum cum fit per conſenſum bilis, quia mordicat acuta exiſtens facit ſolutionem cõtinui & generaliter ſubitum motum, & ultra hoc facilẽ aſcẽſum, quia tenuiſſima, ideo cauſat dolorẽ, frigidiß. capitur ꝑ eſſentiã à ſtomacho, & quia frequẽtißime accidit, ideo Raſis eã propoſuit cõitatẽ, & cõſenſum, qui fit ex abũdantia caloris circa os uẽtriculi, ponit aũt more ſuo empirico concurſum ſignorũ, & ait, quod ſi dolor capitis ſedatus fuerit poſt concoctionẽ, tunc dicas ibi eſſe dolorẽ ꝑ cõſenſum, cũ dicitur ſedatur, ſignũ eſt nõ eſſe per eſſentiã, habet. n. interualla, ſtante enim cauſa ſtat, remota remouetur affectus, quod ſit in uentriculo hoc eſt, quia ſedatur ſumpto cibo, ſedatur autem propter tria, primo ratione uiarum, ſecundo ratione caloris & uirtutis tertio ratione humoris, ratione quidem uiarum, quia poſt cibum intercluduntur meatus inter ſtomachum, & humores, quo fit ut uapores illi non aſcendant ad caput, ratione caloris, & ſpirituum, quia humor quieſcit, eo quia annectuntur adipe & ad cibum conuertuntur, & non aggreditur calor naturalis humorem, ideo ſedatur etiam ratione humoris, quia opprimitur etiam ad fundum ſtomachi ratione duorum qualitatis ſcilicet, & quantitatis, tum, etiã quia commiſcetur cum cibo, ideo obtunditur nec poteſt ita libe-

rè

rè ascendere, totum oppositum à ieiuno causatur, quia nō impedit uias, ideo liberè ascendit, secundo calor naturalis circa humorem occupatur, & tunc magis subtiliatur in pugna, tertio humor est syncerus, ideo magis mouetur. At hæc sunt causæ cur post cibum sedatur dolor, & in ieiuno ò fiat dolor maior. habita cognitione ægritudinis curationem empirice aggreditur. Nos uero qui sumus dogmatici fusius dicemus, quomodo sumantur indicationes curatiuæ, in isto dolore per consensum, dico indicationes à duobus sumi potissimum, tùm ab ipsa ægritudine, seu ab ipsa rei essentia, tùm etiam ab ipso loco, & quia locus affectus non est cerebrum quia principaliter non afficitur, ideo remoto affectu à mandante, remouebitur etiam affectus per consensum in cerebro, & quia inuenimus læsionem non in cerebro, sed in uentriculo esse, ab ipso sumetur indicatio secunda, prima autem ab ipsa ægritudine, hoc autem est mala temperatura calida cum materia biliosa existente in uētriculo. sumpta igitur indicatione à materia biliosa calida & sicca cum tali temperatura, quia cōtraria contrarijs curantur, & humor calidus, & siccus est, ideo cum humidis & frigidis occurrere debemus, & ideo quantum sit ratione humoris debemus alterare, & euacuare, & hoc non sufficit, sed oportet, ut habeamus aliam indicationem sumptam à natura loci affecti, locus igitur debet considerari primo quo ad substantiam, secundo quò ad figuram & cognoscere uentriculū circa fundum esse capacem, circa orificium strictum, quo ad substātiā, in fundo esse carnosum in orificio strictum & neruosum.

quantum adſitum, quod ita manet ſub cerebro ut habeat conſenſum cum eo, quia per ductum à uentriculo aſcendunt uapores ad cerebrum, & à cerebro præcipitantur materiæ ad uentriculum, & ultra hoc ratione neruorum inuicem colligantur, quia à cerebro deſcendunt ad uentriculum, habita notitia huius, & alteriuſcunq; membri, ut habere poßitis cognitionem particularium ægritudinũ, & earum curationem comparabitis locum affectum cum cauſa, & quia cauſa aſcendens ad os uentriculi anxietates facit, & relaxat ipſum, & ſit euaporatio, & dolor, & quia habet conſenſum maximum cum cerebro, ubi iſta cognoueritis, totam eſſentiam cognoſcetis, unde ſtatim indicationes ſumuntur, materia ſola indicabat, ut medicamenta frigida, & humida eligerentur, cum ambo complicantur, indiget membrum, circa cuius os materia imbibita eſt abſterſione, & mundificatione, item & corroboratione, quia dilaxatum, & dilatatum eſt, ne materiæ tam facile locum occupent, ſtomachus & enim ex ſe non indiget refrigeratione, ſed tantum, ut mundetur, & corroboretur, ſi autem hæc tria miſceantur materia ſcilicet quia talis eſt refrigeratione indiget, & quia impacta circa os uentriculi relaxans, ipſa corroboratione oris uentriculi indigemus, in qua quidem abſterſione aduertendum eſt ne humida eligantur quia humidum, quã humidum non abſtergit, ſed abluit, modo longe differat abſterſio et ablutio, ut in noſtra methodo oſtendimus, ea enim abſtergũt, quæ ad profundũ penetrant, et mundificant, eas quæ ſunt in profundo, hæc non poſſunt humida immo potius ſorditiem in

tra

tra poros apponunt, ideo oportet, ut ſicca ſint cum tenuitate ſubſtantiæ, ratione cuius ſiccitatis ſordes abſumũtur, tenuitatis uero ſubſtantiæ ad profundum penetrant, & mundificant, ea quæ in profundo ſunt, ſed quia ea, quæ tenuia ſunt, et ſicca calida, et frigida eſſe poſſunt, amara calida ſunt, quia in ſubſtantia terrea calida à calore ſubtilia ta fundantur, ideo etiam tenuis ſubſtantiæ ſunt habent materiã etiam annexam, quam non excoxit calor, terreſtrẽ, & craſſam, ut in abſynthio ſed poßet quæri, cur abſynthium abſtergat, & aperiat meatus interius, exterius uero non? Ideo ſi debent calida abſtergere, tenuis ſubſtantiæ, ut penetrent, eſſe debent, frigida autem tenuia, & ſicca, ut acida, & ita ubi tenuitatem ſubſtantiæ, & ſiccitatẽ habebunt, abſtergent. In hoc igitur caſu ſi uolumus abſtergere ratione totius aggregati calida non requiruntur, quia talia non refrigerant, indicatione ergo ſumpta à loco, & ab ægritudine tria ſunt agenda, refrigerandum, abſtergendum, & corroborandum, ratione quidem materiæ refrigeramus, abſtergimus ratione loci oppleti materia bilioſa, cõſtringimus, & corroboramus, ne amplius os uentriculi recipiat materiam illam, Ad quod agendum, ſi non haberemus unum ſimplex medicamentum, quærenda eſſent compoſita, ſed quia habemus illud, non quærimus compoſita, & eſt omphacium, ſuccum ſcilicet uuæ acerbæ, & ſuccus granatorum, in his tria hæc adſunt, primo frigiditas ineſt, quæ cum in ſiccitate coniuncta eſt, & tenuis ſubſtantiæ ſunt ratione aciditatis, habent uim etiam abſtergendi, habent præterea ultra ea acerbitatem, & aci-

Cur Abſinthium abſtergit.

In hoc caſu quid agendum

Omphacium, ſiue ſuccus granatorum

ditatem, quæ ſicut nos probauimus fundatur in ſubſtan-tia craſſa terrea, propterea habet uim aſtringendi, & corroborandi, hæc tria facit ſuccus agreſtæ, & ſuccus granatorum, præterea facit quartam intentionem, quia diximus dolorem ſedari poſt cibum, quia uiæ occluduntur, calor occupatur ad cibum, & cum cibo permiſcetur materia bilioſa ideo dat Raſis bucellam panis interiorem, quã ponit in ſucco granatorum, uel agreſtæ, exhibetq́; , & ſtatim ſedatur dolor, primo quia cibus ita opplet uias, tũ et quia deprimit bilem, et cum ea permiſcetur, ſuccus præterea adeſt, qui abſtergit, & corroborat membrum. SI AVTEM Cephalea contingat propter multam moram in ſole &c. Poſtquàm Raſis curauit dolorem capitis per conſenſum, nunc accedit ad curandum dolorem, qui fit à cauſa primitiua, quæ licet ſit multiplex, eam tantum accipit, quæ frequentiſſime accidit ſtudens breuitati, & eſt illa, quæ à ſole prouenit, ex quo caput inflammatur, & dolor excitatur, ideo dicit, ubicunq; ita ſol excalfecerit caput, ut doleat, nulla præſentanea cauſa eſt, quæ remaneat illum, niſi oleum roſaceum cum aceto commixtum accipiatis, quia in utroque eſt ratio refrigerandi, in aceto autem maior uis penetrandi, in roſaceo oleo ſedandi dolorem, cum ergo maior uis penetrandi ſit in aceto, maior ſedandi in oleo roſaceo, quomodo debemus, componere, debemus facere oppoſitum, quod facit Herculanus, qui uoluit quadruplum aceti eſſe commiſcendum, cum pars ſuperior capitis aperta eſt ex ſolis caliditate, & cum pori ſint aperti non indigemus penetratione, quia ratione acrimoniæ exaſpe-

Bucella panis tincta in succo granato [illegible] sedat dolorem.

Ad dolorem a sole prim: mentalem.

exasperant. Debemus igitur accippere quadruplum olei rosati, & sub quadruplum aceti, ut conducat oleum rosaceum ad profundum, QVI TAMEN SI EX hoc non quieuerit ex alijs infrigidantibus curanda erit, sicut sunt succus solatri, semperuiuæ, portulacæ, poligonij, & similium, SI AVTEM SODA adhuc fortior fiat & timeat, ne æger uisum amittat, & aqua ad oculos descendat &c. uult Rasis, ut temporum arteriæ incidantur, & extrahantur, ultimo, ut etiam aliquid de chyrurgia dicat, docet, si dolor non sedatur, & sit timor iam dictus, ut oblaqueentur uenæ arteriæ, sed excusat se, quia nō ex professo, sed incidenter hæc dixit. Hic est uidendum unum, quia inquit si ex longo dolore capitis periculum esset, ne amitteret uisum, uel descenderet aqua ad oculos, cur potius oculis immineat huiusmodi periculum? hoc est ex cōsensu neruorū, et quia tunicæ oculi ex mēbranis cerebri factæ sunt. Et ita habetis rationē cur oculi patiātur, esset etiam uidendum, an esset tutum oblaqueari arterias ratione huius periculi uidetur, quod non, quia possent uapores per internas uenas, & arterias ascendere, et tunc, quid conferret arteriarum extimarum oblaqueatio?

Sed his omißis, ad ea, quæ magis necessaria sunt, accedendum, ut doloris clariorem doctrinam habeatis. Compertum nanq; uobis esse arbitror, quàm frequenter accidat hoc symptonia, quod dolor capitis appellatur, et q̄ sæpißime audietis uestros ægrotantes conqueri de huiusmodi doloris affectu, quibus ut consulere poßitis, mederiq;, oportet, ut habeatis cognitionem causarum, & differentiarum

Nota cur potius ad Oculos descendat hic dolor quam ad alias partes.

tiarum doloris, et locorum, quoniam ex horum cognitione indicationes curatiuæ ſumũtur, ſymptoma .n. licet ad ſe non trahat curã, facit tamen ut habeamus intentionẽ ad cauſam, à qua ſumitur indicatio. Cũ igitur ſit neceſſariũ cognoſcere differentias huius doloris, & Raſis, ut uidiſtis in toto hoc cap. diminutus ſit, & confuſus, confuſus quidem quia non diſtinxit ordine ſubiecta, & cauſas, diminutus autem, quia ex differentijs pluribus aliquorum tantum ſigna accipit, tum, quia Empirice procedit, tamen dogmatice debuiſſet procedere ad differentias omnes ſumendas. Quare cum ita ſit, ſi uolueritis ad Gal. fontem accedere, id difficultatis aſſequemini, oportebitq; percurrere, quàm plures Galeni lib. in quibus ſparſim de his ſermonẽ habuit, Si enim ſecundum librum κατὰ τόπους legetis, & tertium de loc. aff. & in multis alijs locis cum difficultate ſufficientes differentias habebitis, & ſigna, ut indicationes curandi elicere poßitis. ſufficit enim ipſi Gal. uniuerſalem methodum tradidiſſe, et indicaſſe, ut per eã ad particulares indicationes peruenire poßitis et ad differentiarum cognitionem, ſi etiam ad Auic. recurretis, qui uoluit omnes cauſas differentes, & ſigna, & curationem ſimul ponere, nihil facietis, quoniam diminutum, confuſum in multis inuenietis, ut in his non ſit inſequendus. Si etiam ad Meſuen recurretis uidebitis ipſum occupari circa intentiones antiquas, potius, quàm curationem, & quàm etiam circa eſſentiam, & ſigna, ideo diminutus eſt. omnes etiam Arabes, Græcos, & Latinos ſi diſcurratis, non inuenietis aliquem, qui ſufficienter, & exquiſite tra-

dat

dat cognitionem horum symptomatum. Moderni etiam practici non possunt, quia ita Auic. sequuntur, ut ne tantillum quidem recedant ab ipso, propterea necessarium mihi uisum est, ut postquã Caput Rasis declarauimus, prout materia requisiuit facere methodum, qua inuestigare possitis per connexum uerum differẽtias omnes doloris capitis signa, & indicationes morborum, ut facile cognoscatis non esse plures nec pauciores. Ad quod exequendũ tria proponemus, primo ostendemus quot sint differentiæ doloris capitis, ut facile appareat non esse, nec esse posse plures, aut pauciores, secundo signa, quæ indicare possint omnes differentias, quia frustra distinctionem causarum & differentiarum haberemus nisi etiam signa haberemus distinguentia, cognitis autem differentijs tertiũ apparet, scilicet indicationes curandi, quia quicquid molimur id gratia istarum indicationum factum est, quoniam hæc omnia expetuntur, ut indicationes curatiuæ habeantur, & si differentiæ erunt confusæ, & indicationes quoque erunt confusæ. oportet ergo exquisitissime distinguere eas, ut indicationes curatiuas distinctissimas habeatis, quia tunc curationem habebimus exquisitam, & tunc dicemur ueri Dogmatici. oportet ergo circa hæc tria uersari, primum igitur quo indigemus sunt ipsæ differentiæ dolorum capitis, sed primum indaganda est essentia doloris, Ab essentia enim rei incepit Gal. methodum cognoscendi singulas quasque res maxime in 2. de placitis Hip. & pl. Ex essentia enim subiecti recte cognita dat nobis notitiam passionum, quia passiones a subiecto fluunt, quare

per

Dilcriptio Montani de oibus differentijs et causis Doloris capitis. Tria hic proponuntur

1 De diffrs. Doloris Capitis

per diffinitiones subiecti paßiones declaramus ut 7. Metaph. Arist. declarauit, quidquid alij sentiant, oportet ergo si uolumus differentias doloris capitis recte cognoscere essentiam eius recte cognoscamus necesse est. Dolor ergo in suo communi significato nihil aliud est, nisi actio læsa a uirtute sensus tactus, Est enim tristis sensatio sensus tactus, ubicunque enim percipit incongruum excessum propriæ naturæ, quod tendat ad corruptionem suæ naturæ, tristem facit sensum, quem dolorem appellamus, si enim debet sentiri dolor, uel excessus, non potest sentiri, nisi in instrumento apto, ergo erit tantum in instrumento, quod recipit sensum tactus, tale est neruus, uel neruosum membrum, & ita habemus subiectum proximum membrum sensibile esse intelligendo super accidens ipsum non causam coloris. Hactenus habuistis conceptum doloris, sed quia non possumus cognoscere differentias huius actionis læsæ, cum sit commune quoddam, nisi per distinguentia, hæc autem a duobus sunt, quibus distinguuntur dolores, Locus scilicet affectus, & causa seu materia faciens dolorem, ideo ubi hæc duo sunt simul, statim resultabit differentia, & forma doloris, quæ erit etiam efficacißima (ut signum est) ad cognoscendum locum affectũ, & materias ipsas, Loquar autem de forma ipsa doloris, ubi de signis loquemur, sed iam duos illos locos declaremus, incipiamus autem a subiecto hoc est a loco, postea ad causam doloris accedemus, Ex hoc habemus nos debere inuestigare in præsentia de dolore, qui fit in capite, ut iam habeamus subiectum, & licet caput distinctum mem-

brum,

brum, organumq́; ſit contra inteſtina, hepar, & reliqua membra habẽs partes diuerſas et formas, quæ uariantur ex uarietate ſubiectorum ſitq́; uniuerſale quoddam ex pluribus compoſitum, ipſum tamen diſtinguere debemus. Vnde cum dicimus dolorem capitis, non dicimus, ſiue intelligimus per caput totum aggregatum ex naribus, oculis, dentibus, palato &c. ſed accipimus caput pro illa parte, quæ eſt a baſi cranei uſque ad capillos excluſiue, & ita loquimur in præſentia de capite, iam igitur uidiſtis, quid intelligamus per hoc nomen caput, ſcire autem debetis ipſum ita diſtingui in os primo, ſecundo membranas internas, duram, & piam matrem, tertio neruos, quarto arterias, & uenas, quinto ſubſtantiam cerebri, ſexto pericraneum, muſculos exteriores, et tandẽ cutim, iſta omnia ſunt partes, in quibus aliquod ſymptoma eſſe poteſt, et hæc omnia notare diligẽter debetis, quia nos diximus dolorem eſſe triſtem ſenſationem inſtrumenti ſenſus, neque poſſe haberi pro ſubiecto, niſi ſenſibile ſubiectum, quod poßit ſentire ſenſu tactus, ideo ex omnibus partibus capitis iam enarratis nõ poterit os neque ſubſtãtia cerebri eſſe ſubiectum doloris, quare, nec in ipſis ponetur, quia nõ ſentiunt, loquimur nunc de ſymptomate ipſo, non de cauſis facientibus dolorem, & declarabitur apparens quædam contradictio, in dictis Gal. edita ex malo intellectu. non poterit ergo eſſe dolor, niſi in neruis, uel arterijs, aut membranis internis, aut muſculis externis, & cute, et iſta poſſunt eſſe ſubiectum doloris in capite exiſtentis, & ecce quoad diſtinctionem a loco ſumptam, & quo ad ſubiecta,

cta, quæ possunt distinguere dolores capitis, quæ tot sunt, quot sunt partes sensum habentes. De distinctione autẽ, quæ per alium locum sumenda est, idest per causas facientes dolorem nunc dicere aggrediamur. pro quo scire debetis, quod causæ dolorem facientes quædam sunt intrinsecæ, quædam extrinsecæ, intrinsecæ sunt uel immediatæ uel mediatæ, Appello immediatas, quibus statim positis ponitur symptoma necessario, et actio læsa, inter quam, et symptoma nihil est medium, talis autem causa intrinseca quæ immediata appellatur cum ægritudine conuertitur, et est, ac si diceretis ægritudinem, quod probatur authoritate Gal. primo, aut secundo de diff. morb. ubi diffiniens ægritudinem ait, Est enim ægritudo, dispositio præter naturã, a qua prouenit impedimentum operationis prouentu primo. Cum igitur causa, quam ponis immediatam, et intrinsecam sit talis, ut ab ipsa primo proueniat impedimentum actionis, merito dicitur ægritudo, per causam ergo doloris immediatam ægritudinem ipsam facientem dolorem intelligimus. Cum ergo dolor sit symptoma, quæramus ægritudinem, idest causas immediatas, hæc autem uel est in mala complexione, uel in aliqua compositione præter naturam, uel in solutione continui, istæ sunt tres causæ generales, & uniuersales immediatæ. Modo quæ, quotq; esse poßint ægritudines istæ, quæ sunt causæ immediatæ facientes dolorem capitis uideamus. Mala temperies una erit, uel cum materia, uel sine materia, ex sufficienti diuisione, si sine materia uel est caliditas, uel humiditas, frigiditas, uel siccitas, uel complicatio, ex caliditate, & humiditate,

ditate, caliditate, & siccitate, frigiditate, & siccitate, frigiditate, & humiditate. Et quantum sit ratione frigiditatis, & caliditatis, ipsæ faciunt dolores acutos. siccitas uero facit dolorem segnem, & non nisi fiat ita immensa, ut soluat continuum, quia cum sit in paßiuas communicata, habet rationem potius paßionis quàm actionis, humiditas uero sine materia nullo pacto potest facere dolorem, quia nec comprimendo, nec tendendo, nisi per accidens uidetur, cum ex paßiuis altera sit, quæ inferat dolorem, altera uero si copuletur caliditas, uel frigiditas cum siccitate, longe acerbior erit dolor a temperatura calida & sicca, q̃ a calida & humida, ut experientia docet, & ratio est intelligendo de dolore, qui fit a qualitate sola sine materia, quia fieri potest dolor, ut in inflãmatione a calida et humida causa proueniente acutior, quàm in erysipelate, quia duas habet causas facientes dolorem, humiditas uero non causat dolorem. Idem dicatis de frigiditate & humiditate, & cum siccitate, nam cum frigidum & siccum dentibus, oßibusq; inimica sint dicebat Hip. ideo maiorem faciunt dolorem, quoniam ambæ faciunt dolorem, cum autem iungitur humiditati minor fit, quia una tantum causat dolorem, Potest etiam fieri dolor sine materia, ab occulta qualitate, & uenenosa, non quia calefaciat, infrigidet, exiccet, aut humectet, sed quia naturam corrumpat, & quoniam omne, quod corrumpit naturam dolorem facit, ideo uenena, quia possunt corrumpere naturam, ita dolorem facere. potest igitur occulta qualitas nomine ignoto incitare dolorem in membro, omnis igitur intemperies sine mate-

ria,

Dolor sine Mãria, &c. potest ab occulta qualitate

N

ria, uel occulta qualitate facit dolorem. Et ita habetis omnes causas per intemperiem sine materia. Reliquum est, ut de causis intrinsecis immediatis, quæ sunt ægritudines factæ per intemperiem cum materia dicamus. Causæ ergo immediatæ tales sunt uel sanguis, uel pituita, uel bilis flaua, uel atra, flatus, uel uapores, hæ enim possunt facere dolorem in capite, quoniam redundant, quæ recitant à Gal. in 2. κατὰ τόπους potest enim quælibet harum facere dolorem dupliciter uel solis qualitatibus suis, uel sua mole et quātitate, suis qualitatibus quidem refrigerādo, & exiccando, & calefaciendo et ut apparet in principio inflāmationis, sicut docet Gal. de inæquali intēperie, et in libro de plenitudine dum currunt humores ad locum, primo calefaciunt, & tunc faciunt dolorem moderatum similem illi qui fit a solis qualitatibus sine materia, secundo cū crescat inflammatio in quantitate, & tunc facit alias species doloris grauatiui, diuulsiui, tensiui, ulceratiui, & pruriginosi, tertio soluunt continuitatem, & tunc fit dolor magis intensus. Hæc omnia debetis annotare, & obseruare, ut sciatis quomodo Gal. sententia dicat duas esse causas immediatas doloris, intemperiem malam, & continui solutionem, cum à sola qualitate dicat fieri dolorem, nec non a quantitate materiæ diuellendo substantiam, & ita sit sufficienter uisum de causis immediatis alterantibus, sed adhuc supersunt aliæ, quod ubi materia sua mole, & quantitate dolorem facit, potest id facere, uel obstructionē faciendo, uel inflāmationē causando, aut continui solutionem, quando ergo materia grauans obstructionem

facit

facit leuis hic fit dolor, quia his qualitatibus tantum iuxta materiam humoris primitus occurrit, ſecũdo conſtrictionem facit, & iam incipit auſpitium quoddam ſolutionis continui, & fit tunc dolor maior, q̃ ſi inflãmatio ſequatur adhuc intenſior, ut tandem ſoluatur continuum ob concurſum omnium cauſarum, & ideo ubi obſtructio leuis, non tendit, neque ſoluit continuum, At ubi fierent tenſiones, et copioſa materia, facerent etiam ſolutionẽ continui, quæ ſequitur magnas obſtructiones, & inflãmationes, et ſic quotieſcunque concurrunt duæ cauſæ ſimul dolor maior fit, unde ſequitur, quod ſolutio continui ſine mala intemperie, & mala intemperies ſine ſolutione continui non faciunt dolorem intenſum, ſed ubi omnia concurrunt maximi fiũt dolores, & ita habetis omnes cauſas intrinſecas immediatas tam in intemperiei cum materia, quàm ſine materia, ex quibus ſequitur ſolutio continui, quàm etiam in compoſitione, cum obſtructio, uel inflammatio fit nullam habeatis cõſiderationem de figura uitiata, aut ſitu cum iſta non faciant ad rem noſtram. Et ita expediti ſumus de primo intrinſeco, Reliquum eſt, ut de intrinſecis mediatis agamus, quod fuit ſecundum ſubdiuiſionis membrum, quæ non ſunt ægritudines, quia ægritudo eſt, à qua primo prouentu prouenit impedimentum actionis, quod non conuenit cauſis mediatis intrinſecis, cum non niſi alio mediante impedimento ſint in actionibus ipſis. Et hæ omnes ſunt ferè cauſæ, quæ dicuntur per conſenſum dolorum cauſæ. Cauſas dico non ægritudines, licet ab eiſdem materiebus fiant, quibus ægritudines, neque hoc inconuenit, quod ea-

Eadem res potest habere rationem modo causæ modo ægritudinis.

dem res modo cauſæ, modo ægritudinis rationem habeat, ægritudinis quidem, ubi immediate actiones impediat, cauſæ uero cum non niſi mediante alio ſcilicet uaporibus cum alia quapiam ſimplici qualitate ad cerebrum aſcendentibus, quibus conſentiente cerebro faciunt ægritudinem, quæ per conſenſum appellatur dolore, & cauſa conſentiente, ægritudo uero erit uel in uẽtriculo, aut hepate, aut aliquo alio membro inferiori, à quibus uapores, & qualitas mala eleuãtur quũæ quidẽ ægritudo reſpectu doloris cauſa dicitur, hanc rem declarauit nobis Gal. in commento illius Aphoriſmi. Febres diariæ ſoluuntur infuſione aquæ calidæ ſuper caput, de febre exemplificans, quæ aliquando accidens, aliquando ægritudo dicitur, ægritudo quidem cum immediate, cauſa uero cum mediate actiones impedit, & ita diſtinctæ ſunt omnes differentiæ doloris, quæ fiunt à cauſis intrinſecis. Reſtat modo, ut de extrinſecis agamus qđ fuit membrum principalis diuiſionis, & ſunt omnes illæ, quæ exterius contingunt, qualitas ſcilicet uapor, aer, cibus, potus, uenena potio, poteſt enim ex his fieri dolor, uel per exceſſum caliditatis, ſicut contingit de ambulantibus in ſole, uel frigore, aut cum occurrimus ſiccitati frigiditati coniunctæ, ſicut Boreæ, uel caliditati cũ humiditate, ut accidit his, qui Auſtro occurrunt, quia iam oſtendimus caliditatem cum humiditate iunctam cauſare dolorem, in aere etiam poteſt eſſe res aliqua corporea, ut uapor, qui excitat dolorem, ſicuti intrinſecus uapor id efficit, ut oſtendemus cum de cauſis intrinſecis agam, quod potus uini potentis, piperis, & ueneni dolorem faciat ma

Extrinsecae causae

niſe=

nifestum est, omnes etiam si simul iunctæ fuerint, uapor uidelicet & qualitas aliqua dolores facient deteriores. Et *hæc dicta sint de differentijs doloris, quæ sumuntur à causis, sed hic notabitis cum de subiectis doloris locuti sumus, de his scilicet in quibus dolor subiectiue recipitur, habuimus sermonem.* Nunc *agemus de subiectis dolorum hoc est ægritudinum, unde prouenit dolor, quæ sunt subiecta causæ dolorem facientes, & tunc si quæratis à me quæ & quot sint huiusmodi subiecta, dicas esse tot, quot partes, seu membra capitis sunt non excipiendo cerebri substantiam, neque ossa, quia stat quod hæ partes ægrotẽt, neque sentiant, sicut de inflammationibus hepatis, & pulmonis dicemus, quæ non percipiunt inflammationem, sed membrana continens membra illa, quæ cum prædita sint sensu tactus per consensum membri nocumentum patitur, quia aggrauata est à mole mẽbri inflammantis.* Ex *his sequitur, qđ oẽs materiæ, & causæ tã extrinsecæ q̃ intrinsecæ tã immediatæ, q̃ sunt ipsæ ægritudines, q̃ mediatæ, quæ sunt causæ ægritudinũ, possunt omnibus partibus capitis inesse, tam membranis, q̃ cerebri substãtiæ, neruis, & arterijs musculis, & cuti, neq; refert an cerebrum sentiat, nec ne, hoc declarauit Gal. in 2.* κατὰ τόπȣς *cum distinguens dolores, & de causis eius loquens dixit dolorem in cerebro & mẽbranis omnibus tã intrinsecis, q̃ extrinsecis esse, non intelligatis ipsum de dolore subiectiue locutũ eẽ, inesse in substãtia cerebri, sed ꝑ dolorẽ intellexit ægritudinẽ faciẽtẽ dolorẽ ẽt in cereb. nec sibi cõtradicit ꝑ hoc licet alibi cõtradicat in cerebr. nõ eẽ dolorẽ, cũ in ipso nõ*

ſit ſenſus tactus, quia ibi de cauſis immediatis id eſt ægritu dinibus facientibus dolorem loquitur, non de ſymptomate, cum cerebrum, ut diximus, nullo modo ſentiat, Et hæc quātum ad ſubiecta, & cauſas facientes dolorem, Hic cō ſulto omiſimus breuem epilogum factum tanquàm ſuper fluum, quod non poſſunt eſſe plures, neque pauciores, be ne poſſunt copulari materiales cum immaterialibus, ut cō tingit ſæpiſsime, & quia diuerſas faciunt complicationes, Ideo augent numerum, hoc nihil facit, quia ſi prius eritis exercitati in his ſimplicibus cauſis, eas facile cum cōplicatæ fuerint, ex ſignis ſuis, de quibus dicemus, cognoſcere po teritis. Sed notetis hic Auic. noluiſſe methodum Gal. pro= fiteri, maxime in tertio libro, ubi has cauſas omnes ita co natur diſtincte enumerare, ut non paruam afferat legen= tibus confuſionem, immo enumerat quaſdam differentias dolorum, quæ non poſſunt aliquo pacto dici differentiæ, ſicut facit cum alios ponit diuturnos dolores, alios bre= ues, nō aduertens hic prorſus accidentia eſſe, quæ nō poſ ſunt genus ipſum diuidere, quinimmo rationem materiæ, & loci ſequuntur, quod enim dolor diuturnus ſit, uel bre uis, materia, & locus in cauſa ſunt, dicitur ſecundo cere= brum aliquod aptum eſſe ad patiendum, aliquod non, ſed iſtæ ſunt diſpoſitiones cerebri quibus afficitur ad hunc, uel ad illum ſuſcipiendum, quod poſtremo ait aliquos dolo= res habere accidentia ſæua, aliquos non, id eſt ratione mul titudinis materiæ, & ex ratione nobilitatis loci accidit, quoniam ea quæ ſunt ab ipſo dicta, aut ad noſtram diuiſio nem reducentur, aut tanq̄ ſuperflua omittenda erunt. Ex

qui=

bus omnibus constat, quantum affectauerit Auic. Gal. methodum, quam planè non est assecutus, nolo tamen, ut ipsum derelinquatis, immo, ut exerceamini in illo tertio sed ubi deficiet, ex methodo nostra cognoscetis errorem, & hæc sufficienter sunt dicta de causis, & differentijs doloris.

At quia diximus superius cerebrum non sentire sensu tactus, fuit obiectum, à nostris, qui difficultatem hanc ceperunt ab alijs Doctoribus, quomodo crederent in cerebro non esse sensum tactus, ne & uos in huiusmodi errorem cadatis, duo uerba in hac difficultate dicemus ad huius rei clariorem intelligentiam, habent enim isti fundamentum ualde ridiculum, dicunt enim cerebrum esse principium sensus, ergo debet sentire, quoniam propter quod unumquodque tale & illud magis tale &c. Si ualeret hoc argumentum liceret etiam nobis ita argumentari, cerebrum est principium sensus uidendi ergo uidet, est principium audiendi, ergo audit, hoc ridiculum est, ergo & illud, Dicebat enim Gal. in septimo de Placitis, duo requiruntur ad sensum, unum alteratio, quæ recipitur in sensu, et dignotio alterum, quæ in primo dignoscitiuo recipitur, ut exempli gratia in oculo recipitur species mediante lumine, & auris audit mediante sono &c. sic etiam in alijs. Recipiūtur autem huiusmodi species in primo cognosciti uo in cerebro, ita quod quilibet sensus exterior habet etiā proprium instrumentum in cerebro, ita quod cerebrum mediante instrumento sensus auditus audit per aures, uidet per oculos, gustat per palatum, odorat per carunculas

Questio An cerebrum sentiat sensu tactus..

Obiectio.

las illas mamillares, sentit sensu tactus per neruos, qui sunt instrumentum tactus, ut docet Gal. in septimo de Placitis, & sexto & septimo de usu partium, Si igitur remouebitis instrumentum sensus in quo recipitur species, & alteratio, statim sensum illum remouebitis, quia deficiente instrumento deficit sensus, & è contrario dicebat Arist. secundo de anima, sicut ergo ridiculum est dicere extincto oculo & similia obiectorum eius in sensu poneretis non uideret, & ita de obiecto odoratus &c. Tactus etiã cum recipit excessum qualitatum primarum, & solutionem continui, statim hæc omnia repræsentantur neruis, qui sunt instrumentum in quo fit alteratio, & sensus, demum cerebro repræsentantur, & dignoscit, & alteratur, & tunc iudicat, ideo ratio illa nulla est, sed proponenda erat maior, & difficilior difficultas, quia diximus nos neruos esse instrumentum tactus, quid sit in membro isto .s. neruo, quod principaliter, & propriè sentiat cum duo in neruo sint membrana circundans, & medulla, quæ cerebro respondet, an membrana an uero medulla, Gal. septimo de usu part. uidetur dicere, quod medulla cerebro, & membrana membranis cerebri correspondeat. Difficultatem uobis propono discutiendam. Redeamus nunc nos ad rem nostram, diximus in præcedentibus, & enumerauimus differentias omnium dolorum & causarum, quæ dolorem faciunt per ipsa subiecta, nec non per causas ipsas, diximusq; frustratoriam uobis esse hanc cognitionem, nisi haberemus etiam signa indicantia quando in subiecto differentiæ istæ reperiantur, non sufficeret ergo

nisi

Questio Quid in Nervo principaliter sentit membrana an Medulla. ?

Signa

nisi eadem methodo traderemus notitiam, quo pacto omnia signa ad singulas illarum differentiarum faciant. Et quoniam signorum tria sunt genera, ut in primo Prognosti. lib. hētur unum, quod ἀναμνηστικὸν appellatur, idest rememoratiuum, aliud διαγνωστικὸν idest dignoscitiuum tertium προγνωστικὸν. i. præcognoscitiuum appellatur, De rememoratiuis nihil in præsentia dicemus quia hæc signa non multum ad indicationes inueniendas conferunt, duo uero reliqua, quia faciunt maxime ad indicationes, ideo de ipsis pertractabimus, & quoniam diagnostica, à prognosticis subiecto nihil differunt, cum subiecto eadem sint differunt autem habitudine, & modo sumendi ipsa, idem signum potest esse & diagnosticum, & prognosticum. exempli gratia urina, in qua furfures sunt signum diagnosticum est indicans dispositionem. i. abrasionem in superficie tunicæ uesicæ, prognosticat autem ulcus futurum in uesica ob humores acres, nisi occursum fuerit, & ita de singulis dicēdum est. Remanent ergo duo hæc signa non differre nisi ex modo sumendi. De diagnostico ergo primo dicamus, postremo de alijs, si uolumus Gal. Medicinæ fontem sequi, qui in secundo de loc. aff. utitur sex principiis ueluti sex fontibus, à quibus hauriuntur omnia signa indicantia, non errabimus, primum est actio læsa, secundum propria accidentia, tertium humores præter naturam, quarto dolor est, quintum exeuntia, sextum qualitates mutatæ. Ex his omnia signa sumit, et hæc licet à Gal. dicta nos tamen alia uia procedendo uobis proponam, quæ mihi uidetur breuior, quæ

si uobis placuerit, per eam incedetis, si minus ad fontes illos accedetis, & recurretis. Signa uel ab his, quæ essentérialiter fluunt ab ægritudine, & à loco affecto, & uel ab his, quæ extrinsece, fluunt, sumuntur, quæ nisi annexa sunt, hoc sit primum fastigium inuentionis, sed prius declaremus signa fluentia ab essentia morbi, & loco, hæc à tribus sumuntur fontibus, sicut Gal. à sex sumendo dicebat, primo ab actione læsa, sicut fecit Gal. secundo ab accidentibus, tertio ab exeuntibus, quæ tria existimo sufficere, & esse tres fontes admodum idoneos ad signa omnia inuenienda, quæ præsentem indicant ægritudinem, & locum affectum, nec non, & futuram, sed iam singula examinemus, & quantum ad actiones læsas attinet sciendum est actionem læsam in humano corpore quo ad triplicẽ esse, sicut sunt tria facultatum prima fastigia, primo est animalis facultas, quæ suam sedem habet in cerebro secundo uitalis, quæ in corde, tertio naturalis, quæ in mẽbris naturalibus stomacho, scilicet hepate, uenis, utero, & aliquo mõ in membris genitalibus collocatur. Harũ actionũ uitia à nobis sunt consideranda, si ueri, & Dogmatici Medici esse uelimus, & id quod primum in considerationem uenire debet, erit inditium sumendum ab actione læsæ, quæ est in cerebro, & considerare, quæ nam læsæ sint, & quomodo, uidereq;, an iste dolor capitis, quoad animales actiones recte se habeant, an male, & quod de hac ægritudine dicimus, idem dicemus de omnibus alijs, & quoniam inter animales actiones, quædam motiuæ, quædam cognoscitiuæ sunt, & inter cognoscitiuas, aliquæ intrinsecæ, aliquæ ex-

trin=

trinsecæ. A cognoscitiuis intrinsecis incipere debetis, quæ in cerebro sunt, & sunt tres, imaginatiua, cogitatiua, & memoria, uidereq; an bene, an male se habeant, si male, an ablate, an corrupte, an diminute imaginatur, si diminute, quia non imaginatur, sicuti imaginandum est, tunc est signum in anteriori parte ægritudinem esse, & frigidam, quia dicebat Gal. in de symptomatum causis, quod operationes ablatæ, uel diminutæ à causa frigida sunt, si corruptæ à causa calida. Et hæc sunt signa iam incipientia locum, & materiam indicare, locum quidem, quia anteriorem partem cerebri, materiam uero calidam. Et quod dico de imaginatiua, idem de cogitatiua dicatis, quæ secundum Galeni sententiam nihil aliud est, nisi proprium cerebri temperamentum, idem pari modo de memoratiua facietis, si enim corrupte memorabitur in posteriori parte cerebri materiam esse calidam corrumpentem eius operationem iudicabitis, si obliuiscitur, materia frigida et humida ibidem esse attestabitur, si tenaciorem haberet memoriam, quàm haberet antea, iudicabitis cerebrum exiccatũ esse, & ibi adesse humorem exiccantem, Et ita locus, & materia denotabitur uobis, & sic ex his principijs, ex uitijs, scilicet cognoscitiuarum, quis locus affectus, & quæ materia peccans sit, cognoscetis. De extrinsecis uero potentijs cognoscitiuis, ubi intellexeritis in oculo læsionem esse, quia male uidet, considerabitis, nunquid corrupte uideat et habeat imaginationes uarias secundum diuersa accidentia impedientia uirtutem cognoscitiuam, quæ est in oculo, si quidem corruptæ erunt imaginationes

materia erit calida, ſi diminutæ frigida indicabitur, idē dè auditu, olfactiu alijſq; reliquis ſenſibus dicatis, qui habent operationes ſuas à cerebro. Ex quibus cognoſcitiuis actionibus extrinſecis recte cognitis, materiam, & locum affectum cognoſcetis, modo cognoſcatis prius ex Anathome tunicas oculorum ortum habere à membranis cerebri, neruos autem à molli medulla cerebri, aliter nunquam eſſetis ueri Medici. Et hæc quantum ad ſpeculationem omnium actionum uitioſarum cognoſcitiuarum tam interiorum, quàm exteriorum ſufficiant. Quantum uero ad partium motiuarum ſpeculationem attinet, ubi tardiores earum motus uidebitis ſpeculandum erit à uobis, unde oriantur nerui, & hoc deducet uos in cognitionem loci affecti, ſi enim in motu erit ſegnities quædam, & torpor, ſeu tremor, cauſas frigidas in ea parte unde oriuntur nerui eſſe intelligatis, deinde ad muſculos accedetis in illis ægritudinem eſſe cognoſcetis, & iſte eſt uerus diſcurſus; & hæc quantum ad actiones læſas in uirtute animali, tam in cogitatiua interiori, quàm exteriori, & motiua. Nunc de ſecundo uirtutum genere agamus, poſtquam ad infirmū acceſſeritis, & iam per animales fuerit à uobis diſcurſum ad uitalem uirtutem in corde collocatam accedetis, et conſiderabitis primo de corde, nunquid excandeſcat æger plus ſolito, an uero cum prius iracundus eſſet, nunc uero ſegnis factus ſit, & nunquid ad miſericordiam inſuetā, an uero nunc nō miſereatur, cū prius nō ſolitus eſſet. Ex his cognoſcetis cordis temperaturam immutatam eſſe, ſi enim plus ſolito iracundus eſſet, calor acrior eſt factus, ſi

pius

Quedam Motiuæ.

Aūt Vitalis

pius, & mansuetus, cum prius iracundus esset, frigidior est factus, si audatior solito aucta est caliditas, si timidior, cum prius audacißimus esset, ex motu arteriarum indicabitur caliditas, frigiditasq́; frequentia arguit neceßitatem auctam, quæ si cum uirtute diminuta iungatur, auctum esse calorem indicabit sed hæc poteritis uidere ex li. de diff. & causis pulsuum, & de progn. ex pulsu, & istud est, quantum ad hæc. At per considerationem uitiorum uitalium actionum cognoscetis capitis dispositiones, an calida, frigida, humida, uel sicca sit, & an multa materia abundet, necne. Discurratis tertio cum ægro, an uirtutes naturales bene se habeant, quæ in unoquoque membro naturaliter operante quatuor sunt, ut ex Gal. in de uirtutibus naturalibus didicistis attractrix, retentrix, cõcotrix, expultrix. In corde .s. hepate, intestinis, utero, uesica considerabitis, an coctiones, attractiones, retentiones, expulsiones secundum naturam se habeant, an uero præter naturam cõsideratis omnibus uitijs naturalium facultatum, quo ad has quatuor actiones, tũc in nostro casu magnam habebitis ansam cognoscendi. Vultis cognoscere dolorem capitis per læsam actionem, & per illam uidere cuius speciei sit? sic faciatis, cum dolor sit actio læsa in tactiua uirtute, dolor iste, qui est actio læsa, proprium, & perpetuũ erit signum, per quem, & locum affectum, & essentiam eius cognoscetis, considerabitis ergo hanc actionem læsam, quæ uitium est in tactiua uirtute, quam habeat doloris formam, quam diximus non posse cognosci, nisi prius cognita fuerint subiecta, & causæ doloris, quia diximus for

mas

mas & differentias dolorum penès subiecta, in quibus est dolor, uel causam doloris accipiendum esse, et hanc artem attendatis, quia ex ea recte lib. secundum de loc. aff. cognoscetis, & intelligetis, uidebitisq; quomodo Auic. hallucinatus sit enumerando quinque species doloris, & quomodo superflue aliquas enumerauit, quomodo in nonnullis alijs fuerit diminutus. Doloris ergo differentiæ, & formæ quædam à loco affecto tantum euariantur, ita quod locus affectus talem necessario faciat dolorem, ut ex loci diuersitate fiant doloris formæ, quidam igitur sunt talis naturæ, ut nec materia, nec locus solum, sed uterque simul concurrat, alij qui à motu cognoscuntur tantum. Primus dolor, qui à loco tantũ cognoscitur pũgitiuus appellatur, quia quæcunque materia fuerit, semper pungitiuus erit, & membranarum proprius est, ita quod ubi audietis aliquem de dolore pungitiuo conquerentẽ, dicetis ergo mẽbrana affecta est, quia sola membrana pungitiuum dolorem patitur, & ratio est, quoniam membrana solidum membrum est, ac densum sine aliqua laxitate, ideo si debet in ea fieri dolor, oportet ut qualitas sola, uel materia in aliquo loco figatur, qui minorem habeat resistentiam, & cum non dilatatur compungit locum, bene differentias habet, quia aliquando ita pungitiuus est, ut tota uideatur pungi, est tamen in uno loco tantum, & dicitur talis dolor æqualis, Cum enim adhæreat oßi, sicut membrana succingens costas dicitur inæqualis, quia membrana adhærens oßi magis extenditur in una, in alia minus, semper tamen est fixus in uno loco debiliori, & quia membrana

brana admodum crassa, & quia à calida materia utplurimum fiunt. Et si à materia frigida fieri possunt, quæ penetrare posit, sicut contingit in pleuritide à materia frigida, semper tamẽ pungitiuus dolor erit, quia necessariũ est, ut sequatur inflammatio membranæ, & hæc de pungitiuo dolore. secunda species, quæ à loco tantum sumitur intensiuus dicitur, de quo fortasse intellexit Archigenes, quando posuit illam speciem doloris, quam olcimon appellauit, hoc est tractiuum. in quo dolore membrum trahitur, quem siue tractiuum, siue intensiuum nominabitis, in ipso ita trahi uidebitur, ut eius magnitudo maius spatium, quàm conueniat occupare uideatur, sicut cum tenditur corda à citharedis, & fit doloris hæc species in neruis tantum, quando tenduntur, uel à caliditate exiccante, uel à materia humectante, ad quem sequuntur conuulsiones, & ita habetis, quod dolor iste tractiuus, siue intensiuus neruorum proprius est. tertia species doloris diuulsiuus, & laceratiuus appellatur, & ista est species, quæ non contingit, nisi in membranis, quæ carnibus commiscentur, fitq; à sola qualitate, uel à materia, quæ modo huc, modo illuc repere uidetur inæqualitatem quandam faciendo, & quodam modo lacerando, ac si in diuersis partibus separaretur membrana à carne. quarta species, quæ & ipsa à loco tantum sumitur perforatiuus appellatur, qui siue fuerit à crassa materia, aut biliosa, appellatur perforatiuus, de quo meminit Gal. in 12. Met. figiturq; semper in crasso membro, ut in intestinis tribus inferioribus, quia semp materia illa siue calida, siue frigida fuerit, ita infiga

tur

2. Intensiuus dolor. fit tantum in neruis.

3. Laceratiuus dolor. fit in membranis quæ carnibus commiscentur.

4. Perforatiuus dolor figitur in tribus intestinis inferioribus.

5 Grauatiuus dolor in membris insensilibus et ut renibus hepate

tur in illis intestinis, ac si palo, aut terebello perforari uideantur. quinta species quæ à loco tantũ sumitur est grauatiuus dolor, qui fit quotiescunque ægritudo uel materia faciens dolorem in membro insensibili figitur, ut in renibus, hepate, quæ sunt membra non sentientia, nisi ex consensu membranarum contingentium, quemadmodum & cerebrum non dignoscit læsionem, neque sentit eam, ita & in renibus contingit, quoniam in ipsis non sunt nerui dispersi, sed grauantur à pondere materiæ, et dolor fit grauatiuus, ideo dicebat Hip. & Gal. in 6. Epid. quod dolor grauatiuus in renibus proprius est, & hepatis, uel suspensiuus, aut detractiuus, & ita hucusque habuistis quinque species à locis affectis sumptas, prima est pungitiuus in membranis, secunda intensiuus tantum in neruis, tertia diuulsiuus, uel laceratiuus in membranis carni permixtis, quarta perforatiuus in craßis membris in intestinis, quinta grauatiuus in membris non sentientibus. Sunt etiam aliæ quinque dolorum species, qui à materia tantum sumuntur, à qualitate materiæ, & humoris tres, duo ultimi à qualitate, à duritie, seu mollitie, primus à qualitate humoris acceptus mordicatiuus, secundus stupefactiuus, tertius exasperatiuus. Vbi enim acutus humor pungens soluat continuum, siue causa calida, siue frigida fuerit, mordicatiuum faciet dolorem, licet aliter calidus, aliter frigidus dolorem istum faciat, una tamen est forma soluere continuum, & exprimere humidum, caliditas quidem dilatando humidum exacuans, frigidum uero mordificat constipando quapropter unamet forma est operandi, ut bene

Sunt et aliæ quinque species dolorum

6 Mordicatiuus.

Gal.

Gal.in 4.de ſimpl.med.cap. 2.declarat oſtendens, quomodo frigidum mordicax ſit,quia ſoluit continuum conſtipando,& comprimendo talem humiditatem. Et notate quod, ut frigus mordicet,requiritur humiditas in membro, & caliditas reſiſtens, quia aliter non mordicaret, ſicut facit ſtupefactiuus,de quo nunc dicemus. Stupefactiuus dolor, qui fit à materia frigida tantum,cum occurrit frigido mẽbro pauci caloris, ut in ulceribus cruris contingit, niſi caliditas reſiſtat ſtuporem inducet in locum, ubi ergo frigidum occurrat membro,neque reſiſtentiam habeat, fit dolor ſtupefactiuus,qui nihil aliud eſt, niſi uia ad reſolutionem,ſeu paralyſin, ideſt ad amiſsionem ſenſus, in quo quidem tempore ſtupidus dolor cauſatur, quia diximus non fieri dolorem niſi corrumpatur natura, frigidum .n. occurrens membro medij caloris ſtuporem facit, ex quo patet ab exceſſu primarum qualitatum ſolummodo cauſari dolores ſine ſolutione continui,quia in tali dolore ſtupefactiuo in quo frigidum occurrit membro fit dolor,& tamen non ſoluitur continuum, cum finis eius ſit ſolum ſtupefacere,ſicut in mordaci,cuius finis eſt continui ſolutio,& ita apparet,quomodo dolor fiat in quibus finis ultimus eſt inducere malam qualitatem tantum,& non ſoluere continuum,ſimiliter,& in hoc motu mordicatiuo dũ tenditur ad mordicationem,fit quidem dolor, quia cum habent finem,non fit amplius dolor,ſicut etiam membro iam mortificato contingit, in eo tempore, dum mortificatur membrum fit dolor ſtupefactiuus,qui eſt uia ad reſolutionem,& tamen non ſoluit continuum, tertius à qualitate

tantum

7 Stupefactiuus.

Quomodo is dolor fiat.

Nota

tantum exasperatiuus est, fit cum sicca materia occurrit membro sensili, ut habeat motum per illud, exasperat, ut cum à re aliqua sicca fauces exasperantur. Duo reliqui dolores, unus à materiæ multitudine, alius ab asperitate accipitur, primus à multitudine materiæ acceptus compreßiuus dicitur, ut cum in membro sensibili materia multa in aliquo loco angusto contenta est, facit dolorem compreßiuum, non quidem à qualitate, sed à quantitate, & multitudine, secundus contusiuus dicitur non à qualitate, aut multitudine materiæ sed ab asperitate, & duritie materiæ, ut cum lapis descendit ratione suæ duritiei, uel asperitatis contundit, & soluit continuum, ut etiam sanguis emanet aliquando. est & sextus, qui dolor pulsatiuus appellatur, arteriæ tantum proprius, in ipsaq; solummodo reperitur. Et notate nos dicere pulsatiuum dolorem non fieri, nisi in arterijs per se, quia duplex est duntaxat dolor pulsatiuus per se unus, per accidens alius. Appello pulsatiuum per se, quãdo corpus arteriæ inflammatione aliqua affectum est, tunc necessario fit pulsus, quia existẽte inflammatione in membro sensibili: quæ mala temperies est, unà cum repletione, soluetur continuum, dolor sequitur necessario maximus ob concursum duarum causarum .s. malæ temperiei, & solutionis continui, pulsatiuus uero fit, quia continue mouetur arteria. Habet etiam duas causas excitantes dolorem, quæ sunt compreßio membri, & motus arteriæ, quæ quantum possunt, experiẽtia constat. Qui enim habent in membro aliquo inflammationem, nõ possunt ne tantillum quidem mouere membrum, quin excitetur

tetur dolor, etiam quod blande tangantur, dolent, ac si à graui aliquo pondere comprimerentur, quæ duo in arteria mota contingunt, quia à uicinis partibus comprimitur, & quia continue mouetur, unde si non haberet comprimentia membra, dolerent quidem, sed non tantum. Pulsatiuus uero dolor per accidens perceptus est, cum membra ipsa non sunt affecta, sed uicina inflammata sunt, ut declarat Gal. in secundo de inæquali intemperie, & in secundo de locis affectis, et locus est angustus, quo fit, ut ad pulsum arteriæ locum attingant affectum uicinum, & cõprimant ipsum, & excitent dolorem, tùm etiam quia non solum comprimuntur, sed mouentur, sed quòd dolor iste pulsatiuus sit per accidens patet, quia ubi sunt arteriæ in loco tam amplo, ut ad motum earum non comprimant locum, dolet quidem membrum, sed non dolore pulsatiuo, sed aliquo alio, non estq; dolor pulsatiuus iste per accidẽs simplex, sed compositus, & compreßiuus. Est alius, qui turgidus appellatur, de quo dicemus, & ita habetis de dolore pulsatiuo qui est sexta differentia dolorum à natura sumpta. Dolores, qui à materia tantum accepti sunt, sicut iam diximus, quinque sunt, tres ex illis à qualitatibus tantum humorum sumuntur, primus mordicatiuus apparet, cum caliditas diuellens, & exiccans humidum membri dolorem facit, uel frigidum comprimens soluit continuum, & declarauimus, quomodo diuersimode fiant. De secundo diximus, qui à qualitate acceptus erat, et stupefactiuus dicitur, cuius terminus est mortificatio sensus & extinctio in temperatura caloris innati. Diximus de tertio qui

Per Accidens
[illegible]

Probatur

Frigidus
dolor.

Repetitio
omnium Differentiarum.

exasperatiuus dicitur à materia sicca. Duo alij remanebant, qui non sunt accepti ratione qualitatis, sed uel quantitatis, uel ratione qualitatis de materia specie duritie. s. uel mollitie. primus à qualitate dicitur dolor compreßiuus, quoniam membrum repletur, ut tangat, & comprimat partes, aut quoniam generatur tuberculum intra mẽbrum aliquod sensibile comprimens, dicitur dolor cõpressiuus, alius contusiuus appellatur, qui soluit continuũ, & est, quando occurrit sensibili membro durum, sicut quando pertransit lapis urinas, ita comprimit, & contundit, ut et sanguis exeat, & ita, undecim sunt dolores, sex à subiecto tantum accepti, & quinque à materia tantũ, tres super sunt, qui à materia simul, & subiecto sumuntur, qui ut fiãt duo hæc exigunt, primus extensiuus, secundus ulceratiuus, tertius prurigiuosus. Extensiuus, uel fit à multitudine materiæ, aut à flatulentia, sed hoc non sufficit, sed locus commodus, & angustus requiritur, ideo huiusmodi dolor in cauitatibus membrorum, musculorum. s. fit, nõ quod alibi etiam fieri non poßit sed quia locus iste angustus, & cõmodus est, uidetur sibi proprius, & hæc est prima spẽs laßitudinis à Ga. posita. Vlceratiuus, ut talis fiat duo requiruntur subiectũ cõueniens et materia acris. s. & pungitiua, locus enim non fit nec arteria, nec mẽbrana, sed qui habeat sensibilitatem, & ratio est, quia sensus ulceris uidetur ac si hinc inde soluatur continuum, & si non fiat sectio, seu contusio, si igitur hoc accidens contingere debet, materia debet esse acris, & tenuis, & inde musculi, qui ex mẽbranis tenuibus constant humorem hinc inde penetrantẽ

reci=

recipiant, unde sentitur dolor iste ulcerosus, & est secunda spēs lassitudinis, tertius dolor, qui à subiecto & materia tantum accipitur pruritiuus est, & iste requirit materiam, & locum commodum quoad materiam quidem tenuem, & penetratiuam ad superficiem, subiectum uero densum, ut non difflетur materia, ideo ait ultimo cutis subiectum, in quo dolor iste fit, quia materia tenuis & penetrans & inueniens densitatem, non potest difflari, & tūc fit iste dolor. Et sic habetis 14. doloris species. Vltimo à motu tātum acceptus est, nec materiam propriam, nec subiectum proprium habet, appellaturq́; turgidus dolor, & fit cum mouetur materia in loco angusto, & diffunditur per cōmunitatem materiæ subiectæ ut nesciat æger, quo in loco doleat, & ideo à principio materia faciens dolorem usque ad extensionem insignem communicat, quia eleuantur altius, & uelocius, in angusto loco fit turgidus, quia ab una radice ad unum terminum, ubi non est affectio, extenditur, & ita hæ sunt dolorum species, Auic. autem ponit et ipse 15. dolorum species, sed aliter, q̄ ego fecerim, discrepo ab Auic. quatuor speciebus, ipse fractiuū dolorem ponit primum, secundum laxatiuum, tertium acualem, quartū fatigatiuum, ego uero loco illorum pono intēsiuum, siue conuulsiuum, diuulsiuum, siue laceratiuum, tertium ulceratiuum, quartum torpidum, quos Auic. non ponit. Examinemus ergo an nostræ positioni sit assentiendum, an uero Auicē. Ratio differentiæ, qua ego sum motus ad ponendum primo dolorem intensiuum, fuit sumpta non quidem ab authoritate Galen. sed ab ipsa ratio-

ne, à rei natura ſcilicet quæ ita indicat, ubi materia imbibi-
tur in neruis fit talis dolor uel humectando, uel calefacien
do, quo fit, ut uel conuellantur uel dilatentur, ſi uero fiat
propter ſiccitatem, & caliditatem exiccatur humidū ner
ui, & conuellitur, & ideo neceſſario ab omni mala quali
tate in ipſo excedente ſequitur iſte dolor, & ideo dicebat
Gal. hoc & natura rei monet me, ideo poſui ipſum pri-
mum, ſecundo poſui diuulſiuum, tum authoritate Gal. mo-
tus, tum etiam à natura rei, quia quærendo cauſam huius,
quare diuulſiuus uocatur, natura rei docuit me, ideo diuul
ſiuum dici, quia in tenuibus membranis diſperſus eſt, ut ui
deantur ſeparari à carnibus, & diuelli, tertio loco poſui
exulceratiuum ex natura rei, ut iam oſtendimus, & ultra
hoc authoritate Galeni, qui hunc dolorem poſuit in muſcu
lis. De torpido Gal. poſuit ipſum ab Archigene ſumptū,
et dixi, quomodo fiat ex natura rei. Videamus modo illos
quatuor, quos Auic. ponit, et de fractiuo prius loquamur,
Fractiuus dolor
dicit ipſe hunc dolorem fieri quoties materia, uel flatus
includitur intra os, & membranam contegentem ipſum,
fitq; ac ſi frangeretur membrum, notetis hæc, quæ dicit
Auicenna ? : [illegible]
Auic. quæ ſunt contra rationem, & Gal. contra rationem
quidem quia ubi materia figatur, inter os, & membranam
os non ſentit, ideo ex parte oſsis non faciet ſenſum, nec
ſentiet illud motum fractiuum, ex parte membranæ ipſa
dolorem habet pungitiuum, qui dolor eſt propria paſsio
membranarum maxime oſſa tegentium, quæ duræ ſunt,
ut non facile penetrentur, propterea ſi nō poteſt talis ſen
ſus fieri ex parte oſsis, ſed membranæ, & membrana non
per-

percipiat nisi dolorem pungitiuum, ergo quòd ille dolor talis fiat rationi repugnat. Admonet me etiam authoritas Galen. qui de pleuritide loquens dicit dolorem punctorium æqualem fieri, cum est in membrana, quæ non adhæret oßi sed quando dolor ille punctorius sit inæqualis, est in mēbrana inhærente oßibus, præterea, ut ex chyrurgicis habere possumus, cum habent præ manibus ægritudinem illam quæ dolor spinæ appellatur, & est dolor mēbranæ tegentis ossa, cum putrescit in osse uirulentia quæ damacris exhalat in profundo, pungitiuus dolor percipitur membranæ, ac si spina pungeretur. Vult, autem Gal. ut nomina imponantur doloribus ex perceptione ægrotantium, ideo contra Archigenem inuehitur, qui dolorem dulcem ponticum nominabat, cum hæc sint saporum, non dolorum differentiæ, & nomina. Quia ergo ægrotantes dicunt percipere dolorem, ac si spina frangeretur, igitur non erit dicendum, quod dolor ille sit fractiuus, sed spinæ, & pungitiuus, ergo non est necessarium ponere dolorē illum in loco illo, uel non esse omnino ponendum. Sed credo Auic. in hac re hallucinari, quia non fuit exercitatus in arte, ergo me iudice tollendus est. Est alius dolor apud Auic. qui dicitur laxatiuus, & dum pungit subiectum eius, inquit, quod est in carne musculorum, ac si diuideretur. Sed uoluit dicere diuulsiuum, ideo peccauit dupliciter, uno modo quia nomine improprio nominauit ipsum, secundū uitium est in re, quia dicit, quod est in carne musculorum, quod est falsum, quia in carne musculi, quæ caro est nō est dolor, ideo Gal. uoluit dolorem illum esse in mem-

laxatiuus

acualis

branis carni permixtis, et sic in duob. peccauit. tertius dolor acualis dicitur, qui non distinguitur à perforatiuo, nisi ratione materiæ tenuioris, ideo si Auic. per acualem dolorem uoluit illum intelligere, qui fit cum membrum acu pungitur, pungitiuus dicetur, si quatenus perforat perforatiuus dicetur, quia acus duo facit, pungit, & perforat, sed cum Auic. communi quodam nomine usus est, nescio, quid uoluerit, igitur peccauit. quarta species, quam ponit, fatigatiuus appellatur. Exponunt isti lassitudinem, sed ista non est differentia doloris, nec simplex species laßitudinis, immo tres sunt, duæ simplices, & una composita, prima species simplex laßitudinis est dolor compositus ex utraque, & dicitur inflammationis idest inflammatorius. Auicenn. autem effatigatiuum posuit, quantum etiam in causis fuerit uarius maxime doloris tensiui dicit ipse, quod est cum in carne cruda trahuntur, trahuntur autem ad principium uolens dicere tensiuum dicit extensiuum, & causas uariauit, præter ea sine methodo posuit illas. 15. differentias, & species doloris, sunt igitur hæ differentiæ doloris, quæ à membro tãtum, à materia tantum, ab utrisque simul, & quæ à motu tantum sumuntur. Applicemus modo ea, quæ diximus ad propositum nostrum. Diximus uobis unum maximum signum, quod indicat locum affectũ, est ipsa doloris species incipiamus autem à dolore, qui à subiecto tantum sumitur. Cum quis conqueritur de dolore capitis tantum pungitiuo, non erit ille dolor, nisi in membranis extrinsecis cerebri, quia craßiores sunt, Dico in extrinsecis contingenti=

fatigatiuus.

Applicatio ad præsens negotium.

gentibus cerebrum. Cum autem alius ꝑcipere dicet dolorē quendam, ac ſi corda traheretur caput, & breuius fiat, tūc dolor ille in neruis & in principijs neruorum aderit, ſi dicat alius ſibi uideri, ac ſi canes lacerent, ac diuellant, ſibi caput, erit in membranis intrinſecis ſparſis incute. Dicet alius percipio dolorem, ac ſi in capite pondus haberem tunc dolorem in ſubſtantia membri .i. cerebri, quia ipſa nō ſentit, ſed communicat læſionem membranis, & percipiūt dolorem grauatiuum. Si dicat æger ſentire pulſationem, tunc affectio eſt in arterijs, & iſte ſi quidem erit per conſenſum pulſatiuus per accidens, ſi corpus arteriarum occupabit affectio, pulſatiuus per ſe erit. Et ita ex ſpecie dolorum locos affectos cognoſcetis, quoniam ad poſitionem propriæ paßionis, poſitio proprij ſubiecti ponitur. Nūc de doloris ſpecie quæ à materia tantum ſumitur dicemus, & primo de mordaci ſi æger percipiat mordacitatem, ac ſi hinc inde carnes incipiant diſcerpere fit hoc ab humorē acri, ideo uel erit ibi cauſa calefaciens per exiccationem humidi, uel frigida conſtringens, & ſoluens continuum hinc inde, tunc ex mordicatione ipſa, quod ibi adſit materia ſoluens continuum, quæ uero ſit illa, ex alio ſcietis ſecundo eſt ſtupefactiuus, unde ſi aliquis ſentiet torporem quendam, initium quoddam, ut non ſentiat, dolor iſte ſtupefactiuus annunciabit uel lethargiam, uel paralyſim. Aliqui ſunt, qui dicunt pati exaſperationem quandam in capite; hoc eſt inditium, quod ibi materia ſicca, & dura eſt faciens dolorem exaſperatiuum, & ſunt inditia, quæ ſumuntur ꝑ dolores à qualitate materiæ acceptos. A quantitate autem

Mordax dolor

Stupefactiuus

ſiquis ſentiet compreſsionem aliquam, ſignum eſt ibi mate riæ multitudinem adeſſe, ſi ſentit ſenſum, ut ſibi uideatur frangi, & contundi ſignum eſt rem duram, ſeu aſperam rumpentem ibi eſſe, quæ indicatur à dolore contuſiuo. Quoniam ergo ſuperius de omnibus dolorum differentijs diximus quoſdam quidem à loco tãtum, quoſdam à materia tantum, quoſdam uero ab utroque ſumi. Circa hoc unum eſt aduertendum, quod quicunque dolores à ſubiecto tantum ſumuntur illi exquiſitiſsime indicant locum affectũ ſicut de dolore pungitiuo apparet, qui quomodocunq; eſt, indicat ægritudinem eſſe in membrana, grauatiuus indicat affectum non eſſe, niſi in membro aliquo inſenſili, iecore. ſ. renibus aut cerebro & quod dicimus de his duobus, idem dicatis de reliquis omnibus, qui à ſubiecto ſumuntur. Itaque poteritis ex his argumentari dolor pungitiuus hic adeſt, ergo in membrana &c. Et ita de alijs. Si uero fuerint à materia accepti, ex his poteritis ſcire materiam nõ affectum facientem. Sed quæ ſit illa præcipue ex alijs ſignis ſcietis, quoniam natura ſignorum talis eſt, ut unum adiuuet alterum ſicut de pungitiuo diximus, qui indicat locum affectum, materiam minime. Signa ergo, quæ à materia tantum ſumuntur, ſunt indicantia perpetuo immediate, & pathognomonica materiam, exempli gratia ubi adeſt mordicatiuus dolor, ſignum eſt perpetuo uerum ibi intenſam caliditatem, & frigiditatem ſoluentem continuum adeſſe, ubi ſtupefactiuus adeſt, ſine diſtinctione aliqua ibi materia frigida eſt. Et ita uidetis, quomodo dolores omnes à materia accepti indicabunt certiſsimo

ſigno

ſigno materiam ipſam, qui uero ab utroque ſumuntur, utrumq; ſignificant, ubi enim erit dolor extenſiuus, indicabit materiam multam flatuoſam in loco anguſto eſſe, ulceratiuus acrem materiam in muſculis, pruritiuus autē materiam tenuem, & mordacem in cute eſſe, & iſtud erat illud primum faſtigium à nobis propoſitum, quia dixeramus ſigna ſumi à tribus fontibus, & ſic iam ſatisfecimus. Et quia diximus uel ab actione læſa, uel ab accidentibus, aut ab exeuntibus eſſe ſumenda, primo ſatisfactum à nobis eſt, & poſuimus inter actiones læſas dolorum differentias, licet Gal. eas diſtinguat. Reſtabant alia duo, quæ ab accidentibus, et ab exeūtibus ſumuntur. Sed prius dicamus de his, quæ ab exeuntibus ſumuntur exeuntium, ut inquit Gal. 3. de accidente, & morbo cap. v. triplex eſt differentia, uel enim conſideramus quo ad ſubſtantiam ipſorum, ideſt quæ ſit ſubſtantia, ſecundo quæ ſit qualitas, tertio quantitas, & ipſa inditia ex his tribus ſumuntur. Conſiderando debetis uidere ſubſtantiam, an ſit ex toto genere præter naturam, an uero naturalis exempli gratia, cum à naribus, uel ab auribus, aut à quocunque alio loco carunculæ, aut ramenta, uel ſanguis exeat. (Et quod dico de dolore capitis, idem intelligatis de omnibus alijs ægritudinibus.) Conſiderabitis illud eſſe ex toto genere præter naturam, quia animali exiſtenti ſano non eſt neceſſe, ut talis fiat excretio, ſi uero mucor à naribus, aut ſaliua ab ore per uias urinæ, per egeſtiones inferiores feces exeāt naturales, huiuſmodi ſubſtantiæ naturales ſunt. Debetis igitur conſiderare id, quod primo exit naturale, uel præ-

Z

Ab exeun tibus quo: triplex differentia

Que sit substantia

Quomodo sit dicendum [illegible]

ter naturam ſit, poteſt autem ex ſe eſſe naturale, præter naturam uero ratione quantitatis, ſi quidem fuerit ex toto genere præter naturam, uel pauca, uel multa quantitas exibit. Ex hoc dicetis uos, uenam ruptam, uel apertam, aut eroſam, uel fractam eſſe, ita quod ex exeuntibus ſcietis affectionem eſſe in ſolutione continui puta uenæ capitis, ſi à capite exierit. Hoc habito oportet poſtea inquirere, quæ nam ſolutio continui ſit. Si uero pus exeat, ſcietis in loco affecto tuberculum eſſe ruptum, uel ulcus putreſcens, & ita in ſubſtantia excreta affectionem ipſam cognoſcetis. Et ita de ramentis, & carunculis facietis inditium à natura ramentorum, modo ſciatis ex ipſa Anathome ſubſtantiam, ſitum, et formam membrorum, tunc enim optime ſcietis affectum, & locum affectum per naturam illius excrementi. Et ita ab exeuntibus ſcietis, quomodo ſit iudicandum ex toto genere præter naturam, ſi uero ſecundũ qualitatẽ erit faciendũ inditium, poteſt fieri, poteſt enim qualitas hæc de primis qualitatibus poterit, quæ ſunt obiecta ſenſus tactus. Ideo ſecundum caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem fieri poteſt puta, ſi id, quod ab oculis, & naribus exit, fuerit feruidum, inditium, habebitis materiam calidam eſſe in cerebro, ita de frigiditate idem erit iuditium, ſi uero humiditas cum caliditate erit coniuncta iudicabitis materiam eſſe calidam humidam, ſi cum ſiccitate calidam & ſiccam, & ſic dominium bilis eſſe in cerebro. Et quod de cerebro diximus, idem dicatis de omnibus alijs locis, ubi ſit faciendum iudicium ſecundũ tangibiles qualitates, ſi uero à qualitate uiſibili erit iudicandum,

candum, considerabitis, an album sit admodum, an rubeū, citrinumue erit, ex ea citrinitate scietis dominium bilis dominari, si rubeum ad naturam sanguinis, sicut in pleuritide iudicabat Gal. ex sputi qualitate dominium humorum, si nigrum bilem atram dominari, si autem ad aliquem horum non erit determinatum, sed uirescens extraneam putredinem in humoribus indicat, & ita ex coloribus magnum iuditiū facietis. Quantū uero ad obiectū odoratus sumetis inditiū, an fœteat id quod exit, siquidē fœtet plurimū, plurima erit putredo, ubi uero non adsit fœtor maximam frigiditatem quandoque iudicandum erit adesse & calorem non concoquentem, modo reliqua hic attestantia signa ad erint, idem in destillationibus, quæ à renibus exeunt considerabitis. de obiectis etiam aurium considerabitis, an cum flatu, et sonitu uel stridore exeat, si cum stridore, transit flatus per humidam materiam, si sine stridore materia humida non adest multa in quam erumpat. Circa gustum multum refert has qualitates considerare, an scilicet acris sit materia, an salsa, amara, ut quæ ab oculis ad labra destillant, an acuta salsa, uel amara sint, Ex his enim saporibus maximum fit inditium, siquidem salsa erit materia, adustio facta erit in materia terrestri putrescente, & uiscida, neque enim credo talem mixtionem fieri ex mixtione bilis cum pituita, quemadmodum existimauit Auic. sed fieri, ut diximus, sicut etiā fit salsedo in mari, ideo ita faciam inditium, salsedo hic adest, ergo adustio in humore putrescente, uel si uobis magis placet, assentire debetis Auic. erit materia pituitosa cum bile mixta. Dulcedo

ergo

A qualitate Visibili

Ab obiecto Odoratus

Ab obiectis Aurium

A gustu

ergo est pituita benigna, quæ de facili in naturam sangui=
nis conuertitur, insipiditas uero arguit materiam insipi=
diorem, quàm faciat dulcis, ista sunt, per quæ debetis am=
bulare, cum à qualitate exeuntiũ facitis iuditium. A quan
titate etiam sumetis iuditium, aut à continua, aut à discre=
ta, si continua fuerit, aut plurima semper exiens, aut pau=
ca, si multa facietis iuditium partem affectam, unde exit
plurima abundare materia, & ultra hoc, quod uirtus po=
tens est ad expellendum, si pauca erit, tunc hoc eueniet,
aut quia natura imbecillis est non ualens expellere, aut
ratione paucitatis materiæ, A quo autem horum ita eue=
niat habebitis alia signa adiuuantia. A quantitate uero di=
screta potestis iuditium facere, & sumere, ubi pauca, &
pluribus uicibus exeat materia, materia quidẽ multa erit,
sed uirtus debilis, non potest eam expellere, & ita ex his
quantitatibus facietis iuditium. Hic etiam tempora pote=
ritis obseruare, an interualla habeat certa, an uero motu
incerto exeat, si exierit materia per certas, & statutas
periodos signum est, quod permanens est, fixaq; disposi=
tio, quia certe temperatura mala est in membro. Si nõ ser
uat periodos non est ibi fixa temperatura, sed uariat mo=
do plus, modo minus, unde facere poteritis iuditiũ ex his,
quòd difficillime curabuntur hæ ægritudines, unde exeũt
excrementa statutis temporibus, quàm ea, in quibus excre
menta non exeunt statutis temporibus. Et hæc satis sint,
quantum spectat ad considerationem accidentium seu ex=
euntium, & ita duobus fastigijs satisfecimus. Erat tertiũ
ab accidentibus indagandum. Gal. in 3. de accidenti, &
morbo,

morbo,cap.6.quatuor riuulos ab hoc fonte ſcatere facit ſecundum qualitates quatuor de ſecunda ſpecie,ſecundum tactiles duos uiſibiles,odorabiles,audibiles,et guſtabiles , & per iſta diſcurrit,& recte, ego uero non conſulo , ut hac uia procedatis,licet uera ſit,quoniam non eſt ſufficiẽs Gal. ut cogatur alibi alios riuulos facere , Ego uero alia uia & ſufficienti comprehendo omnia accidentia. Dimiſsis igitur illis quatuor riuulis procedam per lineam prædicamentalem hoc modo, à qualitate ſumuntur omnia accidentia circa omnes quatuor ſpecies qualitatis, & incipiendo ab habitu,& diſpoſitione. Quantum ad hanc ſcire debetis , quod ægritudo ipſa dabit uobis maximum inditium,ubi enim uidebitis materiam ita fixam , ut non facile tollatur facietis iuditium hoc eſſe , quia materia faciens ægritudinem talem frigida & craſſa eſt , uel uiſcoſa , aut plurima eſt,aut ob uirtutis imbecillitatem,quæ non poteſt ſupra materiam,ſi uero uidebitis ægritudinem breuem facile eradicabilem,iuditium facietis, quod materia uel pauca,uel benigna eſt , à paſsibilibus qualitatibus præterea quæ ſunt de tertia ſpecie qualitatis ſumetis inditium , nec non à tangibilibus & ſic ab omnibus ſenſibus ſumetis inditium,aliter tamen,quàm prius, quoniam nunc de qualitatibus exeuntium ſolidorum corporum loquemur, à tangibilibus quidem,ſi apparebit caliditas circa caput, ut rubedo in facie , & oculis proculdubio ſignum eſt humores calidos dominari in capite , ſi frigiditas ad tactum ſequatur frigidos,ſi ſiccitas ſiccos.ſi ſuperficies humida fuerit humiditas abundabit. Et ita ex tangibilibus qualitatibus

bus habetis inditium materiæ peccantis, rubedo autem ſan guinis dominium ſignificat, ut docet Gal. in 4. de tuen. ſan. ubi dicit quod qualis color exterius apparet, tale dominium erit, niſi ad profundum humor delituerit, ſi ue= ro color citrinus fuerit, dominium bilis ſi niger, dominiũ atræ bilis ſignificat, & ita dicetis de liuentibus, & uire= ſcentibus, quod ſignificant putredinem maximam in humo ribus, & ita ex qualitatibus ſolidorum corporum ſumetis inditium, à ſonoris etiam qualitatibus ſumetis inditium, ſi percipietur à nonnullis ſonus in auribus, ſic percipietis, quia dicent ſentire ſtrepitus ſicut uentos, Aliqui aquarum ſtrepitum ſecundum diuerſos ſonos, & ſtrepitus, ſcietis cauſam peccantem, ſi quidem erit flatus ſine ſonitu aqua= rum, materia erit flatuoſa, quæ facile uertetur in flatum, & calor multus, & obediens, igitur ex ſimplici flatu iudi cabitis materiam non eſſe rebellem calori, & caput cali= dum, ſi cum ſtrepitu inobediens erit reſpectu caloris, & ita facietis iuditium de diſpoſitione exiſtente in capite, ſem perq; idem iuditium facietis de alijs diſpoſitionibus. A ſa= poribus etiam ſumetis inditium, ſi enim appareat amari= tudo in ore, quod ſit humor acris bilioſus dominans in ca pite ſcietis, ſi dulcedo dominium ſanguinis, ſi inſipiditas pi tuitæ, & ſic habetis, quomodo à qualitatibus de tertia ſpe cie poteſtis ſumere inditium ſignorum. Supereſt quarta ſpecies qualitatis, ex qua ſuſcipere poſſumus maxima ac= cidentia indicantia, ideo bene dicebat Hip. in primo pro= gnoſt. Oculi cõcaui, tempora plana, aures inuerſæ non ſo lum præſentem, ſed etiam futuram indicant ægritudinem,

ideo

a ſonoris qualitatibus

A Saporibus

ideo dicebat faciem, et figuram ægrorum contemplandã, quia ex ipsa sumuntur multa signa indicantia, & ita ab omnibus speciebus qualitatis sumuntur fontes, ex quibus sumetis signa multa. De secundo prædicamento quantitatis etiam plurima habetis, à quantitate enim sumetur, an uenæ, an arteriæ, musculi, cutis sint nimis inanita, uel plena, si quidem uenæ multum intumuerint humorum dominium indicabunt, an uero sanguinis, uel alterius humoris ex alijs signis apparebit, si arteriæ fuerint tumidæ flatuosum spiritum præter naturam permixtum bono, & laudabili sanguini in arterijs existentem iudicandum erit, cacochymiam, & plures prauos humores indicabit ibi existere ex multitudine, uel uirtutis imbecillitate non poteritis illos expellere. Si in cute signum erit, quod humores non possunt difflari, si uero inflammatio fuerit, uel abscessus signum erit, quod multitudo materiæ ibi adest. quia uero ut declarauimus, & declarat Gal. in 2. et 3. de uirtutibus nat. & de inæquali intemperie & de plenit. cum locus imbecillior factus est, membra reliqua suas superfluitates transmittunt ad illum, & cum sit debilis, non potest difflare, & concoquere. Et ita cognoscetis materiam humoris, & loci, & hæc signa indicantia sumuntur ex parte quantitatis. Ex ubi etiam sumuntur non pauca, quia uulgariter circumfertur, ubi dolor, ibi ægritudo, ideo si dolor sensus tactus percipitur in capite, idest in partibus exterioribus capitis, in partibus exterioribus erit, si percipitur in interioribus, erit in partibus intimis. ultra dextrorsum, uel sinistrorsum, ideo à loco, seu ubi sumetis inditia.

De p[ræ]dica: mento Quan titatis

De Predica: mento Vbi.

Vbi dolor, ibi ægritudo..

a tempore

inditia. A tempore etiam, si perpetuo affligatur caput, signum est causam, & effectum essentialiter esse in capite, non autem per consensum, ideo perseuerantia maximum facit inditium, si uero per interualla affligatur non possumus arguere, ergo non est per essentiam, quia potest habere interualla, & esse per essentiam in capite. Sed ex alijs signis distinguentibus scietis. A motu, etiam sumũtur, ubi ægritudo fuerit, quæ etiam uelociter moueatur, necessario erit humor, uel calidus, uel feruens, & si non erit feruens, erit in membro ualde nobili, & natura non tollerans hanc læsionem, mali motus fiunt, ideo non omnes acutæ ægritudines fiunt ratione humoris calidi, sed etiam ratione nobilitatis membri, uel ratione multæ sensibilitatis membri, quod patitur, propter quam sensibilitatem multam insurgit uirtus, & excitatur dolor. Et ita uidistis, quomodo ista signa, quæ accidentia dicuntur ab omnibus prædicamentis sumuntur, exceptis illis, quæ minimum habent entitatis, ut sunt relationes. Et ista sunt loca, à quibus sumuntur signa, sicut Arist. fecit in Topicis, qui loca argumentorum posuit ob quam rationem librum Meth. methodorum appellauit, et istud est membrum summum nostræ diuisionis, quia diximus omnium signorum duo esse summa fastigia primum ab his, quæ fluunt ab aliquo essentiali, uel membri affecti, uel causæ ægritudinem facientis, seu ab ipsa ægritudine sumitur, & hæc signa à tribus sumebantur tanquam fontibus, ab actione læsa, ab accidentibus communibus, & ab exeuntibus. secundum Gal. autem ex sex fontibus sumendæ erant, primo erat actio

A motu.

Omnium signorum duo sunt prima fastigia.

[illegible] a tribus [illegible] G. a sex fontibus.

læsa

læſa, ſecundo propria accidentia, tertio humores præter naturã, quarto dolores, quinto exeuntia, ſexto qualitates mutatæ, & ſubactione læſa poſuimus nos dolorum differentias, quas ſumpſimus à loco tantum, à materia humoris tantum, & ab utraque ſimul. ſecundum uero faſtigium erant annexa, quæ fluunt ab extrinſeco annexo tantum eſſentiæ morbi, & loci, & hæc ſunt temperatura, regio, ætas, conſuetudo cum reliquis, de quibus dicam. Quantum enim referat ſcire temperaturas ad ægritudines cognoſcendas, ſcitis ex hoc, quia ſingulæ tẽperaturæ proprias habent ægritudines, ut habetis ex Hippoc. ſecundo Aph. 24. in morbis &c. Vbi ait, quod bilioſæ ægritudines ut plurimum accidunt temperaturæ bilioſæ & calidæ, frigidæ, frigidæ. Ideo maximum ſumitur argumentum à temperatura. Aetates etiam, quia ſcitis ætatem ſenũ proprias habere ægritudines. A conſtitutionibus anni, etiam regionibus ſumuntur maxima inditia, immo Gal. inter reliqua, cum morbus aliquando erit uagans, & epidemialis, ubi accederet ad ægrum minimumq́;, & leue ſignum fuerit in eo huiuſcemodi ægritudinis, aſſerebat difficile eſſe quod nõ inciderat in illam ægritudinem, quantum etiam conferat cõſtitutio regionis dicebat Gal. in primo epid. ubi dixit q, endimij morbi dicũtur aliqui, quia proprij ſunt alicui populo, ſicut contingit de tertianis nothis, & Hemitriteis, quæ fuerunt Romæ tempore ſuo, ideo rogabitis etiam ægrum ueſtrum, num antequàm inceperit ægrotare, multum laborauerit anima, uel corpore ſi corpore ſcietis multos humores bilioſos aggregatos, ſi mente melãcholicos,

ſi otioſus fuerit, pituita erit aggregata, ſi delicatiſsime uixit, & cibarijs lautiſsimis & ſint bonæ temperaturæ ſolent corpora repleri bono ſanguine, ſi male malo humore, interrogabitur etiam, ſi retenta ſint menſtrua maxime in mulieribus, in uiris, ſi hæmorrhoides, uel fluxus aliquis narium ſanguinis ſolitus fuerit ſuppreſſus, ſi omiſerit euacuationes ſolitas, & an ſolitus eſſet uomere, & iã retentus ſit uomitus, & cum fuerint edocti de natura morbi, tunc optimam uiam habebunt ad indicationes inueniendas, oportet ergo, ut omnia ſigna comparentur, & colligantur, ut naturam morbi ægri, & membri affecti cognoſcatis, uel totius corporis, ſi totum corpus ægrotauerit, & ſimiliter naturam et cauſam facientẽ ægritudinẽ. Hæc ſunt inſtrumenta, quæ faciunt omnia hæc cognoſcere unũ reſtat dicendum circa ſigna, & accidentia, poſtea ad indicationes accedemus. Gal. poſuit ſex illos fontes, tres autem tantum à nobis poſiti ſunt, accidentia propria, dolores, & humores præter naturam. Conuenimus autem cũ ipſo in actionibus læſis, in exeuntibus, & accidentibus cõmunibus. Nunc uideamus, an ſine illis, quæ nos omiſimus, poſsimus facere? primo fuerunt accidentia propria, quæ pathognomonica dicuntur, uni tantum morbo conuenientia, ut exempli gratia rubor in maxillis eſt ſignum proprium inflammationis exiſtentis in pulmone, curuitas unguium indicat tabem, iſta ſunt propria ſigna, quæ, ut cognoſcantur Gal. non tradit methodum, ſed tantum hyſtorice procedit, ſed per communem methodum habemus uiam ad cognoſcenda hæc propria accidentia referendo ipſa

Rubor in maxillis [illegible] ſignum

ad

ad communia, Et ut à curuitate unguium incipiamus, dicemus signum hoc in figura collocandum esse, quæ est de quarta specie qualitatis, similiter rubedo in maxillis apparens ad solam speciem qualitatis referenda est, comparando igitur ex communi methodo naturam signi ad naturam signati, quia sequitur locum, & causam, sicut umbra corpus, deducimur ad cognitionem propriorum signorum, et accidentium. Videamus ergo, an curuatura unguium fluat ab essentia loci, & ægritudinis. Curuatura signum est diminutionis in solidis membris, quæ quanto meliora sunt, & aptiora sunt ad exiccationem facilius exiccantur quanto uero duriora, tanto minus exiccantur in digitis musculi, & caro maxime ab unguibus diminuuntur ualde in tabidis, ungues uero non facile tabescunt, sed locus, quem ambiunt, minuitur, ideo est proprium signum pathognomonicum phthisis. Gal. igitur non dat, nisi methodum communem, postea considerando naturam signi, & comparando eam ad naturam signati, cognoscimus, quod causa faciens curuaturam est diminutio loci, ideo talis comparatio signi ad naturam signati facit nos cognoscere, quòd signum illud pathognomonicum est, ita etiam in peripneumonia, si scio esse inflammationem in pulmone, scio etiam præ nimio calore, quàm plurimos uapores descendere, & scio ex natura inflammationis spiritus diminui, & quod calor & uirtus similiter diminuuntur, ideo pallescunt ægri in facie, quia calor totus circa præcordia est, uapores autem ascendentes faciunt rubedinem in maxillis ubi adest pauca caro, & laxa, & os subiacet, ideo fit rubor, qui tan

Curuitas Unguium.

to magis apparet propter multam palliditatem aliarum partium, Et ita de omnibus alijs ſignis poteritis facere, quia ergo loca habetis communia ex proportione ſigni, & ſignati cognoſcetis an propria ſint accidentia. Quantum ſit de doloribus nos poſuimus ſub actionibus læſis eos, poteritis omnes ſeparare, ſi uolueritis. Quantum ſit de tumoribus præter naturam nos in prædicamenta quãtitatis poſuimus, ideo propter hoc fecimus diſcurſum noſtrum, Et iſta ſatis ſint dicta de ſignis indicantibus affectionem præſentem. De prognoſticis unum tantum uerbum dicam, iam dixi uobis ſigna hæc ſumi ab eodem ſicut diagnoſtica, & ne prolixior ſim unum tantum exemplum in ſingulis ponam, ut uidentes typum, & formam ſciatis non eſſe diuerſa. Dico ergo, quod hæc ſigna ſicut indicantia ſumuntur ab actionibus læſis, ab exeuntibus mutatis, & ab accidentibus communibus, de actione læſa exemplũ ponamus, ubi uidebitis ſomnum multum dominari indicabit uobis frigiditatẽ tẽperaturæ, minatur autẽ lethargiam, aut Apoplexiam. Vigiliæ indicant præſentẽ diſpoſitionem calidam, & ſiccam eſſe in cerebro, minantur autem delirium, aut phreniſim & ita idem ſignum indicat, indicat uno modo, & pronuntiat alio. De actionibus uitalibus Anhelitus per interualla, & rarus refrigerationem in membris ſpiritualibus indicat portendit autem futuram inſaniam. De pulſibus infinita potuiſſem adducere exẽpla ſed ad Galen. recurratis, qui fecit plures libros de prognoſticatione ex pulſibus. In affectionibus naturalibus, ſi fuerit intenſa ſitis, & perſeuerans futuram uentriculi in-

flam-

flammationem pronuntiat. De accidentibus communibus poteritis ab omnibus ſpeciebus qualitatis incipere uerbi gratia ubi erit circa præcordia caliditas & frigiditas ex tremorum inflammationem futuram in naturalibus membris prædicit, dum modo perſeueret, De figura autem, et de quantitate dicemus exempli gratia. Vbi quis habeat ægritudinem, quæ non debet extenuare, & extenuetur in facie indicat pernitioſam, & lethalem eſſe ægritudinem ſi uero habuerit ægritudinem, quæ debet extenuare corpus, & non extenuat, Significat ægritudinem longam, ſed de his dicemus diffuſius in cap. de Vertigine, cum hic compēdioſi fuerimus. Ad indicationes iam accedamus, quoniam omnia fuerunt dicta propter has indicationes, à quo autem ſumantur ſiquis quæreret, dicam à natura rei ſumi. Sed ſtatim dicetis à natura rei dixiſti ſumi cauſas, dolorum differentias, & ſigna, dicas ergo, quæ eſt iſta natura rei in ſingulis? Dico ergo quod ad cognoſcendam eſſentiam ægritudinis natura ægritudinis conſideranda eſt, quæ à duobus dependet, à cauſis & à ſubiecto patientis, & hoc eſt natura rei, cauſa ſcilicet faciens ægritudinem penes diuerſitatem ſubiecti, & cauſarum. Vbi ergo cauſa præter naturam coniungitur membro affecto, actio illius membri iuuatur, ubi uitiata eſt actio ſtatim cognoſcere poteritis naturam ægritudinis, quia ab actione læſa initium capit cognitio, habita cognitione quòd actio membri læſa eſt, oportet ſcire, & habere notitiam naturæ membri quo ad ſubſtantiam eius, & ex quibus conſtat, quod comertium etiam habeat cum alijs, propter quid à natura

creatum est. Vbi sciueritis hæc omnia examinare, scietis quomodo, & qualiter sit affectum, Et ita habita cognitione læsionis membrorum scietis sequentium causam, hoc pacto membrum potest lædi à re præter naturam, ergo uel à qualitate, uel ab humore, loquor nūc de internis ægritudinibus, si qualitas erit uel calefaciendo, uel refrigerando lædet, quia isti sunt affectus qualitatum, ut docuit Auicen. & Galen. si humor, scitis etiam quem affectum facit bilis, quem sanguis ex Gal. in libro de inæquali intemperie de plenit. de Tumoribus præter naturam, essentia enim rei, unde sumuntur signa est locus affectus, & causa faciēs affectum, quia signum ideo dicitur signum, quia significat & accidens est sequens locum affectum, & causas, sicut umbra corpus, tū etiam quia signa sine causa esse non possunt, neque causæ sine signis. Vbi erit ægritudo causam cognoscetis ilico, & signa sequentia, quia accidentia sequuntur subiectum suum, & naturam membri affecti, nec non causas, ideo cum cognoscimus essentiam ægritudinis, signa etiam cognoscimus, & signa deducent nos in cognitionem ægritudinis, quia unum adiuuat alterum, indicationes autem, quæ sumuntur à natura rei, quæ sint, & quæ sit ista natura rei dicam, sed prius declaremus, quid sit indicatio. Indicatio enim est quoddam relatiuum, Ideo erit alicuius rei indicatio, Talis autem est natura relationis, ut secundum uarietatem rei indicatæ, ac habitudinem uarietur relatio, quot ergo erunt fundamenta, ad quæ indicationes referuntur, tot erunt indicationes & quot modis uariabuntur fundamenta, tot etiam indicationes uariabuntur,

Indicatio quid.

quia

quia ſemper erunt ſub relatione fundamenti ſui. Cum igitur ita ſit, quod indicatio mutetur ad mutationem ſui correlatiui, poteſt autem ad multa referri indicatio, ad morbum ſcilicet qui eſt præter naturam, ad uirtutem, quæ indiget conſeruari, ubi adſit, ſi non adeſt regenerari, ad tẽperaturam, ad conſuetudinem, ad naturam loci affecti, uideamus ergo quo pacto indicationes ſint fundatæ, & illas referamus ad aliquem terminum, initio ſumpto ab ea, quæ ad morbum refertur tanquàm à principaliſsima omnium, ſecundo ab ea, quæ ad uirtutem refertur accedemus, illa.n. ita ſe habet ſicut morbus, & quicquid dicendum eſt de morbo, itidem de uirtute, quid.n. repreſentat nobis morbus in ſuo communi niſi rem præter naturam lædens operationes prouentu primo? Ex hoc nihil aliud ſcio, niſi, ut remoueatur id, quod eſt præter naturam, iſte etiam eſt unus communiſsimus conceptus, & propterea dicebat Gal. in libro de ſect. optima ad Thraſibulum, quod Aſini etiam ſciunt hanc indicationem, quia etiam feræ ſciunt, cũ ægrotant, remouendam eſſe ægritudinem. Vnde dicebat idem Galen. in tertio methodi, quod indicationes à morbo ſunt carceres unde incipit curſus, iccirco ſumus iam in carceribus, hoc eſt in principio, unde incipit curſus, iam ergo currere incipiamus. Morbus cum ſit quid commune, habet diuiſiones, diuiditur enim in complexionem, compoſitionem, & ſolutionem continui. Accipiamus nos primũ membrum complexionem ipſam, quæ ſit mala temperatura, indicatio, quæ reſpicit rem, eſt ut talis mala temperatura remoueatur, & hanc ſecundam ignorant aſini, quia ne

ſciunt quid ſit mala complexio, & hæc indicatio eſt & ipſa aliquatenus confuſa, ſed quoniam mala compl. xio adhuc diſtinctionem habet, diſtinguamus eam, quia quædam eſt cum materia, quædã ſine materia, ſed ſupponamus q̃d ſit mala complexio ſine materia, indicatio adhuc diſtinguetur, quod indicabit, ut malam hanc temperaturam ſine materia remoueamus, quia aliæ ſunt calidæ, aliæ frigidæ, aliæ humidæ, & aliæ ſiccæ, quæ ſimplices dicuntur, & aliæ cõpoſitæ, quæ breuiter octo ſunt, ſi erit calida et ſicca indicabit ſtatim frigidis, & humidis eſſe tollendam per illud commune principium, contraria contrarijs curanda ſunt & iam ad ultimam deuenimus diſtinctionem ut nec minor dari poßit, & hæc eſt illa, quæ indicat modum operandi, cæteræ uero omnes præparant, & quia cum frigidis & humidis eſſe occurrendum indicauit, iam poteritis mederi, propterea quia materiæ tales innumeræ ſunt, ſi autem fuerit mala complexio cũ materia indicatio etiam uariabit, quia ſuum correſpondens mutatur.

Indicatio autem eſt, ut euacuetur materia præternaturam in loco contentã iuxta illud Hippocr. omnis morbus à repletione, euacuatione curatur, ſed propterea nihil adhuc ſcimus, quia indicatio confuſa eſt, quia res ad quam applicatur, confuſa eſt, ideo opus eſt, ut diſtinctas habeamus indicationes, indicationes erant materiam euacuandam eſſe, ſi euacuanda eſt, ſumendæ ſunt adhuc à natura rei indicationes, uel materia illa eſt in loco ſine fomentatione aliunde, uel habet aliunde puta à toto fomẽtum ad illã partem, ſi fuerit in loco ſine fomento, cum diſtinctis indicationibus

nibus procedemus, simili modo, si aliunde habuerit fomentum, sed iam incipiamus à membro secundo, cum scilicet materia fluit ad locum, & partim fluxa est, partim uero fluxura est, cum non poterimus materiam fluxam unquã euacuare, nisi prius interceperimus fluxum, aliter semper flueret, & magis traheretur de materia, sic igitur facta est distinctio de materia, quod partim fluxa, partim fluens est, statim duæ indicationes oriuntur, una quæ sumitur à materia fluxa, alia quæ sumitur à materia fluxura, & utrique oportet satisfacere, incipiamus autẽ ab ea, quæ indicat materiam fluxuram intercipiendam esse, quomodo intercipietur? à natura rei semper sumenda est indicatio, natura autem rei est, quà fluit materia, oportet eam trahere ad oppositum illius loci, ad quem fluit. Est enim diuersio illa optima, si uero debet fieri talis tractus, commodior fiet per lineam rectam, quàm per obliquam, exempli gratia locus, à quo fit attractio A locus autem ad quem fit B. à linea termini A. ad B. recta sic imaginemini, postea aliam, quæ sit A. & linea trahatur ad B. & fiat angulus E. A. B. trahatur alia ad C. Tunc uidebitis, quomodo fiat attractio commodior per lineam rectam, & citius, & uiolentius, quàm per obliquam. Adest præterea ultima, hæc ratio physica, quia si fit attractio ratione uacui ubi incipit, & uacuum tractus fit per lineam rectam ad locum propinquiorem facilius, quia linea recta breuissima est, ideo in libro de Antispasi, & de phlebotomia dicebat Gal. attractionem, uel retractionem fieri debere secundum κατ᾽ ἴξιν interpretando hoc dictum Hip.

quomodo materia fluxura intercipiatur

exponebat, idest κατ' εὐθὺ, licet etiam Gal. hanc rectitudinem, & commodum usum cognouerit uasorũ, per quæ traducatur, quæ duo si inuicem cõparentur magis refert rectitudo, quàm commodus uiarum ductus, & hanc maxime extollit, ideo existente in parte anteriori capitis dolore per posteriorem trahit, dicit enim corpus transpirabile esse, neque enim est sicut Adamas, licet uiæ non sint manifestæ sicut uiæ uenarum, si seruabitur rectitudo, facillime fiet attractio, cum incipit uacuum ad oppositum, ideo maxime refert rectitudo, sed ultra hãc commodus ductus, Ex hoc habetis quomodo in pleuritide & in inflammatione sit sanguis educendus, & quomodo attractio facienda sit, De qua re aliàs ex professo dicemus. Ad primam ergo indicationem, quia in materia fluente sumus, ad oppositum trahere debemus, seruando rectitudinem & commodum ductum meatuum, & in materia fluente, quid fieri debeat habuistis, ut iam uobis sufficiant hæc, quæ diximus quo ad indicationem, quæ à materia fluente sumitur.

Prima Indicatio a Ma[teria] fluente

Quantum ad materiam iam fluxam requiritur, ut illa euacuetur, quæ fluxa est, quomodo autem euacuatio facienda sit. oportet, si uultis ad euacuationem accedere, habere indicationem, quæ à natura rei sumitur, ideo si materia erit in loco, prima indicatio est, ut euacuetur, sed tunc nihil scitis, quia si eam statim euacuatis, potius ægrum officeretis, ideo prius distinguetis naturam rei, & dicetis, hic est materia, quæ debet euacuari, aut est excrementitia tota nihil boni habens in se, uel est mala, non tota tamen, sed habens in se aliquid boni mixtum cum malo, si fuerit materia mala

Indicatio prima a fluxa Materia.

Si fuerit Ma[teria] mixta est [illegible]

mala mixta cum bono cruda tamen erit, habemus præceptum Hip. primo Aph. 22. concocta medicari & mouere &c. quod etiam in fructibus apparet tunc enim cruditas in ipsis est, cum materia excrementitia est cum bono mixta, A natura autem cum calore innato excrementitiũ expellitur, & quod bonum est pro subst ãtia accipit, quod enim in fructibus facit natura, in humoribus facit, intendit enim bonum à malo secernere, & hoc est munus propriæ concoctionis, quæ à calore naturali fit, & in hoc differt ab igneo, quia semper eterogenea separat, et homogenea congregat, ita etiam ars facere debet, cum sit naturæ imitatrix, et hæc est uera concoctio, non debemus igitur eam euacuare, quia cruda adhuc est, & natura non adiuuabit te, quia ipsa non operatur, nisi cum separata est, tunc euacuatio illa esset uiolenta, & bonum simul cum malo educeretur, & subtile alteraretur, & ad membrum nobile præcipitaretur, & fieret, sicut sæpe contingit, inflammatio, igitur separabitis primo utile ab inutili cum rebus calidis usque ad primum gradum, uel secundum non excedentibus. Oportebit igitur materiam concoquere cum calidis, in primo, aut in secundo, si materia magis rebellis fuerit, & uiscida, igitur hac prima indicatione si materia erit mista, oportebit eam concoquere sumpta indicatione à materia antequam euacuetur, facta concoctione si natura fuerit potens, & uiæ apertæ excrementosam materiam expellet, si autem uirtus fuerit impotens, aut uiscidit as fuerit in materia, cui non poterit natura dominari: uel non potuit id facere, quia uiæ sunt strictæ, aut materia ea crassa,

tunc

tunc habetis alia instrumenta, si uitium fuerit in uirtute corroborabitis eam, si uiæ strictæ, aperietis eas, quia corpora qui uult purgare, oportet fluida facere, si uiscida cũ abstergentibus præparabitis eam, si crassa cum incidentibus, omnia hæc facienda sunt, quia tot indicationes nascuntur à natura rei. Et ita procedetis, cum materia mala fuerit cum bona mista, si tota bona erit, per phlebotomiam educetur, si nimia erit, si uero tota mala est concoquenda quia quod totum malum est, non potest ad benignum reduci, sed si quæremus subitam euacuationem, non possumus id facere, nisi præparetur, ideo si erit crassa incidemus, si uiscida abstergemus, si porositates occlusæ aperiemus, ideo si talis humor melancholicus, aut uitreus fuerit, præparandus erit, si uero id, quod totum excrementosum est, turgens fuerit statim absque aliqua alia præparatione euacuabitis, quia ex quo non manet in uno loco, sed exitum quærit commodissime educetur, quia dicebat ille comicus, cum animus est in motu, facile huc & illuc impellitur, si non turget, & sit parata, non uiscida neque crassa sed tenuis substantiæ euacuabitis ipsam, nisi in uno casu, ubi humor subtilis factus fuerit, & acris, qui præparandus est cum obtundentibus acrimoniam eius, nec in hoc sum cum Rasi, qui dicebat, quod materia biliosa in uenis existens euacuanda est, uerũ esset hoc, nisi materia acris esset, quia si educeretis eam, ratione acrimoniæ intestina exulceraretis, & faceretis dysenteriam, quia bilis syncera est, sicut serpens non mouenda, nisi prius materia obtundatur cum uiscidis frigidis, & humidis, ideo si materia tota mala fuerit

rit tenuis, uel turgida euacuabitis eam, nisi cum tenuitate fuerit acrimonia, quia tunc temperanda est, & obtundenda prius, ne in motu suo transeundo per uentriculum, & intestina erodat, & faciat inflammationem, ut declarat Gal. 12. Meth. de quodam, qui assumpto scammoneo in dyssenteriam incidit ob erosionem factam à sui acrimonia in intestinis, quæ non potuit curari nisi cum chondro. Et hæc de indicationibus cum materia ad locum defluxa est, excipiatis tamen, si materia subtilis fuerit in pulmone etiam, quòd non sit acris, quia non potestis eam educere, nisi per tußim, & à flatu iuuari debet, cum subtilis erit materia non poterit educi, quia flatus rumpetur. Sunt modo alia duo genera ægritudinum, mala scilicet compositio, & solutio continui, de quibus nihil dicemus, sed in cap. de uertigine. Nunc ad indicationes, quæ à membro sumuntur accedemus, hæc alio modo se habent, quàm quæ à morbo, & hæ sunt dignæ medico, quia primæ quæ sumuntur à morbo, etiam ab Asinis cognoscuntur ex sententia ipsius Gal. sed indicationes, quæ à membro sumuntur, neque primæ, neque secundæ, neque tertiæ, non modo ab Asinis, sed nec etiam ab hominibus cognoscuntur, & non nisi ab exercitatis, & expertis, & hæ uel sumuntur à nobilitate mẽbri, uel ab operationibus, aut à substantia membri, uel à sensibilitate, uel communicantia, uel à uijs & cauitatibus, aut à situ nihil horum est commune uulgo, igitur ut procedatis seriatim, si uultis curare membrum, oportet, ut sciatis indicationes omnes, quæ à membro sumuntur, nec non naturam membri, & primo de indicationibus

Indicationes quæ a membro sumuntur sunt difficiles et nari[illegible]:

Primæ Indicationes quæ sumuntur a morbo etiam ab Asinis cognoscuntur.

A nobilita
membri.

nibus, quæ ſumuntur à nobilitate membri, dicam. Si fuerit membrum nobile affectum ut cor, cerebrum, & uentriculus propter conſenſum, quem habet cum membris nobilibus, tunc indicatio eſt, ut ſtatim, & celeriter occurratis cum repellentibus, quibus non utemini in alijs membris, indicationes ergo, quæ à nobilitate membri ſumuntur, quantum referant, & ſimiliter, quàm tum referat, ſi membrum nobile fuerit affectum, ex hoc cognoſcitis, quia non dat indutias, maxime cum ſymptoma grauat, unde neque concoctiones neque regula cauſarum expectatur, Deinde illa indicatio, quæ ab operationibus ſumitur, non leuis eſt, ſi fuerint operationes neceſſariæ uitæ, & cordis, & cerebri, ſine quibus ſtare non poteſt, tunc indicationes ab his tam nobilibus membris & neceſſarijs operationibus maxime cordis, quod eſt fons caloris ſpirituumq;, ſumuntur, ut calor innatus, & ſpiritus recreentur, & corroborentur cum his, quæ id poſsint efficere, uidelicet qualitatibus manifeſtis, & à proprietate, ſi fuerint operationes miniſtrantes toti corpori, ſicut ſunt hepatis & uentriculi, indicatio ab his ſumitur, ut calor innatus retineatur in illis, ideo cum corroborantibus ipſum, ut tonus ſeruetur in ipſis, immo ſi relaxantibus indigerent, nunquam erunt immunes medicinæ illæ à conſtringentibus, cum per hæc conſtringentia tonus ſeruetur, ſed dicetis, quomodo corroborabitur natiuus calor ab aſtringentibus, quæ frigida ſunt & ſicca? uidetur id potius fieri à calidis et humidis? Dico frigida, & ſicca aſtringentia ideo conuenire, quia ſi calor natiuus retineri debet in multis operationibus, quas habet,

2 Ab operatio:
:nibus

Obiectio.

habet, nisi essent ea, quæ retineri possent cum uaporibus, & multo motu resolueretur, sicuti uidemus in furno, quando retinetur in eo calor, quanto magis retinetur, meliores sunt coctiones, ideo cõdensantia meatus cum astringentibus, retinent calorem. Et ob hanc causam, quæcunque materia sit uel ægritudo in his membris, licet indigeat relaxantibus, ab astringentibus medicinæ illæ non sunt immunes, ut tonus conseruetur. Aliæ sunt operationes in membris, ut expulsio, sicut sunt intestina, & uesica, indicationes ab istis sumuntur, ut cum aperientibus occurratis, ideo si bene aduertatis diuinum Dioscoridem astringentia eustomachica appellat, Ventri autem inferiori, quæ tamen stomacho cacosthomachica sunt, At quæ stomacho cõueniunt, intestinis aduersantur, operationes ergo membrorum tales faciunt indicationes. Et iam habetis indicationes, quæ à nobilitate membrorum, & ab operationibus tam uitæ necessarijs quàm etiam utilibus toti corpori, & ad excrementa ordinatis sumuntur. Tertia indicatio ratione membri, A sensibilitate ipsius sumitur, ideo Medici cũ applicant medicamenta dissoluentia, calefacientia, & adurentia alicui membro, si uiderint illud ad modum sensibile non apponunt, in alio uero membro apponunt, & applicare non timent, modo non sit ita sensibile sicuti in carne &c. Quemadmodum docet Gal. in lib. κατὰ γένη de cura neruorum, qui cum sint instrumenta sensus, et multum sensibiles, licet abstergentibus ualidis indigeatis, cauere penitus debetis à rebus mordicantibus, ita ut semper medicinæ à tali mordicatione sint denudatæ, & iam à tali,

qualis

4
A Substantia
Membri.

qualis est resina Terebinthina, quod si non fuerit ita sensibile sine timore abstergetis, hæc ergo indicatio multũ refert. à substantia membri sumuntur indicationes, substantia autem membri potest considerari, uel secundum temperaturam, quæ facit substantiam eius, uel secundum habitũ, soliditatem, scilicet laxitatem, raritatemq; &c. Indicatio, quæ sumitur à temperatura, idest substantia maxima est. Nam aliter occurrimus membro temperaturæ calidæ, aliter frigidæ, & maxime cum diuersarum naturarum, & facultatum sit. Circa quod unum est aduertendum. Nam cum medicamenta applicantur corpori, & quod sint contraria in gradu opposito, ipsi ægritudini, puta, si sit calidũ membrum, ut duo ultra debitum temperamentum occurramus per alium excessum contrarium ut duo, nec aliter possumus mederi, immo debent multoties superari. quia dicebat Auer. agens, si debet agere, oportet, ut excedat proportionem passi, quoniam à proportione minoris inæqualitatis prouenit actio, ideo Gal. in 3. de tempera. dicebat medicinam non dici talem aut talem, nisi respectu corporis humani, immo temperati inter humana corpora, ideo cum dicimus medicinam calidam, uel frigidam, ad humanum corpus referimus, nec aliter potuit facere Gal. cũ sint relatiua, ideo oportuit determinare temperaturam talem, quia maxima inter omnes est, sed quid uis propterea dicere? Cum hæc ita se habent, & uos uultis curare membrum calidum, siue aliter dispositum, quod quidem à temperamento debito per calidum & siccum, exempli gratia, recesserit, ut duo, & cum in summitate est, & in sua debita

N.

bita temperie, dum est duo computando temperaturam ac quisitam ad æqualem, contingit, ut membrum hoc afficeretur calida ægritudine, & cum membrum hoc sit in sanitate constitutum temperaturæ calidæ, ut duo, duos alios acquisiuit, & ita receßit à debita temperatura per duos gradus caliditatis, nec debemus occurrere huic membro per contrarium idest per frigidum in gradu, sed quomodo facere debemus? Notetis, iam suppositum est, quod æqualem gradum debemus exhibere, uel etiam, superiorem cum occurrere intendimus membro per contrarias medicinas habemus autem temperatas medicinas, & in primo, & in secundo calidas, in tertio, & in quarto semper per comparationem ad temperamentum. Quid erit agẽdum? suppositum est hanc esse intemperiem ad calidum, Accipiamus pro exemplo medicinam temperatam, ut chamæmelum, alteam, uel Maluam, comparatæ medicinæ istæ mẽbro temperato æquales sunt, & temperatæ, quia cum deducuntur ad actum, non faciunt nec frigiditatem, nec caliditatem, hanc comparetis corpori calido, ut duo, non erit æqualis, immo inæqualis, & si inæqualis, erit ne per calidum? an per frigidum? certe in corpore isto erunt infra caliditatem illius membri per duos gradus ergo erit frigida, & humida per duos gradus, ergo deficit ab illo per duos, iam diximus oportere uel æquiparare gradum oppositum, uel aliquatenus superare, si uolumus mederi, cũ ergo dixerimus membrum illud excedere temperaturam æqualem per duos gradus, & iam acquisiuisse alios duos, igitur respectu temperatæ erunt quatuor gradus calidita

tis. Medicinæ illæ temperatæ recedunt à temperamento per frigidum, ut duo, ideo illud membrum sanum existens possent quidem refrigerare, affectum uero minime, quia maior est caliditas corporis, q̃ sit frigiditas medicamenti, sed quid facietis? Accipietis lactucam, quæ in secundo gradu respectu tẽperati frigida est, & humida ex cõsequenti respectu huius mẽbri calidi ut quatuor erit frigida ut quatuor. si uero uolueritis eligere Medicinam quæ excedat, portulacam accipietis, quæ in tertio frigida est, Ecce ergo, quòd indicatio à temperatura maxima est, ut agnoscatis gradus oppositos. Alius est modus sumendi indicationes ab habitu corporis, Appello habitum, laxitatem, duritiem, raritatem, mollitiem, siccioribus enim membris sicciores conueniunt medicinæ, ideo neruis solidæ medicinæ conueniunt, quæ carni non conueniunt, & quæ auribus, quia sicciora sunt, conueniunt, ita palato, & tonsillis, quæ multum exiccant, & astringunt, non conducunt, quia nõ sunt multum sicca, ideo secundum laxitatem, & duritiem, & soliditatem indicationes plurimum faciunt. A communicantia autem oportet uidere, an membrum cui occurritis habeat communicantiam cum membro nobili, exempli gratia cum curatis os uentriculi, quod enim ratione propriæ substantiæ nobile non existit, sed propter communicantiam, quam habet cum cerebro, & corde, curam habere debetis, quod Hippoc. aduertens in quarto de ratione uictus in acutis obseruauit, quando in medicamentis offendentibus os uẽtriculi, & deleterijs, sicut est helleborus, et peplion, uoluit, ut odorata apponerentur cum illis, quæ cor=

Habitus corporis quis.

A communicantia.

corroborarent cerebrum, & cor, ne sæua facerent accidentia, idem cum curatis neruos obseruabitis, quia & ipsi cõmunicantiam habent cum cerebro, si stimulabitis neruos cum re mordaci, conuulsionem eorum, ac cerebri facietis, & tandem mors sequetur. A compositione etiam, & uijs sumuntur indicationes, & considerare debetis utrum solida sint membra interius sine concauitatibus, uel nunquid ægritudo sit in substantia membri talis, quod habeat concauitates, uel non habeat concauitates, ut si fuerit in corpore renum, quorum substantia est solida, impacta materia, tunc aperientibus, & abstergentibus indigemus, si uero uiæ angustæ fuerint laxantibus, et mollientibus, si amplæ non indigemus tali apparatu, Item si in uijs fuerit exempli gratia affectus in hepate, & occurratis ei, multum refert scire, an sit in concauo, uel gibbosa eius parte, si quidem erit in gibbo cum prouocantibus urinam, & aperientibus procedere, quia materia hæc commodior est, si in concauo, per intestina deducemus. Et ita constat, quomodo ratione uiarum sumantur indicationes. A situ etiã sumũtur, quia an sit in profundo, uel in superficie, multum refert scire, si erit ægritudo in profundo membri fortiores medicinæ exhibentur, q̃ si in superficie fuerit, quia antequàm ad profundum perueniant, factæ erunt debiliores, ex affectione in pectore utemur fortioribus medicinis propter distantiam oris ad ipsum, similiter si fuerit in neruis uulnus in superficie, ab aceto, & euphorbio cauebimus, Et ita consideratis indicationibus hoc modo, nunquam errabitis, Et ita habetis, quod istæ duæ

ſunt indicationes, quæ maxime referunt una à morbo, a-lia à membri natura tertia erat, quæ à uirtute ſumebatur. Et hæc lõge diuerſa eſt ab alijs, indicatio enim quæ à morbo ſumitur ſemper ablationem indicat, quia eſt præter naturam, quæ à membro medio modo ſe habet, quia duo conſiderat membrum, & affectum, quæ à membro ſumitur indicat, ut conſeruetur membrum, quæ uero affectum reſpicit, ut tollatur indicat, ideo medio modo ſe habet, indicatio autem à uirtute morbo opponitur, ideo ſemper indicat, ut conſeruetur ſi adſit, ſi non adſit generetur, quia nunquàm uolumus amittere, ſed ſicut de indicatione à morbo diximus ipſam eſſe communem aſinis, ita hæc, quia nullus eſt, qui neſciat uirtutem eſſe conſeruandam, ideo oportet diſtinguere indicationes, quæ à uirtute ſumantur à natura rei, modo quomodo ſumitur natura rei in uirtute? Conſiderate naturam uirtutis. Virtus enim qualitas eſt, & perfectio quedã alicuius perfectibilis, ideo ſubiectum, in quo eſt, conſiderari oportet, eius autem ſubiectum Gal. teſte 12. Methodi in duobus conſiſtit, in ſpiritibus, & membris ſolidis, alibi autem in primo de diff. feb. tria eius ſubiecta poſuit, ſolida membra, impetentia, & fluentia Hippoc. authore, ſolida ſunt membra ſpermatica, impetentia ſpiritus quaſi cum impetu ad uolantes, fluentia ideſt humores, ex horum intemperie, & amisſione uirtus deperditur, indicationes igitur uirtutis conſeruandæ ab his tribus ſumuntur, & quot modis ſpiritus, ut ab his incipiamus, afficiuntur, tot modis indicationes ſumuntur, poſſũt autem affici, & reſolui ob nimium coitum, inædiam, labo

res,

res, præterea dolores multos, uigilias, timores, animi accidentia, ob euacuationes immodicas à natura, uel ab arte factas, ita quod quando deuenitur ad conseruationem uirtutis inde sumitur maxime indicatio. Si autem spiritus erunt tantum modo inaniti, sicut contingit in laboribus animi, & propter dolorem, aut ob fœtorem aliquem, aut ob gaudium distincti sunt, ut de Diagora refert Aristot. qui propter gaudium mortuus est, quia spiritus omnes extincti fuerunt, igitur si resoluti sunt, indicatio est ut restauremus cum his, quæ generant subito sanguinem, ut est uinum aromaticum, odorata anhelare, odorare, quia ex anhelitu, & odore, dicebat Galen. generantur spiritus. sunt etiam quædam, quæ à proprietate corroborant, uirtutem cordis, si uero spiritus affecti sunt, non quia sic consumpti sint, sed quia in qualitate alterati sunt, facti frigidiores seipsis, ut in tremore, & paralysi, ubi spiritus illi non sunt apti ad mouendum propter frigiditatem, si etiam admisceantur flatus craßi & corpulenti corrumpent temperaturam illorum. Et ideo cum raro modo affici poßint, raræ etiam indicationes sumuntur, unde si pauci erunt multiplicabuntur, si autem cum flatibus permixti euacuandi sunt flatus illi per halitum, semper per contraria sumendæ indicationes, si ratione humorum uirtus fuerit affecta, multipliciter potest affici, multæ.n. indicationes sumentur, si sanguis fuerit paucus, pauci etiã erunt spiritus, si crassus bili, pituitæ, & melãcholiæ permixtus, bonos spiritus non generabit, si multitudo, quo ad uasa, & plethora fuerit causa, ut spiritus lædantur per talem

quibus nam restauremus resolutos sp.

lem plenitudinem immo ad ſubitam ſuffocationem deducant, quia arteriæ non poſſent euentari, cum ſint ita obſtructæ, nec etiam ſufficeret tantum aeris attrahere, ut tantæ moli ſufficiat, ideo habitus atletharum, qui ad ſummũ etc. dicebat Hippoc. *periculoſus eſt, ideo indicatio eſt, ut per phlebotomiam ſanguis minuatur, ſi uero pituita, uel alius humor fuerit euacuandus, euacuandus eſt per pharmaciã & ita quot erunt cauſæ uirtutis debilitatem facientes, tot etiam indicationes ſumentur. ſimiliter ſi propter ſolida id continget, uel erit ob nimiam laxitatem corporis, & dilatationem, & ſpirituum exhalationem, qui diſflantes in ſyncopas multoties deducunt, ſi uero ob nimiam corporis ſoliditatem, quia ſpiritus colliduntur, & penetrant ad profundum, uirtus debilitaretur, uariæ ſumuntur indicationes, ſiquidem ob nimiam ſtrictionem & ſoliditatem debilis fiet uirtus, aperietis, ſi ob nimiam laxitatem conſtringetis,* Et *ita habuiſtis capita tria præmiſſa à regione, tẽperie anni, conſuetudine exercitijs* Sumuntur *etiam, quæ potius conditiones ſunt, quæ limitãt operationes noſtras, ac ſunt ueluti frænum,* Et *hæc ſufficiant pro nunc reliqua, in quibus fuimus diminuti, in cap.* de Vertigine *dicemus.*

DE

CAP. II.


IRCA caput istud pro introductione, oportet uidere, quid intelligamus ꝑ hoc nomẽ Vertigo, & quid sit. Quo ad nomen debetis scire, quod Vertigo, & scotomia siue sydra arabice loquendo idem sunt, ut dicunt isti, sed falsò, quia potius scotoma, scotodigma, uel scotodigmasis debet appellari cũ unũ, et idẽ in re importent, neq; credatis, qđ Vertigo, et scotoma differrant specie, sed tantum secundum maius, & minus, secũdum maiorem, uel minorem intensionem. Quantum ad alias species, quas illi ponunt ex Auic. sententia, maxime de illa, qua aluæ appellatur, hallucinantur, quoniam aluæ aliud symptoma est, quod palpitatio appellatur, ideo caput de Aluæ separabitis à cap. de Vertigine, Vertigo secundum Gal. in quarto de reg. Acut. Text. 42. est apparens imaginatio, ut omnia exteriora circumagi uideantur sine tenebrositate, quæ dinos appellatur, cum autem tenebricosa fuerit uisio scotodinos. i. tenebrosa Vertigo appellatur, ita quod ab eadem causa proueniunt, non tantũ inuasione distincta, quæ duo symptomata Arretheus optime distinxit dicens, cum tenebræ apparent, paßio illa propria est oculorum, cum uertigo apparet, imaginationis est paßio, ideo in uertigine duo sunt conuersio rerum, & imaginatio corrupta, in scotomia autem tenebrositas, & conuersio, sed hæc minus intensa. Quo ad rem ipsam debetis scire uertiginẽ esse symptoma. Cum igitur sit accidens, cuius sit accidens uidere oportet. Quidam uolũt qđ

esset affectus quoad oculorum, complementum imaginationis, & tamen totum oppositum est. primo enim incipit in interioribus, & completur in exterioribus. Alij in sensu communi uoluerunt esse, sed quia non est mea intentio uelle recensere opiniones aliorum sed tantum ueritatem attingere, debetis scire, quod uertigo est accidens, & uitium in spiritibus existentibus in anterioribus cerebri uentriculis, ut ex Gal. in primo de locis affectis sexto, & in quarto de ratione uictus in acutis tex. 41. Et propterea recte Aëtius ex Archigene inquit, quòd fiat huiusmodi symptoma propter humores crassos eleuatos ad cerebrum uertentes spiritus existentes in reliquis anterioribus uentriculis cerebri. Paulus etiam dixit, quod sæpissime fit uertigo propter compressionem uentriculorũ anteriorum cerebri constrictis spiritibus ibidem existentibus, & hæc quoad locum affectum, qui principaliter patitur, & in quo est ægritudo, spiritus. s. existentes in anterioribus uentriculis cerebri, & hinc est, quod tot actiones læduntur in uertigine, quia spiritus ibi existentes sunt proximum instrumentum, & subiectũ uirtutis incitantis sensus exteriores & interiores. præter ea in istis est uirtus apprehensiua omnium obiectorum desiderabilium, unde incipit motus, quæ dicitur uirtus electiua. Cum igitur uirtutes tales sint ibi, ubi spiritus obtenebrati sunt, non est mirum, si tot actiones lædantur, ideo imaginantur cadere, et cadunt et iam, quia spiritus interiores, unde incipit motiua uirtus, turbãtur, & motus uidetur corruptus, ideo cadunt, præter ea imaginatio corrupta est, quia spiritus illi

corru=

corrupti sunt, exteriores etiam sensus, ut inquit Galenus septimo de locis affectis. 8. corrupti sunt, obtenebrātur oculi, quia offenduntur spiritus uisibiles, sonant aures, olfactus, & omnes alij sensus læduntur.

Maxime aūt sensus uisus, quia fit per extra mißionem spirituum per primum par neruorum, & cum illi spiritus perturbati sint, ideo tenebrositas sequitur circa uisum, magis, quàm circa alios sensus, hæc est uera causa. Non est præter ea mirum, si cadat uel pronus sit ad cadendum, quia uirtus illa incitatiua ad motum est in anterioribus cerebri uentriculis, Quare Arist. in lib. de motu animaliū, in principio dicebat, quod uirtus ista incitatiua ad motum quæ ὁρμητικὴ dicitur, ex appetitiua commixta est tanquā πλάσις imaginationis, & quasi omißio imaginatiuæ ad opus, & sicut se habet intellectus practicus ad operandū, ita desideratiua ista ad motum se habet ad imaginatiuam. Auditus etiam corrumpitur, & ibi sentiuntur sonitus, & non est mirum, si aliquando omnes imaginationes apparent secundum maiorem, uel minorem causam, & intemperiem, & propterea non est mirum, si aliquando uertigo leuis sit uel uideantur exteriora uerti, uisus tamen non obtenebrescit, quandoque cadat, quandoque non, secundum maiorem, uel minorem causæ impreßionem in illis spiritibus anteriorum uentriculorum. causa autem proxima sunt uapores craßi commixti spiritibus claris existentibus in illis uentriculis, sed quæ nam sint causæ huius symptomatis, differunt antiqui Medici inuicem. Aetius inquit, quod causæ ægritudinis sunt uapores calidi, & aerei a-

 scen-

Paulus ſcendentes ad uentriculos anteriores cerebri. Paulus oppoſitum uoluit, quod frigidi & craßi ſint uapores. Moderni Moderni omnes dicunt ab omni humoris dominio poſſe cauſari, ſi uolumus Gal. ſequi in 3. de locis aff. 8. & in 4. de Galenus reg. Acut. 21. dicemus, quod cauſa uertiginis ſunt uapores craßi turbulenti admixti ſpiritibus illis propter diminutum calorem, qui non poteſt excoquere excrementa, & in halitum digerere, ideo flatus generantur ab illo calore diminuto, & in ultimo Aph. tertiæ particulæ, morbum hunc dixit eſſe factum propter frigiditatem, & in 17. Aph. tertiæ particulæ dixit uertiginem eſſe ſimilem morbo comitiali, Hic autem à cauſa frigida eſt, & ita ex Gal. uertigo inter ſymptomata procedētia à cauſa frigida connumeranda eſt: Dicatis quando uertigo eſt per eſſentiā Montanus in cerebro fixa à cauſa frigida fit, & uos uidebitis, quando curabitis uertigines pertinaces, & fixas in cerebro, à tali cauſa prouenire, bene contingunt multæ aliæ uertigines non fixæ propter multitudinem uaporum, ſicut in ebrietate contingit ex uaporibus à uino eleuatis, ex multitudine ſanguinis etiam, ex bile in ſtomacho, ex uaporibus eleuatis ad ſpiritus illos, et tandem omnes flatus, qui poſſunt perturbare illos ſpiritus, poſſunt cauſare uertiginē, & quoniam à quocunque humore fieri poteſt, ſemper tamen uertigo fixa à frigiditate cerebri, uel totius corporis fiet, quia calor innatus non poteſt concoquere excrementa, & per halitum digerere, uertuntur in flatus perturbantes ſpiritus illos, Ex hoc apparet recta definitio uertiginis, uertigo eſt motus inordinatus ſpirituum in anterio- Vertiginis Definitio ribus

ribus uentriculis cerebri existentium ob uapores crassos illis permistos, & ita habetis, quid sit uertigo, et propriũ subiectum cuius sit actio læsa, à qua causa dependeat, & sua definitio. CVM ALIQVIS illud, quod ante eũ est, circulariter moueri uiderit, et oculi tenebrescunt, &c. Ponit Rasis syndromem signorum more suo, quia Empiricè procedit, per quam distinguit uertiginem, quia uertigo est ab omnibus alijs ægritudinibus, sed etiam species uertiginis inuicẽ, quia duas ponit species, una est, quæ fit, cum uenæ post aures apparentes, immo etiam uenæ exteriores, quæ subetiæ appellantur, intumuerint & affectæ sint, & redditæ imbecilles, ut excrementa aliarum partiũ ad illas defluant, alia est, quæ fit ex redundantia sanguinis, et quia uenæ illæ imbecilliores sunt factæ, sed cum repletum est corpus sanguine similiter cerebrũ abundat, à quo uapores eleuantur, spiritus, qui sunt in anterioribus uentriculis cerebri perturbantes & isto modo introducendus est textus, non sicut facit Herculanus. sed dicetis uos hæc tua introductio est imaginatio quædam: Videatis Gal. in fine 13. Therap. ubi ait, quod sæpe contingit, quod uenæ apparentes exterius circa caput ita debilitentur, ut omnia excrementa aliarum partium defluant ad illas, ideo uult, ut secentur uenæ illæ post aures, & quandoque tamen altius, ut obtundãtur, ut cicatrix tandem inducatur media, ne amplius emanet sanguis ad caput, an autem mens Rasis conueniat huic interpretationi uidebitis, inquit ipse. Si quis idem quod ante eum est, circulariter moueri uiderit, & oculi tenebrescunt, & cadere uoluerit, &

facies,

facies, & oculi, in eadem hora rubuerint, Venæ quoque, quæ post aures sunt apparuerint. Per hæc signa distinguit uertiginem, quæ fit à sanguine propter imbecillitatē uenarum externarum, ab ea quæ ex sanguinis plenitudine fit, & hæc collectio signorum sibi fuit sufficiens, quia Empiricus est, ad distinguendum unam speciem ab alia, ut recte curari poßit, cum dixit. OCVLI OBTEnebrescunt, & cadere uoluerit, & facies, & oculi in eadem hora rubuerint sanguinis dominium indicat, cum uero addit. VENAE, quæ sunt post aures, quoque tumidæ apparuerint, Denotat uertiginem, quæ ex imbecillitate uenarum fit. Circulariter moueri est corruptio imaginatiuæ uirtutis, oculorum obtenebratio est corruptio uirtutis uisiuæ, causam huius tradidimus & cadere uoluerit, est corruptio motiuæ uirtutis. Et ita tres actiones læsæ concurrunt propter affectionem spirituum existentium in anterioribus uentriculis cerebri, Adsunt etiam alia signa, puta dolor, & grauedo capitis, sonitus aurium de quibus nō habuit mentionem, quia satis fuit sibi ipsi ponere ea, quæ ægritudinem distinguerent. Rubedo est signum pathognomonicum dominij sanguinis, ut iam diximus, & sumitur à secunda specie qualitatis, quæ qualitas uisibilis dicitur. Venæ autē tumidæ post aures distinguunt speciem illam uertiginis ex debilitate uenarum ab illa, quæ à dominio sanguinis fit. citra illam debilitatem, & hoc signum sumitur secundum Galenum, à tumoribus præter naturam, secundum nos à quantitate, quæ maior est, quàm conueniat, de his in superioribus multa diximus, quare posuimus

Alia signa

mus

mus fontes illos, à quibus prouenire dicebamus omnia signa. Vbi igitur apparuerint omnia ista signa, hæc erit uertigo à sanguine facta propter imbecillitatem uenarum exteriorum, quam nos qui dogmatici sumus curaremus indicatione sumpta à natura rei corroborando uenas illas, & sanguinem euacuando, & si aliter fieri non posset, incideremus eas inducendo cicatricem, ut diximus, Empirici uero hystorice procedunt, & quia sciunt ex tali concursu talem esse ægritudinem, taliter eam curant, ideo inquit, ex ipsis uenis facienda est phlebotomia. Herculanus hic unum adducit, non esse incipiendam à phlebotomia uenarum, sed debetis supponere prius à Basilica, uel cephalica sanguinem debere educi, postea accedere ad uenas post aures, certe id quod Herculanus aduertit, uerissimum est, sed non fuit prætermissum à Rasi id, quod necessariũ est, quia non est ita imprudens, ut necessaria prætermittat, licet breuiloquus sit, & parcus in signis, & remedijs, immo recte dixit, ex ipsis uenis esse phlebotomandum, quia intendit curare unam speciem ægritudinis factam propter imbecillitatem uenarum, quæ sunt post aures, propter quam decurrit sanguis ad ipsas, Nec oportet tunc habere rationem totius corporis, sed oportet euacuare uenas illas, postea corroborare, ne amplius suscipiãt sanguinem, ideo recte dixit, ex ipsis uenis facienda est phlebotomia.

ET VENTOSAE in collo et tibijs sunt ponẽdæ &c. Non credatis simul, sed in tibijs primo, ut materia deorsum trahatur, & reuellatur, secundo in collo, ut deriuetur materia. Herculanus hic notat, quia quando ponimus cu-

cur-

curbitulas sine scarificatione, ut diuertamus, à superioribus ad inferiora debemus procedere, si uero scarificare intendimus, opposito modo fiat, scilicet ab inferioribus ad superiora procedendum erit, Et ideo est à natura rei sumpta, quia cum applicatis uentosas fiet attractio materiæ, hoc autem fieri potest ratione uacui, uel ratione caliditatis membri, cucurbitulæ sine scarificatione attrahunt ratione caliditatis, cum scarificatione, ratione uacui, ideo maior fit attractio ex cucurbitula scarificata, quàm non scarificata, ideo cum uultis trahere sine scarificatione tutius est à superioribus incipere, & ad inferiora procedere, quia intendimus semper materiam deducere inferius, cum uero scarificatis, maxima attractio fit ad superiora, ideo periculosa est, ne fiat maior debilitas loci. QVOD SI prædictæ uenæ non apparuerint, & facies fuerit rubea sanguis ex cephalica, uel Basilica erit mittendus. Satisfecit Rasis uertigini præcedenti ratione imbecillitatis uenarum, quæ sunt post aures, ob quam sanguis defluit ad illas, Nunc intendit ponere curam uertiginis à sanguinis multitudine pendentis, ET sanguis ex cephalica, uel Basilica erit minuendus & disiunctiue loquitur, Nec aliquis hunc punctum declarauit, quia ad ueritatem disiunctiuæ sufficit alteram partem esse ueram, ideo uidēdum est, quæ uena sit incidenda. Circa quam rem debetis scire, quod non deuenimus ad sanguinis mißionem, ut ex 7. 8. & 12. Therap. declarat Gal. & in 6. de tuen. san. & ex lib. de phlebotomia, nisi propter multitudinē sanguinis existentē in corpore, et nulla alia sit paßio, ideo si est redūdantia

san-

ſanguinis, tunc ſemper deducet nos, ut ex Baſilica uniuerſali fonte, & tandem ex proximioribus uenis hepati ſanguinem mittatis, quia intentio eſt minorare ſanguinem, igitur à loco propinquiori hepati mittendus eſt, & iſte eſt primus Scopus, ut diuertatis, ſeu reuellatis humorem non fluentem, ſed fluxum, loquor nunc de ſimplicibus intentionibus & hæc eſt uerißima antiſpaſis &c. Cum habetis intentionem reuelli humorem fluxurum remotam, & ultimam diſtantiam quæretis, ut ſi quis aſſuetus fuerit ſingulis annis, uertigini, uel epilepſiæ, aut alicui ægritudini capitis, & uultis reuellere, tunc tali uenam ſcindatis, niſi retentio ſanguinis narium impediat, uel aliquid aliud, ut nocere poßitis alteri ſymptomati. tertius ſcopus eſt cum uultis deriuare, tunc eligetis propinquum locum, quia reuulſioni opponitur deriuatio, ideo ſi illa longinquum, hæc propinquum locum exigit, illa propter materiam fluxuram hæc propter iam fluxam conuenit, & ita ſicut fines ſunt oppoſiti, ita modi operandi ſunt diuerſi, tres ergo ſunt ſcopi mittendi ſanguinem principales, quando uero iſta complicantur puta minuendi ſanguinis intentio, & cum hac deriuatio etiam requiratur materiæ iam fluxæ, et ut euacuetur multitudo exiſtens in toto corpore, tunc eligere debemus uenas propinquiores hepati ratione multitudinis, poſtea accedere ad eas, quæ ſunt proximiores loco affecto, quia ſi incipietis à propinquioribus loco affecto plus attraheretis quàm euacuaretis, ſi uero reuulſionem quæritis, & euacuationem, à toto ſimul, ut puta ſi aliquis debet præſeruari à uertigine, & cum hoc habet multum

ſan=

ſanguinis in toto, habemus tunc intentionem ad reuellendum materiam principaliter, ſecundario euacuandum, in hoc caſu reuellere debemus ad remota, & extrahere multum ſanguinem, nec amplius ad baſilicā accedere, quia ex quo intendimus præſeruare, ideo ad longinquum trahemus, & cum hoc remouebimus ægritudinem per euacuationem multi ſanguinis, & reuellemus per locum longinquum, ſi autem reuulſione, deriuatione, & euacuatione indigeremus, ut in laborante pleuritide, quoniam cum multitudine ſanguinis in toto, materia præceps eſt ad fluxum, partim autem fluxa eſt, ideo his tribus indigemus, euacuatione quidem, quia ibi adeſt multitudo, reuulſione, quia materia fluxura eſt, deriuatione, quia etiam fluxa eſt, ideo indicatione ſumpta ab ægritudine quia magna eſt & iam fluxa eſt materia ad locum deriuanda eſt. quid ergo faciendum erit? Alterum duorum faciemus, et ita ſeruabimus uiam Græcorum, & Arabum, Aut habetis corpus robuſtum, & ualidum, et non timetis ſyncopam, quia ſcietis, quod eam ualde tollerabit eligere debetis uenam commodiſsimam ad euacuationem, reuulſionem, & deriuationem, ideo Hip. & Gal. in pleuritide eligunt uenam Baſilicam eiuſdem lateris, cum ſyncopam non timēt, quia ægritudo cum præceps ſit, efficit ſectio hæc omnia, quibus indigemus, diuertitis, quia locus medius eſt inter propinquū, & longinquum, commodus eſt euacuationi, quia Baſilica eſt ab hepate euacuans, deriuatis etiam, quia locus proximus eſt, ſed oportet ut uſque ad ſyncopam euacuetis, ſed dicetis quæ neceſsitas eſt, ut mittatur ſanguis ad ſyncopē?

A na-

A natura rei ſumitur, quia maxima eſt ægritudo, & uirtus ualidisſima, præter ea hoc dicit Hip. expreſſe in quarto de reg. Acut. & Gal. aſſentit in commento quod ubicunque corpus eſt plethoricum ducit ſanguinem uſque ad ſyncopen. Arretheus autem in cap. de phlebotomia dicit caue in pleuritide ſanguinem ducas à uena eiuſdem lateris, nam ſi ſyncopes fieret, quia ſupponit fieri propter imbecillitatem uirtutis, uel ad peripneumoniam deducetis ægrum, & fortè Auenzoar ſumpſit ab Aretheo, cum dicit ſectionem uenæ eiuſdem lateris in pleuritide ducere ad mortem, quia deduceretis ad alterum duorum, quod eſt ducere ad mortem igitur alterum duorum eligere debetis, uel ex eodem latere mittere ſanguinem uſque ad ſyncopen, & uiam Hippoc. & Gal. eligetis, aut incipietis à ſaphena primo, ſecundo à latere oppoſito, tertio à uena eiuſdem lateris, & modus iſte tutiſſimus erit. Si uero non fuerit corpus plethoricum, tunc non habemus niſi duas intentiones, & quia multitudo tollitur, & remouetur copioſa eductio, ideo duæ bene indicationes ſunt, una, ut diuertatis, alia ut deriuetis, tunc ab eodem latere eſt facienda, quia remedium præſentaneum eſt, Ideo bene dicebat Gal. quod oppoſiti lateris uena ſecta uel nullum, uel tardum remedium affert, non eligetur remotiſſima, ex qua fit reuulſio, quia eam tantum non intendimus, non eligitur etiam propinquiſſima, quia non eſt facienda tantum deriuatio, ideo tutiſſime eligimus mediam, quæ eſt Baſilica eiuſdem lateris.

Si fuerit Corpus plethoricum.

Si non fuerit plethoricum.

Propoſuimus ſex modos, quibus deducimur ad phlebo

Simplices 1. Euacuatio 2. Deriuatio 3. Reuulsio

tomiam, quorum tres erant ſimplices, & tres compoſiti, ſimplices quidem ſunt cum euacuationem tantum intendimus & uolumus, aut diuertere, tantum, aut deriuare, unuſquiſque horum modorum uarias habet indicationes (ut diximus) & ab euacuatione incipiamus, quæ ab indicatione ſumitur à redundantia ſanguinis ſecluſa omni alia conſideratione, & quoniam multitudini debetur euacuatio, ſumpta indicatione à natura rei euacuamus, & cũ utimur tali modo eligimus uenam propinquam magis hepati, quod eſt fons ſanguis & talis eſt uena Baſilica et propria, ubi non habeamus aliam indicationem niſi iſtam utemur tali euacuatione per phlebotomiam Baſilicæ, ſecũdus modus eſt deriuatio, & iſte ſumitur à materia iam fluxa in loco aliquo, ut ſi materia ſangnini permixta in loco ſit fluxa indicatione ſumpta à materia iam defluxa deriuationem intendimus facere materiæ illius ad locum uicinum qui fortior in expellendo, & ultra minuemus materiam illam, quæ in loco continebatur, & ita fortior fiet locus in cõcoquẽdo reſiduũ, Tertius modus reuulſio eſt, & iſte indicationem ſumit à materia fluxura, & tunc quærimus attractionem humoris fluxuri ad locum remotiſsimum, quia exiſtente loco debili ad quem fluxura eſt materia, ne afficiatur per defluxum illius locum maxime diſtantem quærimus, & hoc præcipit Gal. tertio Metho. Quando debilis thorax eſt, & pulmonis eſſentia & eſt ſuſpitio, ne uena rumpatur, uel aperiatur tunc reuellendum eſſe ait etiam quod æger non inciderit in ſputum ſanguinis, quia aptus eſt, ut incidat id facit. Et iſti modi ſunt ſimplices eua

cuan-

cuandi sanguinem primus euacuatio à loco proxime fonti sanguinis secundus à loco proximo membro affecto, qui deriuatio dicitur, tertius ad oppositum membrũ maxime remotum, qui reuulsio dicitur. Compositi sunt, quando contingit, ut materia iam fluxa sit & simul sit redundantia sanguinis in toto corpore, hic sicut sunt materiæ compositæ ita est modus operandi compositus, sunt enim duo hic materia, & propter hanc deriuamus est secundo plenitudo, & propter hanc euacuamus, & ita duobus modis indigemus, quid ergo faciemus? Debetis primo euacuare sicut in simplicibus diximus à maxime uicina uena fonti sanguinis facta euacuatione indicatione sumpta à materia iam fluxa deriuabitis eligendo locum uicinum membro affecto, secundus modus oppositus est huic, cum materia non fluit, sed fluxura est, & corpus plenum, sed habet partem aliquam debilem, ad quam præcipitari solet sanguis, præseruare debetis eam, & ad maxime oppositum locum trahere, & quia plenitudo est, indicatio est, ut euacuetis, & quia habet partem illam debilem suspitionẽ habemus ne materia fluat ad illam, quid faciendum erit? Dico simpliciter esse reuellendum, sed quia multitudo adest quæ indicat de euacuatione facienda, ad uenam illam accedetis, in qua fit reuulsio, quia tunc duabus intentionibus satisfacietis plenitudini quidem multum sanguinem euacuando, quia dicebat Gal. 2. Reg. Acut. loquens de plenitudine, ab omni uena fieri euacuationem, reuulsioni etiam, quæ principalis est, partem maxime oppositam membro debili eligendo, tertius modus cõpositus est, quando simul

hæc tria quæruntur plenitudo, & materia partim fluxa, partim fluxura, in quo tres habetis indicationes, à fluxura, ut reuellatis à fluxa, ut deriuetis, à plenitudine, ut euacuetis, quid ergo agendum erit? Dico distinguendum esse de plenitudine, uel purus est sanguis idest uera plethoria cum robore uirtutis ætate consentiente, præcipue si materia fuerit præceps ad locum nobilem puta ad pleuram, eligenda est uena, quæ hæc tria faciat, quia ægritudo hæc non dat inducias, debetis accedere ad uenas eiusdem lateris, quoniam per eam hæc tria facietis, primo euacuatis multitudinem, secundo reuellitis, quia locus communis est reuulsioni & deriuationi, quia media participant naturã extremorum, ideo commodißima erit, & copiose etiam usque ad syncopen, si opus fuerit stante. s. uirtute, & multitudine puri sanguinis. Si uero nõ fuerit purus sanguis, sed cum deprauatis humoribus, & succis fuerit commixtus, aliquando etiam malignus, & pestiferus, ut in febribus pestilentibus, quæ fiunt cum inflammationibus multoties uentriculi hepatis, & thoracis cum anginis, & pleuritidis inflammationibus, & in epidemijs, sicut Venetijs contingit iam 13. anni sunt, in quo tempore tales uigebant pestiferæ febres cum petechiis, duæ erant medicorũ sectæ, quidam à dextra, quidam à sinistra educebant sanguinem, & omnes interimebant, ideo ubi est talis multitudo cum prauis humoribus non trahimus tunc uersus locum affectum, sed prius cum inferioribus debemus incipere à saphenis. s. utẽdo prius simplici reuulsione, deinde deprauata illius sanguinis portione euacuata ad propinquio-

Si purus

Si sanguis non purus

quiores uenas accedemus, quia non aderit amplius impetus furiosus, quæ omnia si recte intellexeritis optimam habebitis, & rectam uiam mittendi sanguinem dico indicatione sumpta à natura morbi, sed indicatione sumpta à loco, & à ductu uenarum, aliter erit dicendum. Et hæc sunt dicta de modis mittendi sanguinem indicatione sumpta à natura morbi, Ex his soluitur difficultas, cum dicit Rasis, quod si prædictæ non apparuerint uenæ, & facies fuerit rubea, sanguis ex Cephalica, uel Basilica mittẽdus est, cur locutus fuerit ex tertio modo iam declarato, declaratur, exponitur mens eius, quia supponitur plenitudo sanguinis, & locus affectus, & quod materia partim fluxa sit, partim fluxura, Et quia tres habemus indicationes, unam à plenitudine, ut euacuetur, aliam à materia fluxura, ut reuellatur, tertiam à causa fluxa, ut deriuetis, si fuerit sanguis non purus, uel biliosus feruens à Basilica incipietis refrigerando hepar, ne talem generet sanguinem, postea ad Cephalicam accedetis, si uero purus erit sanguis, & tantum redundans in quantitate eligimus Cephalicam, per quam euacuabimus multitudinem, & deriuabimus, quia media uena est, quæ potest utrunque facere, & ita responsum est ad difficultatem: IN HAC præterea scotomiæ specie, & ita ea, quam ante diximus caput ex oleo ros. & aceto est infundendum. Facta euacuatione per sanguinis mißionem, iam ad localia accedit, & dicit, quomodo sit refrigerandum caput, & per contrarium curatur. contrarijs repercutere, & roborare docet cum aceto, & oleo rosaceo, quæ sunt propria instrumenta, cõ-

munia tamen remedia omnibus ægritudinibus capitis, & quia repercussione, & corroboratione indigebamus, acetum elegit, quod est tenuissimæ substantiæ iuuans penetrationem sumpta indicatione à natura membri, ob membranas et ob cutim satis crassam, quas debet penetrare, oleũ autem rosaceum licet habeat astrictionem, quia eam habet primi gradus, non impedit penetrationem, & ultra hoc magis sedat dolorem, quod non est in aceto propter acrimoniam, et acutiem. Herculanus hic uult oleum rosaceũ triplum esse ad acetum, quod non est semper uerum, quia si erit corpus ualde sensibile tanta portio aceti non conueniet. Consideranda etiam erũt symptomata. Si enim fuerint uigiliæ multæ sub triplum olei tunc non erit accipiendum immo oppositum potius facietis, si uero inclinatio ad somnum fuerit plus de aceto, & minus de oleo rosato.

Cui confert ut æger acetosa comedat, & semper stiptica. Postquàm Rasis tradidit remedium repercusiuum, docet quomodo sit regendus æger in uictu, Et uult, ut stipticis, & acidis utatur cibis, quia hæc cum frigida, & sicca sint in dominio sanguinis cõueniunt præterea sunt paucissimi nutrimenti, calida autem, & humida maxime nutriunt, & quia ubi plurimum est de sanguine ibi plurimum est de nutrimento, ideo stiptica, & acida dixit conuenire, quia & substantia, & qualitate conueniunt. Vnũ hic sciatis, quod in febribus pestilentibus in dominio sanguinis putridi ubi erit putredo in massa sanguinis stiptica, & acida conueniunt, quia sui stipticitate conueniunt, & obstant putredini, item parum nutriunt, quibus omnibus

bus indigemus. Sed hic excellētißimi quidā Moderni oppositum faciunt, & dicunt in febribus stiptica, & acida non conuenire, De stipticis aliquando assentio, de acidis nunquàm, Et isti habent duas authoritates Gal. in secundo, et in primo Reg. Acut. ubi dicit, quod in febribus debemus cauere ab acribus, stipticis, & acidis, quia exasperant, secundo authoritas est in primo de ratione uictus in Acutis commento secundo & 18. ubi ait, cauendum est à stipticis in febribus, sed notetis de prima authoritate, ubi dicit quod ab omnibus acribus, & stipticis, & acidis cauendū est, quia exasperant, loquitur de pleuresi, & ægritudinibus thoracis, ratione cuius exasperitatis dicit non conuenire aliter sibi contradiceret, quia in lib. de Feb. ad Glauc. piperis decoctum exhibet, & apij & oximellis Iuliani, & scilliticum in craßis maxime humoribus, quæ omnia acria, & aspera sunt, Ideo quo ad primum Gal. authoritas nihil facit. De secunda quando dicitur in febri à stipticis cauere debemus, isti non adducunt perfectam authoritatem, sed tantum partem illam, quæ uidetur satisfacere suæ opinioni nisi in duobus casibus dicit Galen. cum scilicet fuerit aliqua dispositio ad syncopam, uel quando fuerit fluxus uentris febri adiunctus, immo utimur stipticis, sed in febribus pestilentibus omnes patiuntur hæc symptomata, in quibus nihil frequentius accidit, q̃ quod aluus fluat fœdißimo fluore, ita quod non est retentio aliqua, ideo nisi corroboremus uentriculum, in syncopas cadunt, quia ergo in pestilentibus utrunque symptoma contingit, ideo conueniunt, quia Galen. in cap. de bolo Armena dixit

Bolus armena in pestilenti febre.

omnes,qui euadebant à febre pestilẽti à bolo armena sunt saluati, & qui non seruabantur ex illo, peribant omnes, & tamen bolus armena stiptica est; De acidis autem in omnibus conueniunt febribus maxime exceptis ægritudinibus pectoris, in quibus non conueniunt, quia exasperant, Æger quoque calida cibaria uitare debet AEGER &c. Hic omisimus ea uerba data opera, quæ addita sunt, & est cum sydere prouenit cum uapore, qui ab aliquo eleuatur membro usque ibi, cui confert, ut aliqua ex medicinis cutim adurentibus illi super ponatur membro, quia loquitur de uertigine per consensum, ideo non facit ad propositum, per calida cibaria intelligere debetis ea, quæ sunt calida quo ad substantiam, quo ad qualitatem, uel quo ad utrunque, calida quo ad qualitatem sunt piper nasturtiũ, anisum, cinnamomum, ideo cauere debetis ne æger his utatur, quo ad substantiam sunt quæ augent sanguinem, ut caro, panis ex farina, quæ multum generant sanguinem ex consistenti augent, calida propter utrunque sunt sicut mel, & uinum potens quod calefacit, quia calidum, & siccum est in tertio, in substantia etiam, quia generant sanguinem mel etiam calidum est, quo ad qualitatem in secundo, quo ad substantiam uero quia generat bilem, ideo ptisanam, uel panem lotum, uel lentes decoctas cum aceto exhibebitis. VENTER quoque ex apozimate mirabol. citrin. De quo in cap. de Cephalea diximus, ideo soluẽdus. nunc quartum ponit remedium post omnia iam dicta exequendum, & erit taliter ordinandum Recip. mirabol. citrin. drach. iiij. contundantur grosso modo, & si non habebitis

Calida cibaria: quo ad qualitatem. quo ad substan. quo ad utrumque.

Recipe

bebitis tempus diei naturalis, ut stent in infusione, decoquatis eos in duabus lib. aquæ uiolarum usque ad dimidiū, postea fiat fortis expreßio, & in ista libra aquæ siue decoctionis apponatis prunorum dulcium, qualia sunt Hyspana unc. i. Tamarindorū dra. vi. et facta expreßione dissoluetis zuccari albiß. unc. uel loco zuccari mannæ unc. i. s. uel unc. ij. et facietis medicinā benedictā et propinabitur, in aurora, uel per tres horas ante prādiū: cū āt neq; in FACIE rubedo neque febris cum scotomia fuerit. Mira breuitate utitur Rasis, quia supra proposuit uertiginem à materia calida dependere, & à sanguine per eam utramque comprehendetis, & quia etiam à bile causatur, quia ferè similes sunt, & in quibus differt, remittit nos tacite ad cap. de cephalea facta ex bilis dominio, Nunc accedit ad uertiginem à materia frigida pendentem & accipit syndromen signorum, quæ conuenit ei, quæ ualeant distinguere eam à quacunque alia, ideo cum quis id, quod ante eum est circulariter moueri uiderit, & ei oculi tenebrescunt, & cadere uoluerit, quæ sunt tria signa in communi uertiginem attestantia, & accidat, quod neque rubedo in facie, neque febris affuerit, à materia frigida erit, & plura alia signa sunt, uerum est, sed Rasis breuitati studens ponit tantum ea signa, quæ sufficienter distinguere ualeant ægritudinem, & quia stante materia frigida, uel per essentiam, uel per consensum potest causare uertiginem, sed attendendum erit, an fuerit stomachi nausea, aut subuersio, quæ distinguant illam, quæ per consensum à uentriculo est, ab ea, quæ per essentiam à capite est, ideo si nausea

est, & subuersio erit per consensum, si non, per essentiam, & tunc quid faciemus? Rasis statim occurrit, cum his, quæ historice, & ab alijs accepit, quia empiricè procedit, & euacuare proculdubio debemus, sed prius remouere debemus affectum illum ad nauseam, quod est impedimentum impediens medicinarum exhibitionem, sed quomodo remoueatur, quia est motus ad uomitum, & non succedit, cum prouocantibus procedetis, sicut decoctum est Herculani, prius tamen iubet, ut comedat diuersa cibaria, cepas, aleganas, affatim bibat, demum sumere uomitiuum, sed domini iste modus tam temere non seruabitur, quia ego uidi hominem, qui ferè suffocatus est, ideo si homines erunt robusti, modum hunc seruare poteritis, alioquin uel replebitis hominem uarijs malis humoribus, uel suffocabitis, inter prouocantia igitur uomitum flos, & semen genistæ multum ualent, similiter radix narcisci si decoquatur, uidebitis efficatiam maximam, item cum robusta fuerint corpora cum radice raphani frusta ellebori poteritis decoquere, sedata nausea uult Rasis, ut euacuetur cum una dosi pillularum cochiarum, quæ est drac.ij.et g. v. sed certe dosis hæc minor esse debet & drac.i. tantum poterit exhiberi supposito tamen prius, ut materia cōcoquatur cum his, quæ calida sunt in primo, & secundum non excedant, & præparentur cum abstergentibus, incidentibus, aperientibus. ET A FRIGIDIS abstineat cibis. Abstineat dico à frigidis, non solum secundum qualitatem tantum, ut ab usu portulacæ, betarum, endiuiæ, quæ parū nutriunt & refrigerant, sed etiam secundum substantiam, ut sunt pisces,

piſces, & aues paluſtres, quæ ratione ſuæ ſubſtantiæ frigidæ ſunt, & quæ ſecundum utrunque, ut eſt uinum pauciferum, & aquoſum, ptiſanam, orizam & alia huiuſmodi SI AVTEM neque animæ ſubuerſio &c. Tunc per eſſentiam erit in capite, & cibaria frigida, euitare iubet, nec non uentrem ex pillul. cochijs multoties ſolui, & gargariſmis, & caput purgijs, ut flegma inſuffletur in nares. De ſignis & cauſis uertiginis nunc agendum eſt proprie, quia frequentißimè ſolet accidere ſymptoma hoc, Et ut ueros fontes habeatis, ex quibus ſigna, & cauſas haurire ualeatis à natura rei initium ſumendum eſt, ipſa enim natura rei docebit nos, ſicut etiam in alijs ex methodo uenati ſumus, & eſt ipſa definitio uertiginis, quam diximus eſſe inordinatum motum ſpirituum exiſtentium in anterioribus uentriculis cerebri, ob uapores craſſos, ſecundum Gal. ſententiam ipſis permiſtos, ſed quoniam hæc non eſt uniuerſalis cauſa, ſed arcte limitata, quia aliæ etiã ſunt uertigines, quæ fiunt ſine uaporibus, ideo rectius eſt dicere, uertigo eſt inordinatus motus ſpirituum exiſtentium in anterioribus uentriculis cerebri, ob nocumentum ipſis aduenieus, & definitio erit uniuerſalis, ſtante igitur definitione iſta iam indagare incipiamus per methodum cauſas, & ſigna, diximus uertiginem eſſe motum inordinatum ſpirituum. Scire autem debetis, quod ſpiritus tenuißimi, leuißimiq; ſunt in humano corpore, propterea facile agitantur à quacunque leui cauſa. Ideo omnis cauſa, quæ poteſt perturbare hos ſpiritus, poteſt etiam facere uertiginem, & ſunt omnes illæ, quæ poſſunt alterare corpus,

Vertigo per eſſentiam

Diſcurſus de ſignis et cauſis uertiginis.

Definitio uniuerſalis

Quare motus inordinatus

pus, hæ autem uel sunt intrinsecæ, uel extrinsecæ, appello extrinsecas, quæ habent initium sui motus extrinsecus, ut aer, accidentia autem quæ habent obiecta extrinsecus, quæ mouent. Appello intrinsecas quæ habent principium sui motus intrinsecus, ut sunt humores, mala temperatura, solutio continui, & mala compositio, ex quibus impediuntur operationes, & ideo dicuntur ægritudines, Ab extrinsecis autem incipiamus, & ad particulares magis causas descendamus huius ægritudinis, & non alterius. Erunt autem extrinsecæ causæ, quæcunque possunt mouere hos spiritus, primo est aer, qui ubi erit calidus & humidus, ut in australi constitutione crasse faciet spiritus cerebri, ideo in primo Epid. Gal. dicebat, ubicunque est aer extrinsecus nebulosus, & crassus, spiritus etiam tales producit, & putredo maxima oritur, idem etiam facit frigidus & humidus aer, sed magis calidus & siccus agitando maxime ubi constitutio talis inuenerit materiam, quam poßit in flatũ mutare, ideo poterit agitare spiritus, Et ideo dicetis ubi sit humidus siue siccus, & breuiter quilibet excessus aeris potest causare uertiginem, maxime autem à calida humida frigida & humida cõstitutione. Ab accidentibus animæ perturbantur spiritus illi à timore, à nimia lætitia, & ab omni affectu animi excedente, maxime ubi in anteriori parte cerebri & in spiritibus fuerit dispositio ad recipiendas ipsas impreßiones, quia in subiecto bene disposito recipiuntur facilius, & non solum ab effectibus extrinsecis immo etiam siquis flumen impetuose currentem, aut hominum multitudinem intueatur, uel imaginetur res circumuolui, aut

Extrinsecæ Causæ Uenæ

Aer.

Accidentia Animi.

Flumen impetuose currens

aut inspiciat res uertētes in girum, Ex his animi motibus, & accidentibus agitantur spiritus, & perturbantur, ex quorum perturbatione fiunt uertiginosi. Ex multis etiam uigilijs incalescit cerebrum, ex qua calefactione humores crudiores importunè agitantur, & inflammantur, ideo flatus multi ascendunt, & perturbant spiritus, ideo fit uertigo, ex motu nimio etiam inordinato corporis maxime, nimia etiam quies hoc facit, quia cruditates fiunt ex quibus uapores eleuantur crassi, & miscentur spiritibus, inanitio etiam maxima, maxime uentriculi, quia in tali famis telleratione malis repletur humoribus, ut declarat Gal. in 3. de tuen. san. propterea mordicatur uĕtriculus ab humoribus, & per consensum excitantur uertigines, sed à repletione etiam humorum, & cibi multi eleuantur uapores, & perturbant spiritus. A cibo, & potu etiam, ut siquis nasturtium, sinapi, & radices Apij, quæ habent flatulentam caliditatem comederit, ideo Moderni, & Auic. optime dixerunt ex comestione Apij generari epilepsiã, similiter ex quocũque olere quod habeat humiditatem excrementitiam cum caliditate flatus calidi multiplicantur, ex quibus epilepsia & uertigines fiunt, Non ergo male dicitur, quòd radix apij, quia habet illam humiditatem excrementitiam, & flatulentam non conuenire epilepsiæ, ideo cum legeritis Galenum in consilio pueri epileptici concedentem apium intelligatis ipsum concedere folia, quæ non habent tantum flatulentiæ, nec intelligit de nostro apio, sed illud quod uulgariter petroselinum nuncupatur, cuius quidem folia non habent flatulentiam quemadmodũ no=

noſtrum uſitatum, quod hipposelinum uocatur, ſi enim accipietis eius folia craſſa ad modum folia habere uidebitis, & flatulentia apium igitur antiquorum, quod nos petroſelinum appellamus, non generat flatulentos uapores, potus etiam uini potentis, & uaporoſi facit ad uertiginem, & iſtæ ſunt cauſæ omnes extrinſecæ, quæ poſſunt excitare uertiginẽ. intrinſecæ, uel proximæ ſunt illæ, inter quas, & ſymptomata nihil eſt medium, quæ ægritudines appellantur, et hæ ſunt, quæ eſſentialiter etiam ſunt in cerebro, quia eſſentialiter etiam ibi ſunt ægritudines, quia ægritudo eſt diſpoſitio, à qua prouentu primo prouenit impedimentum actionum, Et quia cauſæ eſſentialiter in cerebro exiſtentes, uel in mala complexione, uel in mala compoſitione, uel in ſolutione continui ſunt, ſi in complexione, uel cum materia, uel ſine materia, uel erit caliditas, uel frigiditas, ſi caliditas erit in anterioribus uentriculis cerebri, primo multos attrahet uapores ex ſubiectis uaporibus, et humoribus in inferioribus partibus exiſtentibus, qui calor cum naturalis non ſit, aduerſatur ſpiritibus, & faciet uapores, maxime ubi erunt humores craßi, & ita maximas faciet perturbationes in ſpiritibus in anterioribus uentriculis cerebri, ipſiſq; accidit, ſicut flamma aduenit, cui ſi extrinſecus acceſſerit, uel caliditas, uel frigiditas excedens agitatur & mouetur inordinate, quia reluctatur aduerſæ qualitati, idem etiam uenit ſpiritibus, qui habent flammeam proportionem, ideo exceſſus omnium qualitatum tam ſimplicium, quàm compoſitarum, quæ non ſunt ſimiles ipſis ſpiritibus, conturbant eos, quia reluctantur con

tra

tra ipsos, quoniam maxime sunt alterabiles ex earum leuitate, ideo summopere agitantur cum euitant contrariũ, plerunque tamen contingit, ut sint humores, & primo sanguis, qui ubi multiplicatur in uenis non potest euentari ratione multitudinis, ideo euenit spiritibus, qui ex tenuiori parte sanguinis generati sunt, sicut euenit igni super quem ponitur plus alimẽti, & humidi, q̃ conueniat, retro cedit ignis, et ut uincat reluctatur, ita etiam spiritus, cũ fuerit multus sanguis à nimio alimento perturbantur, ideo à multitudine sanguinis ut notauit Rasis potest fieri. A multitudine etiam pituitæ cum in anterioribus uentriculis cerebri colligitur, modo in flatum uertitur, & in uapores crassos, & debilis calor fit cum spiritibus commiscentur, & ita uertiginem facit. A bilioso etiam humore fit, quia etiam ipse uapores facit qui agitabiles sunt, & crassi respectu substantiæ spirituum, qui generantur à subtili parte sanguinis, & commiscetur, & ita uertiginẽ facit, idem etiam de humore melancholico dicatis, isti autẽ humores, qui per essentiam in capite, & cerebro sunt, dupliciter possunt esse in eo, uno modo, cum præsentia humoris est ibi, hæc autẽ præsentia duas habet causas, uel quia generantur ibi ob malam temperaturam cerebri, facitq; huiusmodi causa uertiginem malam, quæ non curatur, nisi maxima adsit ægrotantis patientia, quia ergo in cerebro adest mala temperatura puta frigida ratione cuius alimentum non recte conficitur delatum ad cerebrum superfluitates sub forma uaporum eleuantur, quæ non possunt difflari, et ita necessario multiplicantur superfluitates, & gene-

nerantur ob malam temperaturam, idem etiam de calida sed rarò, attrahendo, quod non debet attrahere, & non concoquendo, quod debet concoquere, potest etiam aggregari humor non propter malam temperaturam, sed qui aliunde transmittatur, nec est propter hoc per consensum, quia postea ibi flatuatur, & facit uertiginem, defertur autem, uel in febribus acutis ob nimios uapores eleuatos, qui uertuntur postea in cerebro in humores quibus collectis ad uentriculos cerebri debiliores faciunt motum. Potest etiam propter aliquam ægritudinem chronicam, quæ diu afflixerit, causari, ut quando fit crisis mala, & permutatio, & materiæ, quæ peccarunt in capite, ad debiliorem partem demittantur, utputa ad caput, & fit uertigo, sicut etiam in phrenitide fit propter materiam ascendentem ad caput, quæ malæ perturbationes dicuntur, sed ista causa secunda cum humores sunt transmißi non est difficilis ut curetur, quia ubi euacuati sunt humores sanitas sequitur, sed cum remanet mala complexio, hoc opus, hic labor est. Habetis igitur quot modis fiat uertigo ratione malæ temperaturæ & compositionis maxime propter præsentiam humoris existentis in uentriculis cerebri, anterioribus destruentis, & lædentis instrumentaliter ipsos, ut cogantur constringi, & expellant materiam lædentem, Et hoc ualde propinquum est ipsi epilepsiæ, nec differt, nisi, quia hæc leuior obstructio, quàm in epilepsia, in qua fit omnium membrorum conuulsio, Et ego uidi non nullas uertigines, in quibus omnia accidentia ita aßimilabantur epilepsiæ, ut uix cognoscerentur, et à peritis Medicis

dicis in dubium proponeretur, quidnam esset, ut alijs epilepsia, alijs uertigo uideretur, & non sine causa, quia uertigo hæc in confinio utrius sita est. Potest etiam à solutione continui contingere, ab ictu, concisione, & contusione, quia contingit spiritibus propter tales percussiones, sicut qui percutit aquam in superficie, per cōsensum omnes partes usque ad profundum agitantur ex percussione tali, ita etiam ex percussione extrinseca spiritus agitantur, ut aliquando ex subita impressione tali uentriculorum cerebri contingat uertigo sanis, Et istæ sunt omnes causæ lucidæ declaratæ, quæ intrinsecæ sunt corpori proximæ, & adæquatæ uertiginis, ut non sit medium inter eas, & uertiginem, quæ ueræ ægritudines dicuntur. Aliæ uero sunt, quæ per consensum, & mediatæ sunt ideo mediatæ dictæ, quia habent aliquod medium inter eas, & uertiginem, quæ alio etiam nomine per communitatem dicuntur, cum scilicet inferiori membro ægritudo est, propter quam fit communitas illi parti anteriori cerebri, ubi sunt illi spiritus, & fit uertigo, & in hac communicantur uel uapores, uel qualitates occultæ, aut manifestæ. Vapores quidem ascendere possunt à quocunque humore existente in uentriculo, aut splene, aut hepate, utero, aut uesica, & in toto etiā corpore. Quod posit mala qualitas facere uertiginem, hoc sæpissime contingit in mulieribus uiduis, in quibus est seminis retentio, ex congregatione cuius uenenositatem acquirit, ut inquit Gal. in sexto de loc. aff. à quo eleuatur qualitas uenenosa mala, & quandoque epilepsias facit, quòd autem symptoma hoc à qualitate fiat, habetis à

A solutione continui.

Causæ proximæ vel mediatæ.

Vapores ascendentes.

Mala qualitas

Gal.tertio de loc.aff.cap.ſeptimo, ubi ponit duos caſus, unus eſt pueri cuiuſdam qui 13.annum ætatis ſuæ agebat, à cuius crure incipiebat quædam qualitas eleuari, quã neſciebat nominare, quæ aſcendebat per partem poſt partem uſque ad cerebrum tandem cadebat, Alter erat adoleſcens, à cuius pollice pedis frigida qualitas aſcendebat, quam ſciebat nominare ad cerebrum, & epilepſias faciebat & cauſabat. Et dicit Galen. quod pelopi præceptori placuit, quod alterum duorum eſſet uel qualitas, aut ſpiritalis ſubſtantia qualitatis ſimilis, quæ an una ſimplex ſit, & nuda, nullam habebat demonſtrationem, & exemplum dabat de ictu ſcorpionis, & morbo phalangiorum. Arabes, & Auicẽ.maxime uult, quod ſit nuda qualitas, ſed an ſit uel qualitas, uel ſpiritali ſubſtantia, non poteſt determinari, & apud medicos ambigitur, uel igitur uapores aſcendunt ſub forma uaporis, aut ſpiritalis ſubſtantia, aut qualitas, quæ uertiginem efficiunt per communitatem, Et ita habetis omnes cauſas per cõſenſum, quæ à partibus inferioribus aſcendunt. Quantum ad ſigna indicantia cauſas, primo uos debetis habere ſigna indicantia in cõmuni uertiginem, & ſunt actiones læſæ, quæ ſunt corruptio imaginationis, ut imaginetur omnia circumuolui, cuius obtenebratio eſt ſonitus circa aures, corruptio motiuæ uirtutis, ut uideatur cadere, ſigna uero cauſas diſtinguentia à fontibus per nos traditis ſumenda ſunt, quos diximus eſſe tres, ſecundum Galenum autẽ ſex primus fons traditus à nobis eſt actio læſa, ſecundus exeuntia, tertius accidẽtia cõmunia. Ab operationibus læſis primo diximus

ſumi

sumi signa incipiendo ab animalibus, quæ in cerebro sunt, & illas diuisimus in sensitiuas, & motiuas, sensitiuas in exteriores, & interiores, de causis extrinsecis hoc unum tantum dicam, quod ipsæ sese indicant, habentur ex sola ægri relatione, si uero fuerint intrinsecæ, & mala complexio fuerit causa sine materia, recurratis ad secundum librum Artis medicinalis, si fuerit cum materia distinguẽdo ab operationibus, si qua includitur etiam ea, quæ sine materia est. Et ab animalibus incipietis, si fuerit dominiũ sanguinis & uultis cognoscere an hæc sit causa, primo considerabitis naturales operationes, imaginabitur læta, pronus erit ad somnum, grauitatẽ capitis percipiet, somniabit læta, sicut qui sanguinei sunt, faciunt, & ita ex operationibus intrinsecis cerebri scietis, quid dominetur. Quoad uitales habetis pulsum, qui percipitur magnus, uehemens, resistens tactui, mollis ad tactum plenus, uelox non frequens, ut etiam cæcis demonstret dominium sanguinis ita hæc omnia manifesta sunt. Quoad exeuntia manifestißime indicant dominium sanguinis. Vrinæ autem crassæ, rubeæ, quod est proprium perpetuum sanguinis egestiones concoctæ, & humidiora excrementa erunt, quæ à capite descendunt. si lachrimæ apparebunt circa oculos erunt calidæ non mordaces, & distillantes, præter ea descendens ad os subdulcis erit, percipiet etiam, si dominetur sanguis, tinnitum in auribus, & capitis grauitatẽ, ab accidentibus autem, & primo quoad qualitates primas idest quo ad habitum, & dispositionem, isti qui patiuntur uertiginem à dominio sanguinis nunquàm habent chroni

Ab exeuntibus:

cam ægritudinem, nec permanentem. Quoad secundas qualitates, & circa tangibiles primo si tangatis caput, & corpus totum, percipietis caliditatem suauem. Quantum ad colorem rubedinem, præter ea quo ad tertiam speciem si tangetis corpus mollißimum erit, & humidius iudicabitur tangenti, quo ad quantitatem, arteriæ, & uenæ intumescentes erunt, & facies tumida, Ex quibus omnibus tam claram habetis syndromen signorum, ut nō possitis errare. Idem de bile prorsus dicetis. sed quoad actiones animales attinet, iracundus erit parcißimos somnos, & turbulentos habebit, ignē uidebit in somnijs citrinasq; flammas, præter ea quoad operationes uitales in pulsu uelocitas erit, non frequentia, neque magnitudo erit præternaturam, quia necessitas aucta est euentandi calorem, non autem uirtus, immo instrumentum inobediens, quia corpus siccius seipso est factum, & cum non poßit ad debitam quantitatem dilatari propter neceßitatem euentationis, quod non potest in magnitudine facit in uelocitate cum duritie. Quo ad exeuntia, urinæ sunt flauæ, citrinæ, tenues, lucidißimæ, aurei coloris, erunt egestiones biliosæ, uomitus, sæpe abundabit, uel dispositio ad nauseam, præter ea excrementa ab emunctorijs, & lachrimæ ab oculis calidæ, & mordaces erunt. Præter ea pituita e naribus excreta, & ad os defluens sub amara percipietur, in auribus erit stridor sicut uenti, & non percipiet grauitatem. Quoad qualitates, & primo quo ad habitum, & dispositionem, non erit fixa ægritudo, sed breuis, & facile terminabitur, Quoad secundas qualitates, quantum ad

Signa ab [illegible] somnio

ad tactum expectat, caliditas mordax sentitur, Quoad colorem, lutei oculi, & color talis omnis uidetur, quoad tertias durities, & asperitas in tactu attestantur super dominio siccitatis, quo ad quantitatem, non erit tumor in uenis, & arterijs, sed gracilitas in toto corpore. De pituita ipsa etiam habet propria accidentia, & quo ad animales operationes torpidissimas habet operationes uirtutum interiorum animalium, somnulenti sunt, & somniantur aquas, deterrentur in somno, & uidentur esse in luto, ut uix possint extirpari, uidenturq; habere crura fracta, aut somniantur montes altissimos, quos non possunt ascendere, quia ipsa spiritus aggrauat, & minuit operationes. Quoad uitales in pulsu est paruitas, quia minuta est necessitas euentationis, non habet uehementiam, tardus est ob dominium frigiditatis. Quoad excrementa si erunt cruda, tenuissima erit urina, si cocta, erit crassa.

Signa a pituitae dominio

[illegible] somni ant montes

DE PHRENITIDE
CAP. III.



VM ALIQVEM febris conclusa continuo inuaserit &c. Postquàm Rasis egit de dolore capitis, & de uertigine, cõsequenter, agit de phrenesi in quo ordine, nonnulli uoluerũt carpere Rasim, quod ipse non sit secutus ordinem compositiuum, ut fecit Auic. & rationem adducunt, quia si ordinatum processum esset secutus, ex quo incepit tractare de impedimentis sensuum, & à uitio sensus tactus incepit, de dolore. s. capitis agens, debuisset continuare sermonem suum circa impedimenta, & uitia sensuum adhuc, & non commiscere uitium uirtutis motiuæ sicut fecit intermittendo cap. de uertigine, ideo non fuit consonum rationi, ergo male fecit debebat post tractatum de dolore capitis de phrenitide agere, ut compleret sermonem de uitijs interiorum sensuũ sed hæc reprehensio indigna est, quinimmo Auic. fecit longe deteriorem ordinem, ut ostendam, circa cap. de uertigine rectè à Rasi fuit positum inter uitia sensuum, & postquàm incepit cap. de uitijs omnium sensuum, recte de uertigine egit, quia ordo est, ut à simplicioribus in eodem ordine ad magis composita procedetur, & hunc ordinem sequitur Rasis, & cum de uitio sensus tactus inceperit debet nunc de magis compositis agere, ideo de uertigine secũdo loco, quæ est uitium principale in imaginatiua, ad quam sequitur uitium in motu. Nec credatis, ut Auic. credidit, quod sic uertigo sit læsio principaliter motus, sed sensus com=

communis imaginationis ſcilicet ad quam ſequitur per accidens uitium in motu, ubi etiam imaginatio falſa imaginetur, ſequitur, quod uirtus ad motum corrupte agat, quia quantam uim habeat imaginatiua in Gal. & Auic. didiciſtis, qui tantum tribuunt huic uirtuti, ut in ſecundo naturalium uoluerit externam materiam poſſe alterare ita, ut mons poßit de loco ad locum deſcendere ui huius uirtutis, nõ eſt mirum igitur, ſi interioribus tãtum præcipiat, ut poßit omnes eas facultates alterare, & ſi ad imaginationem ut uideatur cadere, ſequatur caſus, non eſt ergo dicendum cap. de uertigine fuiſſe inutiliter interpoſitum. poſtea magis compoſitum interponere de phrenitide, quæ eſt uitium in omnibus uirtutibus interioribus, in imaginatiua, cogitatiua, ſeu diſcurſiua, & memoratiua, ut ex ſignis apparebit. Bene igitur & ſecundum rectum ordinẽ Raſis longe melius, q̃ Auicẽ. poſuit in tertio ordine cap. hoc, quod autem deberet poni inter capitula Apoplexiæ, & Epilepſiæ ut Auic. facit falſum eſt, quia non eſt uitium factum in motu principaliter, ſed in interioribus exterioribusq; ſenſibus. Quantum ergo ad ordinem ſatisfecimus quia proponendus eſt ordini Auic. Quo ad nomen dicimus phrenitidem eſſe nomen peruetuſtum, quod quidem impoſuere cuidam læſioni mentis eo modo affectæ, ut dicemus, Et ideo impoſuere hoc nomen, quia Antiqui ante Plat. ſeptum tranſuerſum phrenem appellabant, crediderunt illi mentem habere ſedem in phrene, & inditium ſatis certum habebant, quia ex inflammatione phrenis uidebant ſequi delirium, tanquàm ſignum pathognomonicum,

Phrenitis cur ab Antiquis dicta

necnon differentem anhelitus, & febres, & mortes etiã maxime cum in posteriori parte phrenis incidisset uulnus non aduertentes ideo contingere, quia uena caua ascẽdens, & ascendens arteria uulneratur, ex quo uulnere maxima copia sanguinis & spirituum effluebat, & moriebantur. Alij doctiores, & in anathomia peritiores cognouerunt septum transuersum tantum anhelitum facere, & ad membrorum spiritalium separationem à naturalibus, ut esset ueluti septum diuidens, nomen solum phrenitidis retinuerunt, licet scirent phrenitidem alibi esse. Arabes scerabitum persæbirse appellarunt, sed nomina non curemus, & sufficiat nobis solum scire, quod phrenitis non phrenisis debeat appellari, & hæc de nomine, omißis his tanquàm inutilibus, ad rem deueniamus, & primo quæramus, quid sit phrenitis, & an debeamus eam ponere inter causas morborum, an inter morbos, & symptomata ut habeamus rectam methodum curandi, Dico quod quando uolumus rectè, & exquisite loqui (ut etiam fecimus) ut apud Antiquos factum est, qui nomen phrenitis causæ antecedenti attribuerunt, aliquando morbo, propriè autem symptomati, ita nos poterimus facere, quod autem causæ attribuatur Galenus in com. primo, primi prognost. supra illo Hip. textu, ubi ait, qui comatodes inter initia fiunt cum capitis, colli etiã lumborum doloribus nunquid phrenitidis signa illa, quæ præcesserunt, syndromes quædam sunt, præcedentia phrenitidem, & ita dubitat an sit phrenitis, & tunc de causa loquitur, & Rasis etiam nomen phrenitidis causæ antecedenti

cedenti

cedenti attribuit, Aliquando etiam, & ſæpißime morbo attribuitur, & ad hunc ſenſum Moderni, & Aetius, & Paulus cum definiunt phrenitidem dicunt eſſe inflammationem calidam paniculorum cerebri, & morbo attribuerunt hoc nomen, ſi uero ſecundum Hip. & Gal. uolumus loqui, ſymptoma dicemus appellari, inde ſymptomatum cauſis. & in hoc ſignificato methodum trademus, & Hip. tertio Epid. eſt author ubi ita definit phrenitis eſt delirium perpetuum cum febre, dixit perpetuum ad differentiam omnium deliriorum, quæ fiunt per conſenſum, concreſcunt, & decreſcunt ſecundum augmentum, & decrementum proprij membri, addit (cum febre) ad differentiã maniæ, & melãcholiæ ſpecies, ubi eſt deliriũ ſine febre. Cum hic ergo aggregatur delirium perpetuũ cum febre phrenitis eſt, & hoc nomen ſymptomatis eſt, quam definitionem Gal. primo primi proriticorum admittit, ut bonam, & laudabilem. Dicamus ergo cum propriè loqui uoluerimus propriè hoc nomen ſymptomatis erit non morbi, nec cauſæ, eſt autem hoc ſymptoma actio læſa uentriculorũ cerebri, quid alij uelint, dicant, in quibus eſt ſenſus communis, imaginatiua, idem prorſus ſunt, & in eodem loco diſcurſus & memoria, quæ ſunt idem ſubſtantia, & in ſubſtantia idem prorſus ſunt & in eodẽ loco, ratione tantum differunt, & forte Gal. idem uoluit, ſed hæc eſt uera mens Ariſt. dicat Gal. quidquid uelit, hinc eſt quod in phreneſi omnes actiones læduntur, cum magna eſt, ſenſus enim exteriores læduntur, & muſcæ apparent ante oculos, ſentitur ſonus in auribus, imagina

tio corrupta est, admirandas enim imaginationes habet, discursus etiam, & memoria læduntur, ut obliuiscantur matulam, dum petierint mictum, & in lecto mingunt, cũ in manibus habeant eam, quandoque autem imaginatio seruatur corrupta uirtute discursiua, aliquando memoria amittitur, alijs saluis, uel ob leuitatem causæ, aut concurrente fortitudine unius uirtutis potentioris, & hæc est uerior. Vnde bene dicebat Gal. cum decipiuntur isti phrenetici ex discursu optime commemorantur quod delirauerunt. Et Gal. de seipso dicit se uidisse festucas, & flosculos colligere, ut clamaret sibi prouideri, ne in phrenitidem caderet, sed ubi omnes inualescunt, omnes corrumpentur, postea abolentur, si perseuerauerint. Hactenus quid phrenitis audistis tàm quo ad essentiam, quàm quo ad nomen, & quod pro causa, pro morbo, & propriè pro symptomate accipitur consequente morbum, de quo loquemur, est uidendum modo, ut rectam ueniamur definitionem, in quo loco sit, bene diximus in uentriculis anterioribus cerebri esse, sed quia plures partes habet, uolo ut pro anteriori parte cerebri intelligamus, ubi est substantia cerebri, uentriculi, & membranæ, in quo ergo horum locorum sit quærimus. Dico quod si uolumus loqui secundum rationem, et Gal. authoritatem dicemus, quod in membranis tantum fiet, & quod illæ sunt proprium subiectum phrenitidis, morbus autem faciens eam est inflammatio ab humore calidißimo, qui, cum occupat, uel uentriculos, aut substantiam cerebri effluit præ tenuitate, & non potest contineri, ut in quinto de usu partium

lo=

loquens de pulmonis substantia laxa, quæ non facile suscipit humores tenues, quia fluunt, quæ autem solida est recipit illos humores, crassos autem non ita recipiet, sicut ergo laxa membra, sicut est pulmo, crassos humores facile recipiunt ut pituitam & melancholiam, mēbranosa uero facile tenuem, & non crassum, ideo ergo distat cum phrenitis à tenuißimo humore procedat, quid in membranis, non uentriculis, neque in substantia cerebri sit, & hoc ex signis suis ostendemus, locus ergo proprius sunt membranæ cerebri, sed dicetis, ubi est authoritas, quam pollicitus es? omitto Aetium, Paulum, & recentiores omnes. Gal. in 4. de causis pulsuum, de pulsu phreniticorum loquens inquit fieri phrenitidem ob inflammationem membranarum cerebri, per consensum uero in septo transuerso, ita quod in paniculoso membro est, ut in subiecto. Dicetis uos habemus authoritates oppositas in primo Epid. in Tempest. 3. cō. 14. ubi inquit Gal. non solum membranæ cerebri subiectum sunt, sed substantia etiam, istam contradictionem soluit Gal. in primo prorit. Vbi dicit quasdam phrenitides esse tales, quales febres humorales, quæ ubi perseuerauerint diutius, & solida membra inuaserint, fiunt illæ febres, quas hecticas appellamus, ita contingit in phreniti primo incipit in membranis, postea dilatatur in substantia cerebri, ille humor tenuis diffusus per membranas diffunditur in substantia cerebri, & in ipsa imbibitur, & tunc æqualiter per totum cerebrum, membranas, & uentriculos diffunditur, & phreniticam hecticam appellauit, sic ergo

non

Phrenitis non fit neque in ventriculis neque in substa cerebri sed in membranis

Per se fit in membranis cerebri per consensum in septo transuerso

Obiectio

R

non dißidet Gal. & tunc quid ſequatur, quæ acciden=tia habeant dicemus, cum de cauſis, & ſignis agemus, Et hæc ſint dicta de nomine phrenitidis. De eſſentia quid ſit, & in quo loco, ſi modo diſcurretis per nugas gentilis, et Nicoli ita confundent uos, ut tandem cum legeritis, neſciatis, quod legiſtis, iſta erant prænoſcenda. Declaremus modo textum Raſis. CVM ALIQVEM febris continua inuaſerit &c. Hic ponit duo Raſis in toto iſto cap. primo proponit ſyndromes indicantes phrenitidem, ſecundo curationem, Et hic notetis ſicut & in omnibus alijs cap. notaſtis, quod Raſis in toto hoc cap. ſeruauit ordinem empiricum, ipſi autē non habent niſi duo in ſuis ægritudinibus, ideo illa exequitur, Nos autem quia dogmatici ſumus tria habemus, ideo dogmatici omnes in ſuis cap. & curationibus conſiderant cauſas, ſigna, poſtea ad indicationes, & tandem ad curationem accedunt, ideo in Auic. & in omnibus habetis tria cap. primum de eſſentia morbi, & de cauſis, ſecundum de ſignis, tertium de curationibus, Diuidit ergo in duo primum eſt de ſignis, ſecundum de curationibus. Quantum ad ſigna omnia ſunt ſecundum Galenum ad mentem Empiricorum, & concurſus, ſeu ſyndrome apparet, ex hac concludebant talem ægritudinem, duæ hic ſunt ſyndromes, prima eſt phrenitidis proximæ futuræ, & de ſyndrome prognoſtica, alia eſt quæ indicatiua dicitur indicans præſentem phrenitidem, cum iā facta eſt. Quantum ad eam quæ prænuntiat futuram diceret aliquis, cur non ita fecit Raſis in cap. de Vertigine, et de Dolore cap. notetis domini præceptū ob=

Empirici due tantum habe[nt]
Dogmatici tria.
1 De eſſentia morbi 2
De Signis
3 De Curatione

Hic duas posuit Raſis Sindromes

obseruãdum, quod ubi sunt ægritudines ualde acutæ, quæ inualuerint, ferè nunquam curantur, sicut uera phrenitis, & uera pleuritis ideo non debemus tantum eam, quæ adest, quia tunc melius esset dicere, quod moriuntur, quàm curare, sed antequam accedat, cogitare quia poterimus cũ honorem eam curare tamen præuidendo, tùm præcauendo, ideo Rasis in hoc cap. hoc facit, ut poßit remoueri tanta calamitas futura, quod non fecit in alijs, & sicut dicit Galenus in secundo proret. debemus nos ita facere in his ægritudinibus, sicut agricolæ & herbarij, qui cognoscũt triticum, cum oritur, & herbas cum incipiunt apparere, & pullulare, & earum cognitionem in omni tempore, ita nos debemus imitari eos, et non solum cum sint in consistentia debemus cognoscere ægritudines ipsas, sed antequam accedant, Et cum incipiunt apparere uestigia, ut secemus radices, neque permittamus crescere germen tàm lethale in humano corpore, Et quia enumerauit syndromen hanc Rasis, non intelligatis ut Herculanus, qui uult Rasim per illa ostendere phrenitidem pendentem à sanguine, hoc non intendit Rasis, neque præsupponatis hoc, sed loquitur de quacunque phrenitide & concursus iste signorum sufficiens est ad prognosticandum phrenitidem per essentiam in capite, antequam fiat. Sed posset quis dicere, & ideo signa sanguinis & febrem inclusam &c. nonne ista erit febris sanguinis, sciendum est synocham febrem non esse ex sanguine, quia nõ fit febris propter sanguinis putredinem intelligendo propriè sanguinem, sicut bilem, & aliquem alium humorem intelligimus

Error Herculanj.

obiectio.

Nota Sinocha febris non fit ex sanguine p[illegible]

mus, non potest fieri febris ex tali putredine, nisi in duobus casibus, ut bene notauit Galenus, unus est in inflammationibus, cum inflammatio in aliqua corporis parte est releuari possunt uapores ad cor, & facere febrem sanguinis, & tunc apparent signa sanguinis. Alius est in febribus pestilentialibus, cum putrescit tota massa sanguinis, & uirtus subito prosternitur propter corruptionē spirituum, & ascensum uaporum putridorum ad cor, & uidemus celerrimam mortem, synochia autem proprie nō fit ex putredine sanguinis, sed ex ichore, et ex parte subtiliori sanguinis, qui dicitur sanguis biliosus, quæ etiam dici debet potius biliosa, & quomodo differat à febre causone aliàs diximus. Cum uero Rasis dicit CVM FORTI capitis & oculorum grauedine, & in facie, & in oculis uehemens rubedo fuerit, Diceret quis quomodo persuadebis nobis hæc non esse signa expressa sanguinis? quia tu dixisti rubedinem esse signum pathognomonicum dominij sanguinis. Ideo bene uidetur dicere Herculanus, quod hæc sint signa sanguinis. Dico uobis hæc utique esse signa sanguinis, sed non quod indicant phrenitidem esse à sanguine quia uobis ostendam phrenitidem esse influxionem calidam membranarum cerebri, & fieri ex subtiliori parte sanguinis, quæ ichor appellatur. Et si uideritis Gal. in lib. de inæquali intemperie, de tumoribus præter naturam, & de plenit. ubi docet, quomodo fiat inflammatio non mirabimini, ait enim ibi in principio inflammationum si fiant hæc signa, hoc ideo est, quia cum fiat ex tenuiori parte sanguinis primo calefiūt partes, in

quibus

quibus fit inflammatio, ideo Gal. in 3. temp. primi epid. fieri phrenitidem dixit ex calefacto cerebro, tunc humores omnes, qui fluunt ad locum per uenas magnas fluunt, & dicit per paruas, et adhuc per minores unà cum sanguine usque ad locum, & tunc omnes uenæ circa partem existentes humidiores fiunt, & ex consensu illorum humorum fiunt partes illæ rubeæ, & grauitas percipitur, igitur in primis quatuor diebus propter concursum hunc fiunt somnolenti antequam inualeat, Et ideo dixit Hip. Qui comatodes inter initia fiunt, cum capitis, colli, et lumborũ doloribus sunt nè phrenetici? Si intelligeremus esse phrenitidẽ factã, et uapores eleuari ad caput, nõ fieret somnolẽtia, sed quia erupit maxima copia sanguinis ad locũ, subtilior autẽ pars sanguinis illa est, quæ facit inflammationẽ propriè fit somnolentia. Apparent autem signa sanguinis, circa caput quia non est perfecta inflammatio, sed quia sanguis ad locum fluens implet uenas circa locum, ideo apparent ibi signa sanguinis. Vidimus iam quid per nomen phrenitidis importatur, & quid esset in re, ut ab ipsius notione reliqua possemus fabricare, & diximus, quod erat symptoma omnium uirtutum interiorum, quæ sunt in principe anima, ut est imaginatio, intellectus, & memoria, & hæc non credatis, cum dixi in eadem sede esse facultates istas, ut dicerem ex Arist. esse in capite, sed ubi sint, diximus esse in subiecto idem, differre autem solum modo ratione, neque hoc absurdum est, quia Gal. facit quatuor uirtutes discrepantes esse in eodẽ membro, quod si fuerint temperatæ fungẽtur officio suo,

Cur apparent signa sanguinis circa caput

Montani sententia

si

ſi uero intemperatæ illi intemperaturæ operationes con uenientes commode fiunt, aliæ, malæ, ut ſi uentriculus fuerit ſiccior quàm conueniat, ad retinendum aptus erit, ad alia inutilis, ideo non inconuenit, ut diuerſæ ſint facultates in eodem membro, licet diuerſas exigant temperaturas, ideo melius eſt hæc dicere, quàm ponere tot animas, & tot cellas, & facere monaſterium in corpore, ac ſi ſit ibi unus Abbas, qui imperet cæteris monachis, quicquid tamen creditis, nõ impedit, ſi tamen ut philoſophi uultis rẽ cognoſcere, ita iuditio meo ſentiendum eſt. Dicebamus deinde, cum interpretaremur primam partem cap. quod duæ ſyndromes hic ſunt, prima ſignorum protendentium futuram phrenitidem, ſecunda indicantium præſentem, de prima diximus concurſum talem limitare futurã phrenitidem neceſſario, & ſunt capitis, & oculorum grauitas in facie, & oculis rubedo, uehemens capitis dolor, & horror luminis etiam, de ſingulis primo dicemus poſtea de uniuerſis, Et quia Raſis empirice procedit, ſi nos etiam empirice uellemus procedere, omitteremus rationes ſicut faciunt ipſi, ſed quia dogmatici ſumus nos, cauſas, oportet, ut uideamus particulares. Dixit primo, quod apparet capitis, & oculorum grauitas, iã uidiſtis quomodo phrenifis ſit impedimentum naturalium actionum, qualium diximus, & ſedem habere potiſſimum in membranis cerebri, quæ autem ſequuntur ſymptomata, cum inflammantur membranæ, ſi rectè memoria tenetis quæ dixit Gal. in ſecundo κατὰ τόπους, inter alia ſigna dixit, Vbi fuerit inflammatio in membranis cerebri, grauitas percipitur

1 Cum apparet capitis dolor et oculorum gravitas.

cipitur

cipitur in radice oculorum, Et ratio ex Anathome habetur, quia omnes tunicæ, oculorum componuntur ex membranis cerebri, ideo consensum hunc maxime patiuntur, & propter consensum etiam, quia ab anterioribus uentriculis oriuntur nerui optici deferentes spiritus uisiuos oculis, ideo in phrenitide oculi consentiunt: IN facie, & oculis uehemens rubedo hoc est secundum signum, si meministis, quæ heri diximus. Vbi incipit inflammatio in capite, licet à pituita fiat, cum sanguis per maiores, & minores uenas ascendit ad caput, ibi aggregatur sanguis & rubēs humor, & rubedo est inseparabilis à sanguine, cùm ergo uehemens apparet rubor, indicatur quod multitudo sanguinis tendit uersus partes superiores. DOLOR capitis, & horror luminis &c. Intelligit Rasis caput proprie non aures, aut nares, aut oculos, sed partes interiores cerebri ut membranæ, nerui, & qđ materia sit in substantia cerebri faciens dolorem grauatiuum, & quod hoc intelligit, addit HORROR luminis, quod est uel uitio oculorum, aut principij, nullum apparet in oculo uitium, ergo in principio, cum ergo hæc duo simul sunt signum est quod nocumentum est in cerebro, nōdum tamen indicatur locus ET IN pulsu uelocitas, & frequentiæ superfluitas inuenietur, hoc signum est illud, quod dat ideam, & syndromen, quòd sit ibi dominiū sanguinis & ex rubedine apparet, nec sunt imbecillitatis signa, & aucta sit neceßitas, quia febris adest, deberet esse pulsus magnus, sed dicit uelox & frequens est, hoc est, quia inflammatio in membranis existens tunicæ arteria-

rum per consensum fiunt duræ, & tunc inobedientes red
duntur in dilatatione, & non dilatantur, quantum esset ne
cesse pro usu caloris aucti, qđ deficit in magnitudine sup=
plet in uelocitate, & hoc à natura factum est, nisi aliquid
impediat, quod si uelocitate non supplet, augetur frequen
tia, & quia hic maximus calor est in cerebro, & inflam=
matio in membranis, spiritus agitantur, ideo alienationes
fiant oportet, quia ita auctus est calor, quantum potest di
latari arteria, fit maxima frequentia in pulsu cum parui=
tate, & duritie, quia occupatur membrana, & hæc est
causa cur appareat uelocitas, & frequentiæ superfluitas,
quæ maior est, q̃ sit uelocitas, quia uirtus debilitatur, ex
spirituum & tali febris resolutione, Ex rubedine igitur
faciei, & oculorum scitis ad caput ascendere sanguinem,
ex dolore capitis, & luminis horrore, quod non so=
lum ascendit sursum, sed & in partibus cerebri, Et
ideo cum copulatis rubedinem faciei & oculorum, do=
lorem capitis, & horrorem luminis, scitis mate=
riam occupare partes superiores capitis, in quo au=
tem loco sit, nescitis, signa indicant in membranis es=
se, & sunt grauitas capitis, & oculorum, quia ex
sententia Galen. cum membranæ cerebri afficiuntur,
& inflammantur, grauitas capitis percipitur in radici=
bus oculorum, præterea frequentia, & uelocitas pulsus
ex duritie facta indicat hoc, & ita ex omnibus signis col=
ligetis, quod materia peccans occupat partes capitis &
partes cerebri, & non solum partes cerebri, sed ipsas mē
branas, ideo ubi humor calidus, qui in membranis capitis
decum=

decumbit fit dispositio, quæ phrenitis appellatur, & fit ne cessario, non posuit Rasis inter signa delirium, quia tunc signa pathognomonica essent indicantia phrenitidem præ sentem, propter ea bene tacuit delirium, cum uellet osten dere signa portendentia futuram phrenitidem, cum igitur hæc omnia signa uidebitis, & addatis duritiem in pulsu di catis iamiam erit phrenitis, & hæc sunt signa futuram phrenitidem indicantia, QVOD si lingua fuerit nigra, aut citrina fiat, & permisceatur intellectus, & multum fuerit alienatus, & uigilauerit multum, iam phrenisis pfecta est &c. Si rectè memoria tenetis, quæ diximus, cũ sit inflammatio, diximus, quod fit cursus sanguinis à maioribus uenis ad minores, & adhuc ad minores, quousque ad locum imbibatur & tunc fiunt inflammationes cum humore, & iam facta est ægritudo, quia habet essentiam suam, licet semper fiat, quia semper augetur, dicitur autem facta, quia iam habet malam complexionem cum humore, & cum solutione continui, & permistione intellectus, et uigiliæ adsunt. Debetis supponere, quod phrenitis quò ad suas causas non fit nisi à sanguine tenuißimo bilioso, quia tenuißimus sanguis occupat membranas cerebri. His suppositis signa ista merito sequuntur, fiet alienatio necessario, quia inflammatio perfecta est in insignioribus partibus cerebri & temperatura destruitur, & spiritus agitantur, non possunt fieri operationes, ut oportet, ideo delirant perpetuo, quia perpetuo adest causa idest inflammatio spiritus temperaturam destruens, quæ faciunt pro debitis operationibus: Vigiliæ etiam necessario adsunt,

Quare Rasis non posuit delirium.

Quando dicitur facta ægritudo.

Supponenda 2 ...

Cur perpetuus delirium,

Cur Vigiliae

humor calidus & siccus adest, qui ichor sanguinis est & ita ista duo uidetis, quomodo pendent à causis, quia in flammatio pendet à partibus subtilioribus sanguinis necessario fiunt uigiliæ, quæ sequuntur caliditatem, & siccitatem cerebri, quia operationes animæ sequuntur caliditatem, & siccitatem nimiam cerebri alienatio etiam sequitur, quia operationes animæ sequuntur temperaturas conuenientes pro operationibus, lingua nigra, & citrina apparet, quia ut sciuistis febris est inseparabile signum phrenitidis, quæ ex tenuiori parte sanguinis fit continuo biliosarum seruans naturam, hoc autem signum maximum est sequens ipsas febres, fit citrina, liuida, cum pauca sit adustio, cum uero adhuc maior sit, nigra est, aspera fit propter siccitatem nimiam inductam, sicut ait Hippoc. in quarto Reg. Acut. cum loquitur de febre causonide, ita quod ubi erunt ista signa, non solum erit febris, sed phrenitis, quia cum febre erunt uigiliæ plurimæ, & alienationes, Et ita habemus signa pathognomonica indicãtia phrenitidem. AEGERO ITAQVE antequàm prædicta compleantur accidentia est subuenien dum ex sanguinis detractione, & uentris solutione cum succo fructuum. Postq̃ posuit Rasis signa primo portendentia futuram phrenitidem, secundo indicantia præsentem, accedit ad curam prætermissis causis. Et ita necessario indicationes omittuntur, quia illæ à causis, & ab essentia morbi sumuntur, dico indicationes operandi, ergo quia tollunt naturam morbi tollunt etiam indicationes empirici, quia abhorrent causas, & ad curam accedunt, quia sciũt

Accedit ad Curam.

tali

tali morbo talia remedia conuenire, & ponit quatuor facienda, euacuat primo corpus, secundo instituit rectam rationem uictus, tertio instituit localia quædam, quarto corrigit accidentia quædam, quæ sequuntur phrenitidem. De primo Rasis tanquàm empiricus non quærit causas, sed mittit sanguinem per uenæ sectionem, secundo purgat cũ pharmaco bilem educente, nulla habita indicatione, sed quia ita scriptum est à maioribus. Nos autem, quia Dogmatici sumus, breuissime reddemus rationem, & quia duo proponuntur utriusque reddemus rationem, quò ad sanguinis mißionem, ideo conuenit, quia sanguinis dominium redundat, cuius pars subtilior ad locum defluens imbibitur in membranis, & licet sit bilis, & naturam bilis sequatur, ibi tamen adest dominium sanguinis, sicut etiã in pleuritide contingit, quæ non differt quo ad causas à phrenitide, quia utraque habet idem membrum, & à subtili humore prouenit, licet in partes diuersorum situum sint, quia alia est costas succingens & alia cerebrum contegens, & propterea quò ad curationem per indicationes à causa faciente morbum eadem remedia conferunt, & quia in pleuritide loquendo de propria conuenit mißio sanguinis, ita in phrenitide nulla alia cura est, nisi ducere sanguinem, & leuiter mouere bilem, ita fiet in phrenitide, indicatione autem sumpta à loco secus est faciendum, utrobique igitur sanguis est mittendus. Quantum uero sit euacuandum duo indicant, magnitudo morbi confusam quantitatem, certam autem uirtus, natura enim morbi admonet remedium faciendum esse, dominium sanguinis admonet

Quattuor ha fis ponit

Quare sanguis mittendus.

Quantum evacuandum duo indicant.

ut mittamus ſanguinem, & ſi multum abundat, multam copiam debemus extrahere, ſi parum paucam, ſed ad principem accedendum eſt, ideſt ad uirtutem, & petere ab ipſa an liceat hæc fieri, quia uiuimus propter ipſam, ideo ſi uirtus ualida fuerit tollerare copioſam faciemus, ſi debilis modicam, indicatione igitur ſumpta à cauſa mittere ſanguinem debemus, quia dominatur ſanguis, indicatio autem à loco indicat non à pede, nec à Baſilica ſicut in pleuritide facimus, quia locus non eſt membrana ſuccingens coſtas, ſedes affecta eſt in capite, indicat igitur, ut eligamus aliam uenam, Nos igitur uolumus mittere ſanguinem in principio phrenitidis quam uenam eligemus? Dico indicatione ſumpta à loco affecto, & à morbo Cephalicam eſſe eligendam eiuſdem lateris, quia ſcitis, quando uolumus reuellere ſimpliciter, eligimus totam diametrum, & maximam diſtantiam, & hæc reuulſio appellatur, quæ materiæ fluxuræ debetur, eamq; diſtantiam ideo eligimus, ut aſsueſcat humor, qui fluere ſolebat ad caput, & epilepſiã exempli gratia facere trahamus ad pedes, cum uero ſimpliciter euacuamus, duo loca habemus uel locum affectum quò fluxa eſt materia, uel proximum, ad quem deriuamus, cum fluxa eſt, quia uitamus irritare locum affectũ ſcalpellis, & ſic iſta duo oppoſita ſunt, deriuatio ſimplex, & reuulſio ſimplex, Deriuatio ſimplex ad locum proximum trahit, reuulſio ſimplex per totam diametrum, ſed cum ambo uolumus facere, non eligimus proximum quia debetur deriuationi, non remotum, quia reuulſioni ſimplici debetur ſed medium, ideo cum inflammatio

fit

fit habemus humorem partim fluxum, partim fluentem, adhuc humor, qui fluxurus est, debet reuelli, qui uero fluxus est euacuari, si eligimus locum proximum traheremus materiam, quæ in motu est ad locum affectum, si reuelleremus tardum, uel nullum haberemus iuuamentum & hoc uoluit Galenus secundo Reg. Acut. cum dixit, si in pleuritide oppositæ partis uenam eligeremus, uel nullum, uel tardum haberemus remedium, secundum ipsum ideo eligenda est uena eiusdem lateris, quia per eam habemus euacuationem à loco proximo simul, & reuulsionem, quia spatium est satis commodum & conueniens. Ipse etiam iubet sanguinem mittendum esse usque ad mutationem coloris, quare ergo mittendus sit sanguis in phrenitide, est, quia sanguis peccat, quantum uero sit mittendus, uirtus indicat, à qua parte sumpta indicatione à loco, à Cephalica eiusdem lateris, Et hæc sint dicta, quantum ad difficultatem, quare mittatur sanguis ET VENTRIS solutione cum succo fructuum &c. Facta sanguinis missione uult Rasis purgare corpus, quia sanguis est biliosus, ut educatur bilis circa quod habemus perpetuum documentum, in acuta ægritudine à ualidis pharmacis caueatis, ut etiam rhabarbarũ nobis sit suspectum, ideo decoctum fructuum elegit iste uir sapiens, qđ fit ex prunis, mirabalanis & tamarindis, modum autem componendi non docet, Vos autem accipietis mirabolanorum citrinorum, & indorum ana drach. ij. contundantur grosso modo, & infundantur per diem, ac noctem, si fieri poterit, sed quia tales ægritudines non dant inducias decoquentur

Quantitas mittendum

Accedit ad purgationem

Axioma

Medicina. [illegible]

hispana prima sunt dulcia . . Damascena austera .

duabus libris aquæ uiolarum usque ad dimidiũ, sed prius perfricentur manibus, & illiniantur cum oleo amigdalarum dulcium, & facta forti expreßione pro corroboratione in ista libra decoctionis apponetis pruna numero x. dulcia, qualia sunt Hyspana, non Damascena, quia sunt austera, tamarindorum drach. ij. qui confricentur, & conterantur minute, & decoquantur iterum omnia, quo usq; remanent unc. vi. decoctionis, & facta expreßione dissoluetis mannæ unc. i. s. & habebitis medicinam benedictam.

Victus ratio.

NVTRIMENTVM uero eius sit aqua hordei semel, indicatione aut bis in die sumpta scd̃m consuetudinẽ, quã in tp̃e sanitatis habuerit. Ex quatuor rebus propositis in curatione, quæ sunt euacuatio, ratio uictus, localia, correctio accidentium, Diximus quomodo esset euacuandũ, & primo mißione sanguinis, et quomodo per medicinã. Erat secunda pars, quomodo ratio uictus esset adhibenda, & Rasis more suo proponit omnes sine ratione aliqua, & dicit nutrimentum sit aqua hordei. Præceptum certe ex methodo sumptum. Scire autem debetis, quod Arabes omnes cum uolunt ptisanam colatam exhibere seu cremorem ptisanæ, ita à Græcis dictum, ipsi dicunt aquã hordei & quandoque chist hordei in prima Fen. 4. canonis cum dicit septem diebus debere ægros, qui laborãt acuta febre, esse contentos aqua hordei, non credatis ipsum intelligere aquam proprie sicut Herculanus imaginatur. Et hæc sint dicta pro declaratione nominis. Vult igitur Rasis ut cremor hordei sit cibus, qui exhibeatur

Arabes quid intelligant per aquam hordei

Aqua hordei i. cremor hordei.

tur ſemel in die, aut bis ſecundum conſuetudinem eius, quam ſententiam accepit ab Hip. in primo Reg.acut.tex. 20.& primo Aph.17. Vbi qui bis in die cibari conſueuerunt, bis dare ptiſanam oportet, qui ſemel, ſemel quidem, & deinde ſenſim, paulatimq́;, & tandem bis exhibere eam, ut autem habeatis rationem huius, debetis ſcire cur in phrenitide exhibeatur ptiſana colata, debetis meminiſſe methodi, Gal.& Hip.in primo Reg.acut.comm.9. Vbi dicit ſcopus eſt, ut cogat alimentum exhiberi ægris propter cuſtodiam uirtutis, morbus enim ut morbus eſt nullum prorſus exigit cibum, ſed tantum diuerſa expoſtulat medicamenta, ſecundum morbi diuerſitatem, ideo nunquam ratione morbi eſſe exhibẽdum alimentum, quia tanquam cibi prohibitione contemplatur affectiones. A uirtute igitur ſumitur indicatio de exhibitione alimenti ob eius cuſtodiã, cum ergo uirtus, & morbus duo appetant oppoſita, ſi morbus erit talis, ut uideatur ex motu eius, & arte prognoſtica, quæ habetur ex lib. primo, de criſi, & ex lib.prognoſt.poſſe per criſim terminari ſine aliquo alimento prorſus regendi erunt, exempli gratia, ſi fuerit acutiſsimus morbus, qui in uigintiquatuor horis terminabitur, ut in Angina, ſi uidebitis morbum tam cito terminandum & uirtutem poſſe tollerare nihil prorſus dare debetis, & hic apparet tenuiſsima diæta, nihil.ſ.dare, quia morbus non appetit cibum, & uirtus fortis eſt ſi uero uidebitis morbum ulterius progreſſurum & in tali tempore non poſſe cuſtodiri uirtutem tantum exhibebitis, ut uirtus poſsit perdurare uſque ad ſtatũ, quia natura

quærit ſemper compendia, cum igitur cogamur indicatio ne ſumpta à uirtute alimentum dare, à morbo ut remedia, oportet talia alimenta quærere, ut uirtus custodiri poßit, & occurrere morbo, ideo ob iſtos ſcopos inuenerunt ptiſanam in morbis acutis, quæ omnes iſtos ſcopos habet. Eſt enim medicamentum quia abſtergit, aperit obſtructiones, & refrigerat, quoniam calidi ſunt, ut plurimum acuti morbi, licet ratione loci, ut Apoplexia, & Epilepſia ſint acuti, & frigidi, Quid igitur poteſt conuenientius imaginari, & habet etiam rationem nutrimenti, et alimēti, quia alit, Cū ergo quæramus cōpēdia ex natura, ideo ptiſana omnibus præſertim cibis præfertur, quia hac ſola plura facimus, ſicut natura quærit ſemper facere, ideo Raſis imitatus Hip. in phrenitide, quæ et ipſa nō ſeptimanā, ſed in quarta ut plurimū terminatur ptiſanā colatam exhibet, in morbo autem in 14. die terminaturo exhibere poteritis non colatam, & ita ſufficienter habetis declaratum & locum iſtum, & cauſam. dixit, bis uel ſemel, ſecundum naturam ægrotantis, & ſciatis indicatio nem ſumptam à conſuetudine multum referre, ut ſiquis quater in die ſolitus ſit comedere, non inconuenit, ſi in quatuor partes partiretur tota eius cibatio, ideo qui non habent rationem conſuetudinis aberrant ualde cum foſſoribus, & eis, qui ſolent porcinam, & bouinam carnem conficere, & multi comedere iubent, ut exhibeatur panatella, uel ptiſana, CAPUT autem ex oxyrodino infundendum eſt &c. Iſta eſt tertia pars in qua docet modum applicandi localia, & hoc competit in principio, cū phre=

phrenitis fit, non autem cum facta est, quia tunc non est curanda, sed cum fit reprimere, & repercutere debetis, ne inflammatio perfecta fiat, quia cum perfecta est, localia non amplius conueniunt, licet Moderni catulos recenter dissectos apponunt, & columbaceos pullos ad resoluendum, sed parum, aut nihil proficient, & hoc erit uobis documentum, ut sciatis inuenire tempus in acutis ægritudinibus localia applicandi. Nos diximus aliàs de oxyrodino, quomodo fiat, et quod debemus aliquando maiorem apponere portionem aceti, minorem olei Rosacei, aliquando maiorē olei, & minorem aceti, nec esse credēdum Herculano de illa sua subdupla proportione aceti, (ut diximus) acetum ponit ut faciat penetrationem, & ut exiccet humidum, siquid sit faciens cataphoram, & inclinationem ad somnum, si igitur in principio fuerint somni, habebit oxyrodinum tunc maiorem portionem aceti, quoniam inducet uigilias, cataphoræ enim occurrūt, si fuerit materia acris, & instantia uigiliarum, & caliditas maxima circa caput, maiorem habebit olei rosacei & minorem aceti, & sic fiet, Recipe olei rosacei, unc.iij. aceti, unc.i. si fuerit inclinatio ad somnum sine signis multæ caliditatis aceti habebit, unc.iij. olei rosacei, unc.i. & ita de medijs intelligatis, sicut de extremis, tempus exhibendi erit, cum inflammatio incipit, modum autem addiscatis, & rationem utendi, actu frigidum accipitis oxyrodinum, & pannos lineos infundetis tenues quidem, ne calefaciatis nimis, & applicabitis melius circa commissuram coronalem, melius enim esset, si ex alto guttatim caderet supra caput,

put, & facta corona ex pasta, ne decidat oleũ embrocare semper debetis, donec habeant refrigerationem, quam quærunt, & repercußionem, Efficatius igitur erit, si ab altiori loco descendat, si autem caput dolore insigni afficietur, & nimis sensibile esset, talis agitatio non esset facienda, quia si ex alto caderet, ex tali percußione magis affligeretur, quia dolor augeretur, ex consequenti inflammatio cresceret, ideo cum dolore capitis afficietur phreniticus, ex alto cadere non facietis localia aliquo pacto, iam igitur uidistis quid sit oxyrodinum, quomodo sit infundendum, quomodo conficiendum, & quomodo contemperanda sit illa duo acetum .s. & oleum, QVOD SI multæ affuerint uigiliæ sumatur uiolarum siccarum, corticum papaueris albi, hordei excoriati, seminum lactucæ, Mandragoræ an. Man. i. Ista est quarta pars, in qua docet quomodo accidentia sint corrigenda, quæ habent rationem causæ, & omnia symptomata curantur, cum habent rationem causæ 12. Therap. primo & ipsis tan quam causis occurrimus, possunt autem uigiliæ habere rationem causæ, quia exsiccant & calefaciunt, hæc autem sunt aduersißima phrenitidi, quia si uolumus curare eam oportet remouere impedimenta, ideo ubi uigilias uidebitis, omnino tollendæ erunt, & Rasis instrumenta dat, Notetis hæc est irrigatio ad remouendum symptoma uigiliarum à Rasi tradita sine ratione aliqua, & sine methodo quia empiricus est, sed quoniam uos estis dogmatici, debetis dare rationem, & artem, & principium huius meth. nascitur ex illo principio, contraria contrarijs cu-

4 quomodo accidentia corrigenda sint.

Hor valet ad tollendas vigilias.

curantur, & quia uigiliæ fiunt à calido & ſicco, ſicut ſomnus à frigido & humido, & quia uiolæ ſunt frigidæ in primo, ſiue in ſecundo ideo elegit eas, accipit ſecundo cortices papaueris albi, & hordeum excorticatum, quia non debemus ſolum habere indicationem eligendorum à ſymptomate, ſed à cauſa etiã faciente ſymptoma, & quia humor calidus eſt, qui inducit uigilias, oportet habere res maxime refrigerantes, ideo cortices papaueris albi frigidas, uſque ad tertium eligit, non ſolum ratione uigiliarum, ſed ratione cauſæ, hordeum frigidum eſt in primo, ſemen lactucæ frigidum, & humidum, in ſecũdo rad. Mandragoræ frigidæ ſunt, in quarto, & ſiccæ in ſecundo, baſis totius medicamenti eſt ipſa Mandragora, & totum fundatur ſuper ipſa, quia uult ſtupefacere & inducere ſomnum, quia adſunt uigiliæ à caliditate ſuperflua, & dolore, debemus ſtupefacere propter dolorem, & ſomnũ inducere, et quia ſicca eſt propter hoc Mãdragora uigilias facit. addit papauer album, quia habet aliquam conuenientiam cum natura, Mandragora autem niſi delibatoriam, ideo dicebat Auic. 4. primi. Et cum dolorem ſedare uolueris non tranſcendas tale quale eſt papauer album, quia cætera uenena ſunt. Nec fuit contentus ſolum cortices papaueris albi ponere, ſed alia familiaria magis naturæ accepit ſemen, ſcilicet lactucæ, & hordeũ, quod eſt alimentum, ut natura melius deducat ad actum medicamentum, ideo obſeruabitis ſemper cum dabitis medicinam alicui, ut exhibeatis cum eo familiare naturæ, & ſpiritibus, ut magis accipiatur aggregatum, ſicut facit

Hip.

Hip.cum exhibet elleborum admiſcet Siſelum, Fœnicu-
lum, Aniſum, Peplum, quæ habent familiaritatem cum na
tura ad recreandos ſpiritus, Ideo Medici cum uolunt ro-
borare ſtomachum, accipiunt micam panis, et eam ſuper-
aſſant igni, uino maluatico irrorant, & ponunt ſuper ip-
ſum Gariofilum, ciminum, & alia aromata, quia corrobo
rat, poma citonia corroborant ualidiſſime, quia familia-
ria ſunt naturæ. Et accepit uiolas ipſas ſiccas, non quod
recentes non ſint aptæ, & conuenientes, immo iocundio-
res ſunt, & humidiores, ſed ſiccas accepit, quia labilis eſt
flos, & non diu perdurat, & quia in æſtate maxime fit
phrenitis in quo tempore non reperitur flos ille, ideo ac-
cipit ſiccas, recentes tamen conuenirent magis quare au-
tem Raſis ponat uiolas in medicamento? quia indigemus
corroboratione ſpirituum, & ipſi frigidis odoratis re-
creantur, quia morbus calidus eſt, Ideo dicit Raſis:
QVAE OMNIA in curcuma plena aquæ tam diu co
quantur, donec aqua rubeſiat. Dat hic Raſis modum co-
quendi omnia, ſcilicet in magna curcuma, quæ uas quod-
dam eſt admodum ſtrictum habens orificium, & uentrem
ampliorem, quale eſt illud, quo utuntur iſti Barbitonſo-
res, & tamdiu coquantur donec aqua rubeſcat, & pona-
tur in uaſe, ex quo guttatim cadat, & percutiat caput &
ponat ſe cum uentre deorſum, & cadat aqua in alio uaſe
amplo recipiente eam, quæ iterum ponatur in uaſe, fiatq́;
ſicut prius factum eſt, quouſque refrigeratio fiat ſeruan-
do ea quæ diximus, ne exagitetur caput patientis. CA-
PVT præter ea ex oleo uiolaceo muliebri lacte admiſto
inun-

Curcuma
[illegible]

inungendum erit &c. Deinde, ne deficiant uobis remedia, quia caput non poteſt manere in eo ſitu, quia laborat multum, ut habeat quietem, & , ut non quieſcat à remedijs, uult, ut lacte admiſto cum oleo uiolaceo, quod humectat in ſecundo inungatur caput, lac etiam humectat cum modica caliditate, quæ tollitur ab humiditate olei, additur autem, quia natura melius actuat medicinam, quam habet familiarem ſibi, tum etiam, quia ſua ui emplaſtica obtundit uim bilis, propterea ex lentore ſuo adhæret, & non effugit, CVM autem æger à principio ſuæ ægritudinis in uirium multitudine permanere inuentus fuerit, phlebotomandus eſt, niſi ſupra ægrum timueris. Iſta pars eſt addita, nec eſt neceſſaria, fuit forte gloſa poſita in lib. & ab aliquo imprudente impreſſa. Præter ea diſcedit à proprio ſcopo, quia empirice procedit, Hic autem unam indicationem ponit, Raſis enim non poneret, ſi uirtus fuerit debilis, aut fortis, quia empirici indicationes omittunt, declarabo tamen partem hanc, ut ſequamur ordinem aliorum, & dicit id, quod à Gal. in .ij. Therap. habetur, ubi ait, cum uideris moriturum, ne mittas ſanguinẽ, poſtquam enim fuerit in declinatione, non eſt phlebotomandum, & in eo deſperata omnino ſalus eſt, non ſunt utenda remedia apud uulgus, & enim inflammantur remedia, quæ multis fuere ſaluti. Ideo inquit Raſis, ſi ſupra infirmum timueris, & uideas ipſum moriturum, ne mittas ſanguinem, poſtquam uero fuerit in declinatione non eſt phlebotomandus, quia tunc morbus eſt uictus à natura. QVOD ſi iam ſoluta uirtus eſt, ex alio præſerue-

tur

tur regimine, donec ualeat. Hoc respondet primo principio, sed accedatis ad alia remedia, & ita sunt facillime omnia exposita, ut habuistis rectam interpretationem huius cap. & hactenus satisfecimus communi uiæ interpretandi libros, sed quoniam iste textus, & series illa adeo breuis est, ac sine ratione operandi, & sine aliqua uia dogmatica & Gal. Ideo meth. mihi uisum est textum istũ declarare, quia si dimitterem rem istam nihil scietis circa praxim, nisi simul uiam, quas causas omnes, & species distingueremus, quam uiam docet Herculanus, Nicolus, & Auic. sed plurimum deficiunt, ideo nos supplebimus & primo audietis omnes distinctiones causarum, quæ possunt phrenitidem facere secundo signa, tertio indicationes quarto curandi rationem, sed primo habeatis modum, unde peccarunt Moderni, & notetis obsecro. Origo sui erroris fuit, quia non incipiunt ab origine, & loco, unde debent oriri diuisiones, ex quo duo oriuntur incommoda, primum cum scholares uideant distinctiones, & nesciant unde oriantur, oportet, ut tanquã ex legislatore accipiant eas, & tunc admodũ confusi redduntur, ex consequenti non addiscunt, secundum incommodum est cum non habeant Artem diuidendi, et Amthetodi sint in diuisionibus, errare coguntur, & Scholares inducunt in errores, & aliquando plus diuidunt q̃ sit opportunum, & omittunt diuisiones multoties necessarias, ut igitur uos habeatis certam methodum diuidendi uideatis unde incipiendum. Tota diuisio debet incipere à cognitione naturæ rei, quia si uultis rectè diuidere necesse est, ut cognoscatis definitionem,

nem, quæ est ipsa natura rei, & hoc uult Plato, qui docuit artem diuidendi, cum dixit, omnis nostra cognitio à definitione ortum habet, ideo superius rectè fecimus cum declarauimus quid per hoc nomen phrenitis importetur, & diximus nomen phrenitidis nihil aliud importare, nisi delirium perpetuum cum febre ex Hippocratis sentẽtia tertio Epid. iam hunc conceptum accipiatis, & quia diximus, phrenitis est delirium, uideamus quid sit delirium, & certe nihil aliud est delirium, nisi actio unius partis læsa principis animæ, quæ siue in cerebro, siue in corde sedem habeat, nunc non est necessarium scire, sed supponamus cum Gal. in cerebro domicilium habere, & quia diximus supra, & ratione approbauimus, quod locus affectus sunt membranæ cerebri iam habetis quod phrenitis est deliriũ perpetuum cum febre propter affectum aliquem existentem in membranis cerebri & uolo curare hoc delirium, Vnde debeo incipere? oportet uidere quæ sit ista actio læsa, & affectio, si debeam eam curare, & iam inuentus est unus gradus ascendendi, quia inuentum est me oportere scire affectionem, quæ existit in membranis cerebri, modo quomodo sciam? Gal. primo de definitionibus morb. docuit tria esse affectionum genera, uel mala complexio, uel mala compositio, uel solutio continui, si igitur mẽbrana afficitur uel mala complexione, uel mala compositione, uel solutione continui erit affecta membrana, sed uideamus an mala temperatura simplex poßit facere phrenitidem. Ostendo, quod non, quia mala temperatura fit multoties in cerebro, & fiunt deliria, non tamen sequitur

Delirium quid.

Tria sunt affectionum gnã.

Mala complexio simplex non facit phrenitidem

febris,ut in mania & in inſania facta eſt mala cerebri tẽ
peratura,non autem una tantum , ſed omnes inſaniæ ſpe=
cies à quacunque mala temperatura fiant ſine febre ſunt,
nos autem diximus phrenitidem eſſe delirium perpetuum
cum febre,igitur mala temperatura non limitat phreniti=
dem,ſed aliquid aliud,nunquid ſolutio continui ? minime,
& ideo eſt quia multas confuſiones uidemus fieri in cere=
bro,& uulnera,ſtatimq; ſequi delirium,nunq̃ tamen pro
pterea ſequitur febris ,niſi prius inflammatio accedat, id=
eo bene nouerunt Chyrurgi quomodo percuſſis membra
nis cerebri nunquàm ſecuta eſt phrenitis cum febre, niſi
prius fiat inflammatio,non ſufficit ergo ſolutio continui,
ut fiat phrenitis, cum igitur tria ſint affectionum gene=
ra, & duo inuenimus non poſſe phrenitidem facere, re=
manet quod tertium ſcilicet mala compoſitio ſit,Et ſi mala
compoſitio ſit adhuc quærendum eſt,an generans hoc con
ſiſtat in figura, quia talis ſit figuræ,& hoc non licet, quia
obſtructæ,& inflammatæ,ad quam ſubito ſequitur febris,
& ſic per ſufficientem diuiſionem uidiſtis non poſſe phre
nitidem fieri,niſi fuerit inflammatio in membranis,ad quã
ſtatim ſequitur febris propter comertium cum corde, igi
tur ubi aderit inflammatio in membranis aderit delirium
perpetuum cum febre,acquiſiuimus igitur ex tali diuiſio=
ne,quod phrenitis habet ſuam cauſam ideſt morbum mem
branarum ſcilicet inflammationem cerebri ad quam ſequi=
tur delirium perpetuum cum febre. Nos iam inuenimus
morbum,& eſt inflammatio , qui morbus eſt in compoſi=
tione,& in complexione ſimul , ſed quoniam cum ſcimus
gene=

Sed mala Compoſitio.

Phrenitis habet ſuam Cauſam i. Morbum q inflamatio q in Compoſitione et complexione ſimul conſiſtens.

generans morbi tantum, ſcimus id, quod ſciunt aſini, cum nondum ſcimus cauſas eius, & ſicut dicebat Galen. tertio Methodi cognitio morbi eſt ueluti carceres, ubi incipit curſus. ideo oportet inuenire naturam, & cauſam morbi, & in hoc ars conſiſtit, primo itaque dicemus, quæ ſit natura iſtius morbi quæ inflammatio membranarum cerebri eſt, & certe non debet ſumi, niſi à generali methodo cauſarum, quæ ſunt in duplici genere aliæ enim ſunt extrinſecæ aliæ intrinſecæ, omiſsis extrinſecis de intrinſecis loquemur nunc. Harum quædam ſunt immediatæ quædam mediatæ ideſt προηγούμεναι à Græcis, à Latinis antecedētes dictæ, Hoc habito oportet, ut accedamus, unde debeamus incipere, ſic facietis. Morbus iſte inflammatio eſt, & inflammatio eſt morbus materialis, ergo pendet ab aliqua materia, ſed adhuc oportet uidere, quæ materia ſit, quæ faciat inflammationem hanc quoniam eſt humor, & ſunt quatuor humores, qui habent formas proprias, pituita. ſ. bilis, melācholia, & ſanguis, ergo erit materia hæc altera horum humorum uideamus an prima poſsit facere, inflammationem hanc. Dico quod non, Et rationem diximus, quia natura membrorum, & ſubſtantia ſolidorum non poteſt inflammari ab humore craſſo ſicut pituita eſt, nec poteſt imbibi in membranis, ut faciat inflammationem, niſi ſit ſalſa, ſed tūc habet rationem bilis quarto Reg. Acut. Hippocr. ait, cum dicit fieri uel à bile, uel à ſalſa pituita. nunquid ſanguis. Nec etiam ſanguis poteſt eſſe intelligendo per ſanguinem craſſam illam, & corpulentam ſubſtātiam, quia pars corpulenta non poteſt imbibi in membra-

noſo membro, quia non habet meatus tam amplos ut poſſit recipere ſanguinem, nunquid melācholia? minime, quia & ipſa craſſa non poterit penetrare, Et ideo ob eandem cauſam omnes iſti humores non poſſunt facere inflammationem hanc ſi ergo nec ſanguis, nec pituita, nec melāchoлia poſſunt eſſe cauſa, ergo erit uel ſanguis ſubtilis, uel bilis propter ſubſtantiæ ſubtilitatem, & caliditatem quæ uias membranarum aperit: facile penetrant, & inflammationem de facili faciunt, habemus ergo uia diuiſionis, quod phrenitis eſt inflammatio membranarum cerebri facta à ſanguine tenui, bilioſo fluente ad membranas, & ita habetis cauſam proximam, ſed nunquid hæc diſſentiant ab Antiquis Hippoc. ſcilicet & Gal. uideamus, bene diſcedimus à Modernis, quoniam ipſi diſcedunt ab Hippoc. Gal. & Auer. ipſo. Gal. in fine quinti de cauſis accidentium inquit, quod phrenitis fit ab humore bilioſo tenui, & in primo Proreticorum cap. primo 23. commento in primo de criſi, ubi de criſi, quæ in phrenitide fit, loquens ait, quod terminatur per ſudorem, & ſanguinis fluxum, quia ab ichore prouenit, & in tertio de cauſis pulſuum dicit nihil aliud eſſe phrenitidem niſi inflammationem, quæ fit propter humores ſubtiles bilioſos, & calidos, Et ideo uobis dedimus per methodum, & diuiſionem ea, quæ docuit Hippoc. & Gal. in uniuerſali methodo. Et ad hoc deuenimus ut iam inuenerimus phrenitidem eſſe inflammationem mēbranarum cerebri factam ab humore acri bilioſo, & ſubtiliori parte ſanguinis.

Reſtat modo ut de cauſis antecedētibus dicamus, iſtæ

cau=

causæ possunt sumi uel secundũ formam generantis, quæ secundum formam generantis sumuntur ab intrinseco sumuntur, ideo oportet, ut consideremus, quod potest generare humorem facientem phrenitidem, & est uel temperatura, uel cali da tantum, uel calida & sicca, dummodo sit caliditas excedens, talis temperatura habens caliditatem excedentem sanguinem biliosum generat propterea secũdum formam generantis temperatura est causa, & occasio phrenitidis, præter ea uigens ætas adolescentiæ, quia in illa caliditas maxima dominatur, ratione cuius corpus disponitur ad generandum talem humorem accipiendo modo causam antecedentem secundum formam generãtis omnes humores sanguinem scilicet biliosum existentem in capite, uel in aliqua parte, uel in toto corpore, talis enim sanguis existens in toto formam causæ antecedentis habet, quia repit ad caput, uel sub formam sanguinis & humoris aut uaporis, & hoc in ardentibus febribus contingit, sæpe enim uidebitis, quod phrenitis sequetur ad febrẽ ardentem, & ex illa morietur æger, quia tales humores putrescunt in uenis, & ascendunt ad caput, uel sub forma uaporis, aut humoris, & causant phrenitidem, uel non est in toto corpore, sed in aliqua parte, & hoc sæpe contingit in pleuritide uel peripneumonia, rarißime tamen ex peripneumonia fit phrenitis, immo ferè nunquam, & ratio est, quia ut bene dicebat Galen. lib. de usupartium, humor faciens peripneumoniam uiscosus est adhærens, humor uero tenuis refugit in membro raro, & laxo, ideo non permutatur peripneumonia ad phrenitidem, quia nõ

eſt humor proportionatus phrenitidi, pleuritis autem p̄=
mutatur, quia pendet ab eadem materia, & ſufficit, ut mo
ueatur humor ab uno membro ad aliud, ſiue ab uno loco
ad alium, ideo ſæpiſsime fit ex pleuritide phrenitis, iſte eſt
modus cauſæ antecedentis, cum de toto membro ad aliud
permutatur cauſa ſcilicet antecedens, & iam duos habe=
tis modos, cum à toto, uel à parte fit permutatio cauſæ
antecedentis, uel huiuſmodi cauſa antecedens eſt in aliqua
parte capitis puta in muſculis exterioribus, aut in uenis,
& arterijs, uel quia ſuper calefactum eſt caput à uino a=
cri, uel calore ſolis, ex qua calefactione attractæ ſunt ma=
teriæ per uenas inde per membranas tranſierint, & fece
rint inflammationem. Iſti ſunt modi, Et ita habetis hacte=
nus, quæ ſint cauſæ proximæ phrenitidis, & eſt proprie
humor, de quo diximus non ſequendo Modernorum uul=
garium ſententias, qui credunt ex quo ab humore quouis
poteſt fieri inflammatio, poſſe hoc ad phrenitidem tranſ=
ferri, ſed res non ita ſe habet, ut oſtendimus, & ita habui
ſtis cauſam naturalem proximam antecedentem. cauſæ au
tem extrinſecæ ſunt ut conſtitutio anni calida, & ſicca, tē
pus anni calidum, & ſiccum, tales enim conſtitutiones fa=
ciunt phrenitidem, regio etiam calida & ſicca, præter ea
ratio uictus uigiliæ, cum, quemadmodum urgeāt triſtitiæ,
mæſtitiæ, iracundiæ ſciatis, quæ ſanguinem adurunt. Hæc
ſatis ſint dicta, quantum ad omnes cauſas tam intrinſecas,
quam extrinſecas phrenitidis. Super eſt modo, ut etiam
naturam morbi conſideremus, quia duo ſunt neceſſaria,
primo cauſas ſcire phrenitidem facientes, quia à cauſis ſu
mun=

muntur indicationes curatiuæ, cum adsunt, neque possumus causas curare nisi sciatis naturam morbi, secundo an per essentiam, uel per consensum. Vtrum primogenio sit, & nunquid sit uerus an assimiletur uero, an sit bonorum morum, uel malorum, an sit malignus, nec ne, hæc omnia sciri debent, circa igitur naturam morbi quod quædam phrenitides sunt per essentiam, & ueræ, quædam per consensum, & non ueræ, & quia phrenitis est inflammatio non potest esse uera phrenitis, nisi adsit inflammatio, quæ autem per consensum fit, dicitur paraphrenisis, et non est uera phrenitis, quia non adest inflammatio membranarum, dicuntur etiam quædam esse bonorum morum, quædam malorum, non quòd omnes non sint malæ, sed quia quædam sunt deteriores, quædam minus, quæ autem deteriores sunt à materia pessima dependent, ab humore scilicet tenui acri imo bile scilicet, quæ purulenta, & prassina appellatur, quæ est uenenum, quædam autem à simplici bile causantur, quæ facile curantur & hæc bonitas, uel malitia à materia sumitur. Ex parte etiam loci sumitur malitia, ubi enim extrinsecæ membranæ inflammātur, mitiores sunt, & benigniora habent accidentia, q̄ eæ, quæ in intrinsecis sunt, & occupant uentriculos & substantiam cerebri desperatæ sunt, quas in primo prorethicorum cōmento 23. appellauit Galen. hecticas phrenitides, & de hac Hippoc. in tertio Epid. in Tempestate tertia in quarto ægro, qui mortuus est phreniticus in tertia die locutus est, & affert omnia symptomata pessimæ huius per me nunc dictæ phrenitidis, & primo quod huiusmodi phre-

quædam phrenitis per essentiam

niticus sit factus propter humorem biliosum, uirulentum & prasinum, ex hoc ostendit, quia uomebat biliosa, uirulenta, quod uero etiam obsederit substantiam cerebri apparet, quia inquit, quod grauitatem percipiebat in capite, & collo, quia ut sciuistis in methodo uniuersali doloris, cum materia est in substantia cerebri facit dolorem grauatiuum, et quia non solum cerebrum, sed membrana erat affecta grauitatem percipiebat, quia occupata erat substantia cerebri. dolorem autem percipiebat ratione membranarum, ideo mortuus est in tertio die, quod admiratur Gal. in commento quia nunq̃ uidit phreniticum mortuum in tertio, sed bene in quarto uel septimo die, addit Gal. hoc factum fuisse ratione uirulentiæ, & quod phrenitis symptomatice secuta est, hic possem multa dicere, unum tamen non præteribo. statim enim aliquis dubitabit, si humor iste biliosus occupauit totam substantiam cerebri, & non inflammauit membranas, quæritur primo an faciet inflammationem in cerebro secundo, si faciet, cum in substãtia cerebri sit inflammatio, & non in membranis nunquid phreniticus appellabitur & si non, quo pacto uocabitur? Notetis ut iam diximus, quomodo ex fundamento Gal. tenuis humor & biliosus, & ichor effluunt, nec bene adhærent, ubi inueniunt membrum laxum, quãdo ergo humor ille biliosus occupat cerebrum cum tenuis ingreditur omnia foramina laxa ob mollitiem membri ita imbibitur, ut nullam faciat extensionem, & nullum tumorem, & cum neque extensionem, neque tumorem faciat non potest facere inflammationem loquor de humore tenui, ideo caute Galen.

in 23.

Dubitatio

in 23. commēto primi Proreth. dixit quod tenuis humor qui transit ad cerebrum, imbibitur in eo, tanq̃ lanis, quæ imbibuntur à coloribus, quia sunt admodum laxæ, non propterea intumescunt, ita facit cerebrum, quoniam in eo hæc materia imbibitur, sed dicetis quomodo imbibitur si alia noua fluit adhuc, nonne intumescet? Dico, si detur casus antequam tumor fiat, peribit, quia non pertranseunt taliter affecti tertiam, ut uidistis de quarto infirmo, idcirco nunquam deueniet ad talem terminum, & propterea dico satisfaciendo quæsito, quod non inflāmatur ab eo cerebrum, bene à bilioso inflāmatur sicut pulmo, quem ostendimus non posse ab humore tenui inflāmari, & tamē laxior est substantia cerebri, quàm pulmonis, quia habet maiorem continuitatē substantiæ, quàm cerebrum, quod autem inflammetur cerebrum ab humore pituitoso in lethargo apparet, quibus impingitur, & imbibitur in eius substantiam, & extendit eam & fit solutio continui, & uerus fit abscessus, uel apostema, & ita non solum ratione corporis membri, sed humoris inclusi in foraminibus, & flutuantis ex suo lentore extenditur cerebrum, & facit tumorem, imbibitur igitur humor in substantia cerebri, & facit maniam, uel cum mala temperatura afficitur, ut inquit Gal. in 5. de causis accidentium, & ita erit soluta dubitatio, quod non fiet inflammatio in substantia cerebri, & ex consequenti non fiet phrenitis neq; credatis, quod ego fuerim author, quod humor subtilis non poßit facere inflammationem in substantia cerebri, immo dicebant Antiqui multi à nullo humore posse inflammationē

Obiectio

in substantia cerebri fieri, & Auic. in isto cap. dixit, quod nonnulli Antiqui dicebant non posse in substantia cerebri fieri inflammationem, quia non potest cerebrum apostemari, cum sit membrum laxum, neq; poßit extendi, sicut nec ossa, contra quos arguit, quæ augentur, et nutriuntur extenduntur, quæ autem extenduntur possunt apostemari, sed cerebrum, ossa, dentes augentur, & nutriuntur, ergo extenduntur, ergo possunt apostemari, sed quomodo possunt dentes inflammari, & apostemari, & similiter quantum ualeant argumenta eius, nunc non est tempus agere de hac materia, Et hæc sint dicta de causis, & de tota natura phrenitidis, unum est animaduertendum phrenitidem esse morbum acutum, & terminari in quarta, & in septima, & in tertia. Tamen Hip. in 3. Epid. enumerat aliquot phreniticos, qui usque ad 20. diē uenerunt, & tandem mortui sunt, immo post illum qui mortuus est in tertia enumerat duos, quorum unus in 23. alter in 24. mortuus est, non uidetur ergo morbus iste ita acutus, si patiens perdurat usque ad talem terminum. Dico uobis ueram phrenitidem nunquam septimam pertransiuisse, et licet aliquando contingat, sicuti Comiti Portiæ euenit anno elapso, qui in 26. die phreniticus mortuus est, hoc fuit quia primo febre ardente correptus tandem permutata in phrenitidem eo tempore interijt, si tamen computetur tempus phrenitidis ueræ usque ad mortem, raro usque ad septimam perdurat, ita euenit illis, de quibus Hip. mentionem fecit, & declarauit Gal. in com. Ille autem qui in tertia die mortuus est, cum uera phreni

tide

tide clausit diem. Nunc uidenda sunt signa, quia per illa ægritudines cognoscimus, & cum non poßit curari, nisi cognoscamus eam, & per ipsa signa nobis se offerat, ideo de signis agendum est, non quod ipsa ad curationem faciant, sed ad cognitionem. circa quæ debetis esse etiam diligentes, & quia sunt signa ad morbos correlatiua & respiciunt eos, ideo tot erunt genera signorum, quot modis, & ipsi morbi, & quia morbus potest considerari uno modo cum futurus est, alio modo cum iam adest, tertio modo cum adest quidem, sed quid uelit facere cogitat an .s. interficere, uel saluare ualeat, ita etiam signorum tot erunt genera quæ ortum ducunt ab illis tribus modis consideratis, & ita quædam erunt signa portendentia futurum aduentum morbi, quædam indicantia præsentẽ, Tertio quæ indicant futurum euentum, scilicet an ad euentum felicem uel infelicem debeat terminare. Quantum ad signa portendentia futurum morbum, si exercebitis uos in lib. de tuen. sanit. ubi dantur præcepta, quibus præcaueatis morbum, antequam eueniat, habebitis modum cognoscendi, & curandi etiam futurum morbum, antequã eueniat, quomodo autem cognoscere debeatis præsentem morbum lib. de loc. aff. legetis, tertiam uero speciem signorum, quomodo debetis cognoscere futurum euentum dat nobis Gal. in lib. tribus de Crisibus, et in lib. prognost. ex quibus lib. habetis signa sufficientia, Instrumenta uero sunt lib. de urinis, & pulsibus, ita uos in uestro processu particulari debetis considerare omnia ista tria, Quare cum habetis lethalem ægritudinem non expectetis,

Signa

Vt triplex morbo considera-tio ita tripli-cia signa.

Portendentia

Instrumenta sunt pulsus et Vrinae

tis, ut accedat, sed tollatis eam antequam eueniat, sicuti cũ habetis inimicum, interficiatis ipsum, antequam cogitet interficere uos, ita cum uidetis morbum lethalem futurũ non permittetis, ut accedat, quia uos interficiet. In leui=bus autem ægritudinibus non curatis scire euentum, ut si fiat febris tertiana, in lethalibus autem sicut in phrenitide debent haberi signa portendentia futurum tanquam ne=cessarium, in leuibus bonum est scire. Discurramus ergo per signa portendentia futuram phrenitidem, secũdo per indicantia præsentem, tertio per portẽdentia felicem, uel infelicem euentum. Gal. & alij sunt magis solliciti in po=nendo signa portendentia futuram phrenitidem, quàm in alijs propter duas rationes, prima est, quia cum iam ac=ceßit, interficit. secundo quia non sunt quærenda multa signa, cum adest, quia ita clare cognoscitur, ut nullus in domo sit, qui non cognoscat, cum phrenitis est, ideo debe=mus in signis portendentibus exerceri, sed dicetis unde habebimus modum indagandi? Dico quod oriũtur ab in=trinseco, & extrinseco, sic alia signa ab intrinseco, quidẽ ab essentia primo morbi, & à loco affecto, ab extrinseco autem, hoc est ab his quæ exterius adueniunt, quæ ab in=trinseco sumuntur ab illis sex fontibus Gal. sumuntur ab actione læsa, ab exeuntibus mutatis, à proprijs acci=dentibus, à doloribus, à tumoribus præter naturam, à qualitatibus mutatis, ita uos accipietis omnia signa ab ali quo istorum fontium, qui sunt ueluti loca, unde sumuntur coniecturæ apud Medicos, sicut apud philosophos loca Topica, à quibus sumuntur sedes argumentorum. proce

da=

damus ergo per hanc eandem methodum, & initium sumamus à natura rei, sicut fecimus, cum incipiebamus indagare causas phrenitidis. exordium enim facit conceptus phrenitidis, ubi diximus, quod erat delirium perpetuum cum febre, delirium autem est actio læsa, & ab actione læsa uenati sumus, quod erat inflammatio cerebri, Cum autem inflãmatur cerebrum necessario in principio inflammationis multa sequuntur, quòd apparet in principio cũ suspicamur de uera phrenitide, tertio de locis affectis Gal. multa ponit signa, primo incipit circa caput caliditas maior, quàm esset antea, siue febricitent, siue non, siue in lecto fuerint, siue non, semper tamen ferè sunt in lecto cum febricula, cum igitur uidebitis habere caput maiorem suã caliditatem, quàm alia membra, debetis cauere de phrenitide futura, secundo post calefactionem in somnia turbulenta sequuntur, Rixantur in somnijs, & uidentur interfici, uel alios interficere, uigilant, quando ista tria simul iuncta sunt, timor est de phrenitide futura, sequitur præter ea, quod si habuerint sitim, cessat appetitus ille, & contingit, quia materiæ biliosæ, quæ erant circa partes uentriculi superius ascendunt, & derelinquunt loca illa, & quia sitis causatur ex præsentia calidi & sicci, & absentia frigidi & humidi, ideo cessat sitis febre remanente eadem, quia abest præsentia calidi & sicci in uentriculo, licet Rasis dicat ideo accidere, quia in principio alienãtur, ideo uidentur, quod non sitiant, sed hæc non est causa, quia si alienarentur, iam non esset à principio. Subsequitur dolor circa occipitium, & ibi grauitatẽ habent, et hoc procedit

Ab actione læsa

Excalefactio capitis.

Turbulenta somnia.

Vigiliæ

Cessatio sitis febre remanente.

Dolor occipitij.

cedit quia duo rami uenæ magnæ, quæ ramificatur in iugularibus partibus, ab ipsis retrorsum per uertebras retro ascendunt caput, & cũ figuntur in illis partibus interioribus percipitur dolor, & signum est ascensus multorum uaporum, Cum igitur aggregantur signa omnia hæc uel plura habetis maxima inditia futuræ phrenitidis, sed adhuc perseuerat, & percipitur grauitas capitis, & oculorum, quia iam membranæ accipiunt materiam inflammationis, & tunc caput percipit grauitatem, subsequitur etiam rubedo in facie, & oculis, & tunc est magis cauendum, & propter multitudinem materiæ lachrimantur altero oculorum, quia natura grauata exprimit humiditates, quibus abundat cerebrum per oculos, Vlterius apparere incipit primo imaginatio corrupta, & incipiunt loqui, cum prius non loquerentur, & non multum ad propositum, sicut nugaces irascuntur, & feroces fiunt, cum prius non essent, & quanto ferociores sunt, quàm fuerint in sanitate, tanto magis cauendum est. præter ea muscas uidentur habere ante oculos, quas uolunt capere manibus, flosculos colligunt in uestimentis suis, postea dicunt se non habere malum, & dicunt, quare non datis mihi uestimenta mea, quia non amplius sum ægrotus, sed non furiunt adhuc tamen habent initia furoris, subsequitur postea anhelitus amplus ualde, & rarus qui nascitur ex imaginatione corrupta, fit autem magnus ex obliuione, & ideo cur fiant obliuiosi est quia imaginatio est, ita annexa memoriæ, ut corrupta imaginatione, & memoria corrumpitur, ideo obliuiscuntur anhelare, &

quia

quia natura cogit anhelare, faciunt amplum anhelitum, pulſum uero, quia motus eſt naturæ, habent paruum & frequentem, & durum neceſſario, quia in membro neruo ſo eſt nocumentum. Subſequuntur præter ea urinæ lucidæ, & uulgares dicunt, æger conualeſcit, cum tamen morti ſe accingat, quia tota materia ad caput aſcendit, & Auic. dixit nullum ſaluari, cum talem faciunt urinam: Et hæc ſunt ſigna phrenitidis proxime accedentis. Vbi uero iam eſt facta incipiunt delirare, & oſtendunt pudenda, et Ego uidi pulcherrimas mulieres oſtendentes pudenda, Imaginantur quod bonum eſſet, ut morderent medicum, ut auferrent naſum, & Veronæ cognoui Ego hominē, qui uolebat mihi aurem auferre dentibus credens ſe ſanitatem conſecuturum, & petebat inſtanter uelle dicere uerbum in auriculam. Cum igitur iam inflammatio incipit, ſequuntur hæc ſigna præcipua, incipiunt delirare, & oſtendunt pudenda, oculi fiunt torpidi quia cerebrū incipit exſiccari, & tandem corrumpitur ſubſtantia cerebri, oculi fiunt concaui, tempora plana, quia muſculi omnes temporales exiccantur, & quia nō amplius illuſtrantur, fiunt torpidi, ſtrident dentibus, quia nerui compelluntur, ut proprium nocumentum expellant, conualeſcente adhuc magis remanent ore aperto, quia muſculi maxillares reſoluuntur, Ideo maxilla inferior, quæ mouetur, & clauditur ab ipſis, remanet aperta, & iam ſignum eſt, quod ægritudo confirmata eſt, neque credatis poſſe fieri inflammationem in molliori membrana, quin cerebrum non afficiatur, immo nunquam, quomodo autem efficiatur

mem-

Sphacelos quando fit

membrana ipsa, apparet ex ipso delirio, & si adhuc maior fiat exiccatio, & imbibatur in substantia cerebri sphacelos fit. Sed dicetis Gal. in 4. de prognosticatione ex pulsu uidetur dicere, quod quando substantia cerebri inflamatur, tunc fit sphacelos, & etiam ad extremum deuentum est, & hoc contingit, quia fit exiccatio substantiæ cerebri, cum inflammatione membranæ, & tunc ægri, qui prius permutabantur in lecto, iam incipiunt non amplius moueri, quia iam ita calefactum est, & exiccatum, ut non poßit proprias operationes facere, proprio calore priuatum, Et ideo decumbunt cõtrario modo, quàm solebãt, & ubi deberet esse caput, tenent pedes, iacent ore aperto in lecto, præter ea inualescente adhuc ægritudine non comedunt, non possunt claudere palpebras, quia ferè resoluti sunt nerui capitis, & corporis totius, ut uideantur esse medij inter cadauer, & corpus uiuum, & iam sudor diaphoreticus apparet, quia humores ex uirtutis debilitate ad extra exeuntes inuenientes extrema frigida frigescunt, præter ea frigescunt ægri, ac si tangeretis marmoreum quiddam, pulsus frequentißimi, & minimi ob uirtutes debilitatem sunt, & formicantes, & iam sacerdotibus sunt dimittendi, & hæc signa omnia à natura rei sumuntur tàm portendentia futuram phrenitidem, quàm indicantia præsentem tàm factam, & confirmatam, & proximam mortem, et ita triplex habuistis signorum genus. Signa autem à temporibus, ex his, quæ sunt dicta, poteritis per uos eligere, & hæc signa sunt, quæ ab intrinseco sumuntur, & morbos, & causas indicant, idest materiam

Signa pxima morti euā hā

Sudor diaphoreticus

in

in uniuersali, signa modo distinguentia causas in particulari uno uerbo expediam, & quia didicistis phrenitidem posse fieri à sanguine tenui bilioso, à bile, & aliquando à pituita salsa, & breuiter à tenui humore necessario causatur phrenitis, siue sit ichor, siue bilis, grauitas circa caput, & maior rubedo in oculis, & facie apparebit, præterea isti non habebunt uigilias simpliciter, sed ueluti comatodes idest somnolenti erunt propter sanguinis humiditatem, præter ea sæpißime præcedit febris, ad quam sequitur phrenitis, dico ex ichore sanguinis causata, quæ non erit causon, sed synocha, quæ fit à tenuiori parte sanguinis, quæ est media inter sanguinem & bilem præcedit ergo febris hæc, quæ proprie dicitur synochos ex putredine, si uero fuerit dominium bilis, quæ faciat inflammationem, non erit illa rubedo, sed ad citrinum tendet, non habebit illam grauitatem, sed maiorem dolorem, aderunt uigiliæ, præter ea in utraq; erunt signa præcedentia, & in tẽpore æstatis fiet ea, quæ à bile dependet, & præcedent omnia, quæ poßunt multiplicare bilẽ, à laboribus erit exercitatus, si uero otio decliuis fuerit, & his usus, quæ sanguinem multiplicare possunt, & in tempore proportionato, signa præcedent attestantia bilem, aut sanguinis dominium. Si à pituita fuerit salsa præcedet causon febris, quæ à pituita salsa dependet, quam Hipp. in quarto Reg. Acut. appellat febrem ardentem notham, aderunt etiam signa attestantia salsam pituitam, & temperatura, ac tempus, quæ faciunt ad ipsius generationem, signa uero quæ distinguunt, an sit per essentiam, uel per consensum ab

Synocha unde fiat

Causon unde fiat

Signa distinguentia an sit per essentiam an per consen: [illegible]

Per Conſen-ſum.

q fit ratio-ne diaphrag-matis.

utero, ueſica, aut neruoſo membro affectus exiſtens in illis partibus, ſed maxime quæ fit per conſenſum, eſt illa, quæ ſit ratione diaphragmatis, quæ ita exquiſita eſt, ut ferè non dignoſcatur ab ea, quæ eſt in cerebro, & Galen. in quinto de loc. aff. in cap. de diaphragmatis affectione ait nonnullos exiſtimaſſe eã, quæ fit uitio ſepti trãſuerſi, fuiſſe ueram phrenitidem, & inquit eam non eſſe ueram, quia non eſt omnino delirium perpetuum, ut potius nomine, ꝗ re ipſam diſtinguat à uera, quæ fit in cerebro, poſſumus nos dicere, ut ſaluemus dogma Gal. hoc eſſe propter maximum conſenſum cum cerebro, & quia cordi propinquum eſt, nimirum cum inflammatur febres facit maximas, & quia uapores in illa aſcendunt ad caput q̃ plurimi, ratione uaporum aſcendentium, & ratione membranæ, tum quia membra ſimilis ſubſtantiæ maximam habent conſpirationem inuicem, & ideo omnia panniculoſa membra maxime conſpirant, ideo ubi eſt inflammatio in membrana etiam membranæ arteriæ fiunt duriores propter conſenſum, quod non fit cum mollia membra inflammantur, poſſemus hæc dicere ut ſaluemus Gal. & ſi uolumus ſecundum Ariſt. dicere quod ſedes animæ ſit in corde, & ideo cum patitur diaphragma omnes animi paßiones affici, & licet ſit in corde, in aliis tamen partibus apparent operationes eius, & quod uideat per oculos, audiat per aures, & idem de interioribus ſenſibus dicemus, quod ſenſus communis, & imaginationes apparent in uentriculis cerebri tanq̃ inſtrumento proprio, & quod diſcurſus eſt in medio uentriculo, in parte poſteriori memoria, quæ

ſunt

sunt sedes, ubi apparent animæ operationes, & instrumē ta propria sunt affecta, nihilominus quia discrepantia est in hac materia inter Plat. & Aristot. & inter Galen. & Hippo. nolo me intromittere in hac difficultate, unum est, quod quando inflammatio est in capite ita fit phrenitis uera, ut non poßit secerni alio signo, nisi quod ita dolēt præcordia, ut non poßint tangi, & pulsus paruus, frequens, & inæqualis apparet, quia non potest diaphragma extē di, & dilatari, & quod non potest in magnitudine supplet in frequentia, est autem inæqualis, quia quandoq; magis, quandoque minus, quandoque citius, quandoque tardius mouetur, sicuti faciunt illi, qui maximo pondere grauati sunt, & coguntur aliquando cito gressu, aliquando tardo, quia minus grauate incedunt, & ita iam habetis omnia signa, quæ distinguunt phrenitidem incipientem in cō muni, item quæ ostendunt eam iam factam, item quæ ostendunt iam factam & lethalem, uel pernitiosam, didicistis præterea quæ signa ostendant differentiam causarum id est materias cum fiat à bile, à sanguinis ichore, & à salsa pituita, & quæ sit per essentiam, & quæ per communitatem, & hæc omnia ab intrinseco sumuntur. Quæ uero ab extrinseco ab ægro sciuntur, si cibis usus sit, quæ possint sanguinis multitudinem generare, bilem, uel pituitam, salsam, si fuerit in regione tali, & reliqua similia, Et hæc de signis dicta sint, iam igitur ex tribus cap. in omni cura necessarijs duobus satisfecimus de causis scilicet & signis, restat tertium caput de indicationibus à curatione ipsa, et quia omnia fuere dicta propter indicationes, ideo de ipsis

debemus principaliter agere, et sicut dedimus methodũ, unde sumãtur omnia signa, et causæ, tãto magis debemus tradere methodũ unde sumantur indicationes, sicut fecit Gal. qui αὐτονομαστικῶς librum in quo docet indicationes in quatuor libris distinctum composuit, & Therapeu. idest Methodũ appellauit, sed tantum composuit ubi notitiam, & methodum tradit signorum, & alios sex causarum et morborum, iam igitur separatis signis tanq̃ parum uel nihil conferentibus ad rectam curationẽ, sed tantum ad morborum cognitionem, indicationibusq́; causas contra apponentes in methodum indicationum procedamus, quas si distinctæ apponetis, distinctæ erunt indicationes, si confusæ confusæ erunt indicationes, loca igitur unde sumuntur indicationes, quot sint iam didicistis, quod sunt decem morbus, locus affectus, uirtus, temperatura, ætas regio, constitutio anni tempus anni, consuetudo, ars, & propria natura, & licet sint decem in tribus tamen uiget tota medici ars, in his scilicet quæ à morbo, à loco affecto, & à uirtute sumuntur, reliqua omnia annexa sunt, adiuuant modo indicationes, quæ sumuntur à morbo, modo à loco affecto, modo quæ à uirtute sumuntur, ideo de his tribus tantum loquemur, ut iam deueniamus ad naturam ægritudinum, & examinemus indicationes phrenitidis, suppositis uniuersalibus per hæc tria discurrendo, incipiamus à morbo ueluti à carceribus, unde sumit initium & principium cursus, uultis curere, & curare phrenitidem, considerare debetis naturam huius morbi, primo se offert uobis quoddam commune, quod est res præter naturam, er=

go debet reduci ad naturam & quia contraria contrarijs curantur, talis est indicatio, qualis est conceptus, conceptus autem est res præter naturam, debeo reducere rē hanc præter naturam ad id, quod est secundum naturam, & quia res ista præter naturam est in membranis cerebri & est inflammatio, & inflammatio nil aliud est, nisi tumor præternaturam à defluxu materiæ calidæ causatus ad aliquem locum, à conceptu isto scitis quid agendum sit, est tumor præter naturam, ergo remoueri debet, & quia est ab affluxu materiæ calidæ, sed ad huc alia sunt cōsideranda, iste est affluxus materiæ, uolo scire aliquid de isto affluxu, & de materia, quia licet dicas materiam esse calidam, nihil scio, quia adhuc sumus in quodam uniuersali, modo ista materia calida potest esse multipliciter, sed iā inuenimus per discursum, quod ista materia uel est ichor sanguinis uel bilis, uel pituita salsa, & quia dicis tria, tres etiam erunt indicationes, quia istæ tres sunt uariæ, & diuersæ materiæ, & diuersimode euacuandæ sunt, adhuc ne scio quid agendum, quia licet posit esse altera istarum materierum causa tumoris, tamen defluxus potest etiam considerari, uel prout deuenit iam ad terminum, & materia iam fluxa est, uel adhuc materia fluit, aliam indicationem affert materia iam fluxa, alia materia iam fluens, incipiamus à fluente, iam concepimus quod phrenitis est inflammatio ab affluxu materiæ calidæ, qui fluxus adhuc fit id est partim fluxa est, partim fluit, tunc duæ indicationes nascuntur primo quod euacues, & diuertas humorem extra corpus, qui defluit, & illum qui fluxurus est, sed ex loco

Phrenitis e[st] in-
flamatio Ergo
remouenda

Ma[teri]a e[st] uel ichor
sanguinis uel
bilis uel pitui-
ta salsa.
Ergo

Ma[teri]a e[st] partim
fluxa partim
fluens.

affecto & hoc diuersis eget instrumentis, accipiamus fluxũ materiæ fluentis supposito, qđ materia sit alter horũ trium humorum, quicunque sit quot indicationes habẽt? dico quod duas habet fluxus iste indicationes communes & duas proprias. Videamus quæ sint illæ communes indicationes, prima est, quod siue sit pituita salsa, siue bilis, siue ichor sanguinis potest uel affluere à toto corpore, uel à parte ad partem uel à capite tantum, hic sunt tres indicationes, si à toto corpore defluit, indicatio est, ut euacuetur à toto, & debet eligi locus, per quem euacuemus, & deducamus extra corpus, si ab una parte ad aliam defluet, non habemus tunc indicationem, ut euacuemus totum corpus, sed ut euacuemus tãtum illam partem ad quam fluit, & trahat illam uersus locum mandantem, exempli gratia cum ex pleuritide fit phrenitis fluit materia à membrana costarum ad membranas cerebri debemus indicatione sumpta à natura rei euacuare non à toto, sed trahere ad locum qui prius erat affectus, sed nõ ad inflammationem, sed reuocare debemus materiam ad partes thoracis cum scarificationibus rubificantibus sinapismis, frictionibus, & si uirtus concidet debetis per uenas, & diuertere, & euacuare, quæ ualent ad eas partes, & diuertere humorẽ ascendentem ad caput, & hoc indicatione sumpta à loco mandante, si uero fuerit in capite tantum, oportet uidere, quæ pars sit affecta, & ponamus, quod exterius sit causa, & ambulatio in sole, ut caput calefiat, ex qua calefactione materia attrahatur per uenas, deinde ad membranas transiuerit, debetis tunc curare caput, & euacuare omnibus

bus

bus aliis neglectis, ideo circa uerticem capitis uentosæ po
nentur ut à centro ad circunferentiam educatur materia,
& in ſpatulis, ſed caueatis ne applicetis uentoſas uertici
exiſtente in toto plenitudine, quia materia attraheretur
ad caput, & fieret phrenitis, ideo uel à capite, uel ad locũ
uicinum deriuabitis, & hæ ſunt indicationes communes,
eſt etiam alia cauſa, ex qua inflammatio hæc fit per deflu
xum materiæ, quæ mixta eſt cum ſanguine, quia per ue=
nas deuenit ad locũ, & indicatio eſt, ut euacuemus per ſan
guinis miſsionẽ, ſiue à pituita ſalſa, ſiue à bile, ſiue ab icho
re ſanguinis fiat, quia humor eſt ſanguini permixtus, &
ita habetis duas indicationes communes, quæ debentur ma
teriæ fluenti, duas alias particulares unicuique horum hu
morum habetis indicationes, prima eſt, quod licet permix=
tæ cum ſanguine ſint, & euacuari cum ſanguine debeant,
ſi fuerit ichor ſanguinis, tunc debemus facere ſanguinis
miſsionem copioſam, quãdoque etiam uſque ad ſyncopam,
quia multitudo ſanguinis adeſt, robur uirtutis, & morbi
magnitudo omnes iſtæ indicationes indicant copioſisſimã
ſanguinis miſsionem, ubi erit dominium bilis debemus eua
cuare, & ipſam per ſanguinis miſsionem, ſed non debe=
mus mittere ſanguinem in tanta copia, ſicut cum eſt domi
nium ſanguinis, ideo parcius eſt facienda, quia humor bi=
lioſus calidus, & ſiccus alienus ſpiritibus eſt, & mire po
teſt uirtutem proſternere, non tamen multo parcius, quia
ipſa non multum excedit à natura ſanguinis naturalis di
co, ſalſa etiam pituita indicat ut euacuetur per ſanguinis
misſionem, ſed adhuc parcius, quia maxime diſtat à natura

Propriæ du[illegible]

Regula in missione sanguinis.

ſanguinis, quia compoſita, ergo parciſſime debemus mittere ſanguinem, & hanc limitationem dat Gal. in quarto de Tuend. ſan. docens copioſam, & non copioſam faciendam phlebotomiam eſſe ſecundum quod magis, uel minus diſtant humores à natura ſanguinis, iſtæ ſunt indicationes modo propriæ ab humoribus ſumptæ, alia eſt propria, quod ubi fuerit ichor ſanguinis tantum ſufficit miſſio ſanguinis, ſi bilis oportet, ut euacuetur cum pharmaco, ut facit Raſis, ita etiam de pituita ſalſa debemus facere, ichor autem indicationes alias habet, quia non habet, aliud inſtrumentum ſicut pituita, & bilis, ex quo euacuetur, & iam habemus indicationes à materia fluente, & non egemus niſi remedijs, pro materia fluxa, indicatio eſt ut euacuetur, & quia eſt in loco, ut euacuetur indicat, ſed notetis unam diſtinctionem, cum materia fluxa eſt, poteſt duobus modis fluxa eſſe, aut eſt in uenis circum iacentibus, & paruis, uel in cauitatibus loci affecti, ut repleat locum, & comprimat & extendat, & faciat tumorẽ & ſolutionem continui, et dolorem, igitur ſi ita erit fluxa, ut fecerit abſceſſum, ideſt exituram ad extimas partes, & tumorem, differt ualde ſi materiam euacuemus primo modo, uel ſecundo fluxã primo modo non euacuamus à loco affecto, quia fruſtra euacuaremus, & locũ irritaremus, & plus attraheremus ad locum, & augeremus ægritudinem, & hic naſcuntur indicationes plurimæ, quia materiam exiſtentem in illis uenis, & arterijs, & cauitatibus non euacuabitis cum ſcarificantibus, & reſoluentibus, neque à longinquo diuerſiones facere debetis, quia conueniunt materiæ fluenti, ſed de

Mã duobus modis fluxã dicitur.

betis

betis eam deriuare, & trahere ad locum proximum, & uicinum facile etiam educemus, & euacuabimus eas, quæ ſunt in cauitatibus, ſicut facit Gal. in quarto de Tuen. ſan. quum ichores receſſerint ad paruas uenas, & per muſcu los diſperſi ſunt facientes ulceroſam laßitudinem, uult ut per uenas trahantur, & aliqui dicunt, quod ibi loquatur Gal. de ſanguine exanimato, quod non eſt dicendum, quo niam ſanguis exanimatus putreſcit ilico, ſed loquitur de ichoribus, qui poſſunt in uenis retrahi, deriuare ergo de= bemus, & potius cum repercutientibus procedere, et hæc eſt indicatio ſumpta à materia fluxa tantum, ſi uero iam fecerit abſceſſum non amplius deriuabitis, quia mate= riam putridam ſtatim traheretis intra uenas, quæ ad ſa niem tendit, tunc ſcarificare, uel reſoluere cum calidis de= betis.

Sed unam diuiſionem omiſimus admodum neceſſariam pro curatione, quando dicebamus à materia ſumi indica= tiones, uel fluente, uel fluxa, etiam ſub diuiſionem facere debebamus, & dicere, cum materia fluit uel fluxa eſt pec= cat dupliciter, uel ratione quantitatis, & ſubſtantiæ, uel ratione qualitatis, una indicatio à ſubſtantia, & mole ſu= mitur, & eſt, quod debet euacuari materia illa. alia à qua litate ſumitur, & hæc omiſſa erat, quæ indicat bilis calidi= tatem, & ſiccitatem reprimendam ſanguinis caliditatem, & humiditatem: ideo qualitates iſtas, quas imprimunt attendere debemus, ubi enim impreſſa eſt caliditas, & ſic= citas refrigerare debemus cum humidis, ſi caliditas & hu miditas refrigerare & exſiccare, ſi frigiditas & humidi=

P v tas

tas calefacere, & exiccare oportet, Ideo sine diuisione ista peccauissemus in curationibus, & indicationibus, ergo quæ sumũtur à morbo, à causis, & à temporibus morbi, quæ sunt quatuor, principium, augmentum, status, & declinatio, iam satisfecimus his, quæ sumuntur à morbo, à causis morbi, de his, quæ sumuntur à tempore agendum est, & inter tempora principium est illud, quod indicat, siue euacuare, siue alterare debeatis, & in principio occurrendum est, quod si fieri non potest secundum tempus est augmentum, status nequaquam, declinatio uero concedit, quia tunc materia existit concocta, & quod non facit natura forte ex pugna debilitata, medicus supplet, ideo sit uobis pro regula, si potestis in principio occurratis, & hoc à natura rei sumitur, cum enim sit morbus, rem præter naturam ilico propellatis, tria ergo sunt tempora commoda, & unum commodissimum, idest principiũ, secundo & declinatio melius tamen est in principio, quia non producetur morbus, Augmentum est tertium minus tamen commodum, maxime uersus statum, sic sunt faciendæ curationes, secundum rationem operandi, contingit autem, ut duo sint impedimenta, quæ impediant rectam operationem, uiæ scilicet cum sint impeditæ, quia corpora cum quis purgare uoluerit, oportet fluida facere, Et humores ipsi cum sunt crudi, idest non separati à bono, ideo oportet primo concoquere eos intelligendo per concoctionem, separationem, & præparationem quia concocta medicari, atque mouere &c. præparantur autem cũ sunt tenues, & acres, & obtunduntur, cum sint nimis

crassi,

craßi, ut incidantur, aut nimis uiſcidi, ut abſtergantur, Quando igitur eſt huiuſmodi cruditas, & uiæ ſunt paratæ ad exitum, oportet concoquere, & præparare, & quia materiæ calidæ ſunt, & percipitur motus, longe facilius concoquentur, & extrahētur, quia ſubtiliores ſunt, & uiæ ratione caliditatis ſunt apertæ, Ideo natura prouidet, quod cum materiæ craſſæ ſunt longius protendantur ægritudines, ut det inducias ad præparandum, ſed quia ut plurimum materiæ calidæ ſunt commixtæ ſanguini, ideo facillime per ſanguinis mißionem euacuantur, dummodo uenæ meſeraicæ careant humoribus crudis, ſi uero contingat, ut ex una parte ſit cruditas humoris, & inter initia ſæua ſint accidentia, quia extremis morbis extrema remedia conueniunt, & cum morbi inchoant, ſiquid mouendum uidetur, moue, & in acutis non niſi in principio debemus euacuare, Materiæ tamen crudæ obſtant, quid agendum? Dico, quod ubi ſunt humores crudi cum ſæuis accidentibus inter initia debetis comparare moram cruditati, & uidere an ita ualeat æger, ut non poßit fieri præparatio, quia accidentia ſunt ſæua admodum, tunc materia exiſtente cruda & mobili debetis euacuare licet non ſit præparata, & hæc cura coacta à Modernis appellatur. A natura igitur morbi triplex ſumitur indicatio, ſicut triplex eſt natura eius, aut enim eſt per eſſentiam, aut per conſenſum, ſecunda eſt ſicut de phrenitide diximus, quod alia eſt uera, alia non uera, uera inflammatio membranarum cerebri, ab humore tenui, acri, ſiue ſit ichor ſanguinis, ſiue bilis, ſiue pituita ſalſa, non uera ſumi-

Quid agendum Materia cruda obſtat

Cura coacta

mitur ratione loci, & causæ materialis facientis, ratione loci quoniam non est in ea membrana, sed in alia parte inflammatio, ut si in substantia cerebri fuerit, non erit uera, quia non est in loco, ubi fit exquisita phrenitis, ratione autem materiæ, cum humor non est tenuis sed crassus, & his duobus distinguitur uera à non uera, quæ fit à sanguine crasso, & pituitoso, & media est inter lethargum, & phrenitidem, ideo fiunt inclinati ad somnum, in uera autem fiunt uigiliæ, & illud est, quia inflammatur substantia cerebri, & hoc dixit Gal. 4. de prognosticatione ex pulsibus, ubi ait, quod humor tenuis est subtilior quàm poßit attollere substantiam mollem, & laxam, ut est cerebrum, ideo non potest inflammari, sed membranæ eius inflammantur, Quando modo est sanguis aliquis crassus potest quidem inflammare uera inflammatione cerebri, substantiam, quia ratione suæ corpulentiæ potest attollere substantiam cerebri, & hæc diximus propter apparentes authoritates, si fuerit igitur humor tenuis, & subtilis inflammabit uera inflammatione membranas & affliget substantiam cerebri, quia non potest fieri pacto aliquo, ut afficiantur membranæ cerebri, quin etiam afficiatur eius substantia, sed membranæ afficiuntur, quia inflãmantur, substantia uero cerebri, quia humor ille tenuis imbibitur in substantia eius, sed non potest attolli in tumorem, & propterea licet sit humor ille tenuis, utrobique inflammat membranas, & non cerebrum, Contra est cum crassus inflammat quidem substantiam cerebri, & non membranas, quia ratione craßitiei non potest pene-

tra-

trare membranas, afficiuntur tamen, ſed ſecundario, & quando dixit Gal. in ſecundo de cauſis ſymp. in fine phre nitis inflammat & ſubſtantiam cerebri, & meningas, alij ex hac authoritate confuſi fiunt, cum dixit, ibi copula= tiue poſſe in utroque eſſe loquitur in eo loco Gal. in plu= rali, ut ueras, & non ueras comprehenderet, quæ fiunt cum ſomno, et in ſubſtantia cerebri, uera autem in menin gis, & in hac inflammatione membranæ ab humore te= nui, in non uera uero inflammatur ſubſtantia cerebri, à materia craſſa, iſtæ ſunt duæ indicationes, quæ ſumuntur à natura morbi, quando ſcilicet cognoſcimus, quando ſit uera phrenitis, & non uera, ſi erit uera unomodo occur remus, ſi non, alio, ſi materia fuerit ſanguis craſſus faciēs non ueram phrenitidem, erit intentio circa euacuationem per miſsionem ſanguinis, ſi à pituita ad phlebotomiam primo, ſecundo ad pharmatiam, & tunc magis tendit ad naturam lethargi, tertium genus indicationis à natura morbi eſt, ut malitiam, uel conſuetudinem (ut ita dicamus) conſideremus, & licet omnis phrenitis ſit lethalis, aliquæ tamen habent ſpatium, & minus lethales ſunt, iſtæ indica tiones faciunt Medicos cautos, quando uident lethalem morbum, non exhibent medicinas, ne calumnientur reme dia, ſicut dicebat Gal. ij. Meth. Cum uero non fuerit ita le thalis & deſperata cum proteſtatione procedent, & ita fiunt immunes ab infamia. Si uero ſalubres ſunt, audacter occurrent, Et ſalutem prognoſticabunt, Et ita habetis in= dicationes, quæ à morbo, à cauſis, à temporibus ſumun= tur, atque etiam à natura morbi. Secundus locus indica= tio=

Obiectio
Nota

tionis erat à loco affecto, & iste locus summe necessarius est, ideo considerare debetis, an membrum affectum sit substantiæ carneæ, an neruosæ, an laxæ, an duræ, & si solidæ sit substantiæ, quas operationes habeat, an necessarias uitæ, an utiles, an ad excrementorum superfluitates excernendas, an sit nobile, an habeat communicantiam cũ nobilibus, cuius sensibilitatis, an sedeat in profundo, uel emineat, an habeat uias uel sit tale, quod poßit recipere sanitatem, nec ne, Ideo si uidemus membranas cerebri, scimus substantiam habere admodum sensibilem, & in profundo, & simul ex eius affectu substantiam cerebri affici scimus, tunc medicamenta localia debere esse subtilißimæ substantiæ, quia loca intermedia dura sunt, et membrana etiam solidum membrum est, ex hoc scimus medicamentũ illud non esse debere mordax, quia ualde sensibile, et membrum ualde nobile est, ut si augeatur dolor, periculũ est, ne pereat dolore illo homo, & ex affinitate, quam habet cum substantia, corroborare spiritus debemus, et cauere ab infrigidantibus multum, propterea cum ibi fiant operationes tam nobiles, et spiritibus pluribus indigeant, et continua generatione spirituum, non debemus delibatoria exhibere, sed odorata quæ habent familiaritatem cum natura, sicut Rasis aduertit in locali pro phrenitide, cum hordeum miscuit propter familiaritatem, quam habet cũ natura, quia alimentum est pro confortatione spirituum. Præterea quò ad situm ductuum, et uenarum, quando uultis eligere uenas, et foramina, uel per nares, aut per os educere, nisi sciatis communionem uenarum brachij cum

alijs

alijs, et cum loco affecto, nescietis, an per aures, an per oculos euacuare debeatis materiam existentem in capite, nisi ductus commodiores scietis, Indicationes uero, quæ à uirtute sumuntur, quando nullæ sunt, neque considerantur, quandoque penitus ad ipsum attendēdum est, aliquando medio modo, ut si opus sit unum oculum habere ad uirtutem, alium ad morbum, aliquando duos oculos ad uirtutem, quandoque duos ad morbum, & hoc ideo est, quia uirtus sui tantum custodiam indicat, morbus uero, ut tollatur, hæc duo sunt opposita, nec possunt conciliari, morbus non uult conseruationem uirtutis, uirtus non nisi suū commodum indicat, Cum ergo ualida est uirtus, ut poßit tollerare, & permanere sine alimento, debetis negligere naturam, quia nutrire, & morbum tollere sunt contraria, & totam aciem ad morbum dirigere, si uero natura penitus deficiat, & sit necesse recreare eam, uertere debetis ambos oculos ad naturam, quia non tolletis morbum, nisi natura adiuuabit, quia ipsa operatrix est, Medicus uero minister, sicut docet Gal. in. 12. Meth. in syncope ex dolore, in quo casu nutrit in principio acceßionis neglecto prorsus morbo, quanquam medio modo se habet, ut nec morbus ita sæuus sit, nec uirtus ita debilis est, ut opus sit, quod unum oculum habeatis ad uirtutem, alium ad morbum, ideo oportet uidere, an morbus erit breuißimus an breuior, an longior, Si breuißimus sit, ut in quatuor diebus terminaturus, indigemus corpus regere uictu tenuißimo, & nihil prorsus dare. Si uero imbecillis fuerit uirtus, & assuetus æger multum comedere in regione ca

lida

A Virtute

Annexa sunt septem

Casus.

lida oportet parce quidem nutrire, quia breuior est morbus, si longior erit, tantum cibi indulgendum est, quantũ morbus erit longior, uel breuior, De qua re in primo Aph. ab Hip. habuistis, Et istæ sunt indicationes sumptæ à uirtute, Deficiunt alia septem quæ ita sunt annexa, ut facile cognosci poßint, quæ coadiuuant, si habetis exẽpli gratia morbum calidum & siccum, in regione calida & sicca, debetis considerare morbum acriorem esse. Si uero hæc omnia fuerint contraria, minus, quia tunc habebunt rationem remediorum. His igitur indicationibus ita sumptis, & facto iam fundamento proponamus curationem breuem in Socrate, qui sit ætatis triginta annorum, præsupponatis quod illi, qui phrenitici efficiuntur, non fiunt incipiendo, ut nunc sit sanus, & incidat in phrenitidem, sed fit ex alijs ægritudinibus, maxime ex febribus acutis, abscessuq; in uiscere aliquo, ex uulnere, & maxime capitis, & cum caput musculi in crure uulneratum sit ex consensu cerebri fit phrenitis, & moriuntur aliquando in quatuor horis propter inflammationem, & musculum uulneratum pedis, etiam propter inflammationem hepatis, uteri, uesicæ, pleuræ succingentis costas, siue igitur ægrotet febre acuta, uel alia inflammatione uisceris & febris sit exempli gratia sinocha, quam isti conclusam appellant, quam dicunt fieri à sanguine absolute, Nos autem non absolute, sed à tenuiori parte sanguinis quæ ichor dicitur, & fit in tempore æstatis, in ea uisitatione ui debitis habere oculos toruidos, & non ita placidos, ut prius, tangetis caput, & maiorem caliditatem percipietis

tis quàm alibi, statim percunctamini hominem, an dormierit nocte, dicet quidem dormiuisse sed agitatum multum, circa faciem rubedo apparebit, & dicet iste percipere maiorem grauitatem capitis, pulsus durior erit factus, quàm heri, Vrinæ tenuiores sunt, quàm prius, tunc, cum hæc uidebitis incipit phrenitis fieri, & uos tunc occurretis, & suos aduocabitis, & prædicetis futuram phrenitidem, deinde considerabitis omnes indicationes, quæ indicant morbum, & quis sit locus affectus, & suas indicationes præ oculis habebitis, considerabitis præterea, quod morbus sit, & humor eum faciens calidus est, si accesserint alia accidentia, puta si erit procliuior ad somnum, & percipiat æger maiorem grauitatem, quàm dolorem, & præcesserit synocha, in qua plus est de sanguine arguit, quod hæc non sit uera phrenitis, sed à sanguine facta, & somnolentia, habetis ergo duo essentiam phrenitidis, quod scilicet sit futura, secunda quod causa est sanguinea materia, scitis præterea, quod caput patitur, si autem uultis uidere, an membranæ inflammentur, pulsum considerate, si durus apparebit, inflammabuntur, & delirium perpetuũ magis erit, habebitis præter ea tempus operandi, quod est principium, habetis etiam quod materia parum fluit, & quod est fluxura magis, quia nondum facta est, ex indicationibus quid agendum apparet, quia materia fluxura debet intercipi, & quæ fluxa est euacuari, indicatione autẽ à qualitate materiæ, quia calefacit, indicat, ut refrigeretur & corroboretur locus, & hæc sumuntur à qualitate materiæ, & ab eius substantia & mole, à tempore in princi-

Duo principaliter agenda. Materia euacuanda

Locus corro-
borandus.

pio, & quia morbus est per consensum & non uera phre nitis, quia non tendit ad furorem, sed ad somnolentiam, quãdo dirigetis intẽtiorem uestram, ut accedatis ad opus, duo principaliter erunt agenda materiam euacuare, & locum corroborare, sed prius debetis scire, quot sint instrumenta, quibus indigetis ad id operandum, quæ tria sunt, primum est ratio uictus secundum medicamentum tertiũ fit per manus, & opere chyrurgico, in casu modo tribus indigetis primo instituere rationem uictus debetis, & indicationes uestras habebitis ante oculos, & quia dictum est materiam peccantem esse calidam multum, quo ad caliditatem indicat ut refrigeretis, quo ad materiam, ut pariũ nutriatis, primo ergo refrigerare debetis, secundo instituere rationem uictus, Et quia ratio uictus in sex rebus consistit non naturalibus, omnia rectè administrabitis, & de aere prouidendum est primo, ut non iaceat æger in cubiculo nimis calido, neque in aere fætido, nec nimis frigido & humido sed prouidere, ut aer sit frigidus & euentatus, et humidus non putridus, sicut subterraneus, nec fætidus, sed odoratus ex rebus odoratis frigidis cum floribus nenufaris, uiolarum, & rosarum dilutis cum aqua rosacea, & aceto maxime ubi sanguis dominetur cum sandalis, hoc facto prouidebitur ut non sit nimis obscurus, nec nimis clarus, quia nimis uagabuntur spiritus.

Instrumenta
tria.

DE

DE APOPLEXIA
CAP. IIII.



Vale fuerit consilium Rasis, credo fuisse uobis notum, fuit enim eius consilium in hac prima parte, ut ageret de omnibus capitis ægritudinibus, & quia in capite nobilior pars est cerebrum, de ægritudinibus eius egit, & quia ægritudines omnes lædunt operationes, ratione cuius læsionis ægritudines dicũtur, ideo ut à notioribus inciperet, de actionibus læsis cerebri egit, & quia principales eius operationes sunt sensus, & motus, & de his egit, & compositiuum seruans ordinem à notioribus inchoando, & cum sensus tactus sit notior ab actionibus læsis sensus tactus incæpit, & quia dupliciter læduntur uno modo diminute, & ablatæ, alio modo corruptæ, de actionibus læsis sensus tactus corrupte egit, qui est dolor, & ideo primum cap. fuit de dolore capitis, secundo de corruptione sensus interioris, & cap. fecit de uertigine, in qua præcipue imaginatiua læditur, tertio de læsione aliorum sensuum interiorum, ut in cap. de phrenitide fecit, nunc uult agere de læsis actionibus interioribus cerebri diminute, uel ablate, & cap. de Apoplexia facit, circa quod primo uidendum est quid nominis, pro cuius intellectione debetis scire hoc nomen fuisse inditum ab ipsa rudi Antiquitate, quoniam uaria induntur nomina morbis, tum à similitudine alicuius rei, ut cancer, & elephas, tum à loco, ut pleuritis, ut ex Gal. secundo Methodi habetis. Ista fuit occasio sumendi nomina, idcirco

Antiqui uidentes tales incidere ſine ſenſu, & motu, Apoplecticos appellarunt, quaſi à fulmine percuſſos, quoniã credebant tales hominibus morbos à Deo uenire, quia tã ingens ſymptoma non credebant oriri niſi à malo Deo, et ita ab huiuſmodi ſymptomate nomen ſumebant, ſuccedentes poſtea medici cauſas inueſtigarunt, nomen autem adhuc remanſit. Gaza autem Latinæ linguæ ſtudens modo ſtupidos, modo attonitos appellat huiuſmodi affectos, & male, quia ſi conſiderabitis Apoplecticos, uidebitis, qđ attoniti non poſſunt appellari, immo attoniti potius dicuntur ſtupidi. Quantum uero ad rem ipſam pertinet, prius deſcribemus, quid per Apoplexiam intelligamus, Dicimus hoc ſymptoma eſſe cum homo cadit ſubito in terram priuatus omni ſenſu, & motu, excepto motu facto à muſculis thoracis, ſi enim non moueretur thorax à muſculis, iã mortuus eſſet homo & ueluti cadauer eſſe, & de eo non eſt curandum, ideo cum uidemus hominem priuatum omni ſenſu, & motu, dicendum eſt cauſam eſſe in principio omnium ſenſuum, & motuum, quod eſt cerebrum, ideo oportet dicere, quod principium læſionis eſt in cerebro & ita Apoplexia erit actio læſa uirtutum exiſtentium in cerebro unde fit ſenſus & motus, ſed quoniam huiuſmodi læſio poteſt dupliciter fieri, ſic duo ſunt, quæ impedient tales operationes, aut in ſpiritibus, & calore innato erit læſio, quæ ſunt duo admodum neceſſaria in omnibus partibns corporis, ut operationes animæ fiant, & ſenſus & motus, immo etiam uitales operationes his duobus indigent, nec non naturales. Vbicunque igitur ſpiritus anima

les

les existentes in singulis partibus corporis elidantur aliquo modo, uel suffocentur, uel extinguantur, homo potest concidere, & subito mori, alio modo dicuntur Apoplectici, quando non attenditur suffocatio spirituum, sed cum in cerebro impeditur uirtus, ut non poßit libere transire ad alias partes illa enim uirtus animæ diffunditur per singulas partes, nec oportet quærere, an continui spiritus necessarij sint, uel uirtus tantum sit illa, quæ illustret stantibus spiritibus in partibus corporis, sicut facit lumen solis, in qua re non sibi Gal. constat tamen in secundo & octauo de Placitis uidetur declinare in eam partẽ, quod uirtus sit illa quæ illustret, de ea igitur primo agamus, quæ fit ex suffocatione caloris innati, & spirituum, hæc dupliciter fieri potest, uno modo cum per omnes corporis partes ita suffocatur calor, & spiritus, ut non poßit euentari, ita quod subito suffocantur, & hæc improprie potius Apoplexia appellatur, immo potius media est inter syncopam, & Apoplexiam, de qua Hippocr. primo Aphor. illo, Habitus exercitatorum &c. Aliud est genus huiusmodi fastigij cum non omnes partium spiritus corporis & calor innatus suffocantur, sed qui sunt in partibus cerebri propter ascensum multitudinis sanguinis calidioris, & feruentioris, & confestim ita inuadit cerebrum et elidit, ut suffocet spiritus existentes in uentriculis eius ascendentis dico per uenas & arterias Apoplecticas, quas carotidas appellant, & hoc secundum genus appropinquat magis ad naturam Apoplexiæ, & de hac intelligit Gal. in libello de phlebotomia circa principium, ubi di

Apoplexia ex suffocatione caloris innati et spirituum fit bifariam

cit quod Apoplectici fiunt, cum sanguis confestim ascē=dit ad cerebrum, & uentriculos eius, & de hac Rasis in isto cap. in prima parte intellexit. Aliud genus est quod magis dicitur Apoplexia cum impeditur animalis uirtus, ne descendat ad inferiores partes corporis, & de hac loquitur Gal. secundo Aph. 42. de hac tertio de locis aff. septimo & octauo & de accidenti & morbo in fine loquitur, quæcunq; autem sit de omnibus his generibus semper uno nomine inter frigidas ægritudines enumeratur, & licet primum genus à sanguinis dominio proueniat, semper frigida est ægritudo, quia fit ex suffocatione spirituū, & caloris innati à massa sanguinis & hanc Arist. primo Probl. nono ita recte definit, ut melius non poßit definiri cum dixit, cum humidum subito, & confestim concidit, & nō addidit in quem locum, nec in codice Græco est, nec in Latino, licet conciliator addiderit in corpus, tunc propter multitudinem condensatur, & coalescit, & fit Apoplexia, dicitur autem congelari impropriè, quia impeditur quo minus euentari poßit, Et ista erant dicenda de generibus Apoplexiæ. Nūc est uidendum, ex quo quid sit iam uidimus, & quotuplex in qua parte cerebri diximus, uel in uentriculis, uel in substantia cerebri esse, rarius in substantia, frequentius in uentriculis, sed dicetis quod nam genus morbi appellatur, est ne in solutione continui, uel mala complexione, aut mala compositione. Si consideramus primum genus per collisionem spirituum factum, erit in compositione. Est enim coarctatio sanguinis in uenis ægritudo facta ueluti à multitudine, ut nō pos-

sit

fit calor naturalis tranſpirare, & difflare, ex qua prohibita tranſpiratione fit ſtrangulatio caloris innati, ſi conſideramus ſecundum genus proprie dictum, quod fit propter obſtructionem uentriculorum cerebri in compoſitione eſt, & in uijs ideſt uenis, ſi uero, licet rarò fiat, fit ex diſpoſitione à tumore ſimili inflammationi, morbus cōpoſitus eſt in complexione, & compoſitione, in complexione quidem, quia refrigeſcit ſubſtantia cerebri, in compoſitione autē, quia tumor adeſt, de qua Gal. ſecundo Aphor. 42. Et ita habetis quotuplex ſit Apoplexiæ genus in quo loco & quod genus morbi, oportet ergo uidere cauſas an à materia pendeat, uel non habeat materiam, dico, quod pendet à materia, quodcunque genus conſideretur, ſi de eo, quod ex colliſione ſpirituum prouenit, loqui uolumus, ex redundantia materiæ ſuffocantis calorem innatum uidemus prouenire, ſi de eo, quod ex obſtructione uentriculorum, materia eſt quæ obſtruit, ſi de ea Apoplexia, quæ fit ex mala uentriculorum temperatura, quia uult Gal. omnem Apoplexiam fieri ſubito, nō poteſt dici, quod immaterialis ſit, & ratio eſt manifeſta, quia mala temperatura non poteſt fieri niſi in tempore, & nō ſubito, ergo poteſt dici quod eſt materia, quæ præcipitatur ad locum ergo morbus materialis. A qua materia uero oportet primo conſiderare, à quibus cauſis ſingulum genus poteſt prouenire, & incipiamus à primo genere, quod eſt colliſio ſpirituum, illud habet ſicut reliqua omnia cauſas intrinſecas & extrinſecas, conſideremus primo intrinſecas ſecundo extrinſecas, intrinſecarum autem

quædam sunt proximæ symptomati, quædam remotæ per proximas coniunctas intelligimus morbo, ut diximus in methodo nostra uniuersali, causa proxima huius primi generis est ipsa prohibitio transpirationis, & euentationis caloris innati, & spirituum, causa uero remota à Græcis προηγουμένη *appellatur, à nostris antecedens, & est humoris redundantia existentis in uenis, & arterijs illa facit prohibitionem euentationis, & hæ sunt causæ proximæ & coniunctæ à Gal. sic ab Arabibus positæ, ut uobis aliàs ostendam, extrinsecæ sunt omnes illæ, quæ possunt facere subitam redundantiam, sicut crapula, ebrietas, nimia repletio, quia suffocatur calor, & spiritus illiduntur, sicut contingit alijs à causa intrinseca ex nimia humoris redundantia suffocantis calorem, & spiritus. Quo ad secundum genus propter prohibitionem uirtutis descendentis ad dandum sensum, & motum quædam sunt intrinsecæ quædam extrinsecæ, intrinsecæ quædam proximæ, quædam remotæ, & quoniam genus hoc bifariam fit, uno modo cum cerebrum ita refrigeratur, ut non possint spiritus generari, & uirtus suffocatur, alio modo cũ uentriculi cerebri obstruuntur, proxima causa illius, quæ fit propter obstructionem uentriculorum, & coniuncta est ipsa obstructio idest morbus quoniam est dispositio lædens operationes prouentu primo, remota est materia faciens obstructionem, quæ dicitur media inter symptoma, & morbum, causæ uero extrinsecæ sunt omnes illæ, quæ refrigerant, & humores frigidos & crassos generant, & sunt aer frigidus, constitutio frigida de qua Hippocr.*

tertio

tertio Apho. 24. ubi inquit, in hyeme magis euenire Apoplexiam, peripneumonias, corizas, bronchos, q̃ in aliis tẽporibus aliæ dicuntur causæ dispositiuæ, sicut temperatura, ætas, quia nemo dicet tẽperaturã esse subiectũ minusq; ætatẽ Apoplexiæ, nec esse causam efficientẽ, sed sunt quædam causæ mediæ præparantes, & aptitudinẽ facientes in subiecto ad recipiendũ, ideo corpus simile & pituitosum magis aptum est, Inter extrinsecas etiam sunt omnia cibaria frigida, & præcipue ea, quæ à proprietate Apoplexiam generant, sicut fungi, quoniam id efficiunt nulla alia de causa nisi quia generant humorem uiscidum aptũ ad generandum Apoplexiam, iam diximus de causis extrinsecis & intrinsecis, quæ possunt generare Apoplexiam, perseueremus in isto secundo genere, quoniam determinate, quæ sunt causæ efficientes, iam diximus, dico quod causæ efficientes hanc ueram Apoplexiam frigidus & crassus humor est, dico frigidus & crassus non me determinando ad quem, oportet enim quod hæc duo habeat, si enim esset calidus non faceret Apoplexiam, quia non tollit actionem calidus humor, sed corrumpit, ideo uel phrenitidem, uel aliud symptoma corruptæ actionis efficeret, oportet igitur quod crassus sit, quia tenuis humor nõ offendit laxas partes, ut est cerebrum, quia fluit, ideo si debet imprimi, debet esse crassus, ideo has duas conditiones debet habere, ut sit frigidus aliter non mortificaret operationes, & crassus, ut impingatur, sed humores, qui sunt frigidi & crasi, duo sunt, humor melancholicus, & pituitosus, potest ab utroque contingere, raro tamen ab

humore melancholico, hoc ideo quia raro contingit, ut tantus humor melancholicus generetur, ut occupet ita quod intercipiat ſenſum, & motum, quia maxima cauſa debet eſſe, quæ facit Apoplexiam, ut inquit Gal. in quinto de accidenti, & morbo, Vbi ait, quod leuiores cauſæ re=quiruntur, ut fiat lethargia & phrenitis, quàm ut fiat Apoplexia, cum debeat ſenſum, & motum auferre, tum quia graue eſt, non poteſt in tanta copia aſcendere, ut fa=ciat Apoplexiam. De pituita autem maxima copia gene=ratur in corpore, de qua dixit Gal. primo Aph. 42. quod corpus ſenile admodum aptum eſt, ut incidat in Apople xiam, quia in ipſo generatur pituita multa, & quia gene ratur in ſtomacho, & perpetuo euaporat, tum ſub forma uaporis, tum etiam ſub forma humoris, & immo cerebrū ſubiectum eſt pituitæ, cum ferè ſemper ſit frigidæ & hu=midæ temperaturæ, ideo abundat pituita, & propter hoc habet multa ex colatoria, ideo non eſt mirum, ſi tanta pi=tuita abundari poßit, ut faciat ueram Apoplexiam, igitur maxima cauſa eſt pituita, Et ideo epilogando omnia, quæ diximus, habuiſtis, quale ſit hoc ſymptoma, & quod eſt priuatio omnium ſenſuum, & motuum, & quomodo ne=ceſſario eſt in cerebro cum ſit principium, & fons ſen=ſus, & motus, ſimiliter uidiſtis quomodo ſit neceſſarium dicere locum affectum eſſe uentriculos, & ſubſtantiam cerebri, ſed rarius ſubſtantiam, uidiſtis etiam quomodo hæc ſymptomata habent morbum in compoſitione tam primum genus, quàm etiam ſecundum, & ſimiliter in ea, quæ fit ob malam complexionem propter refrigeratio=nem

nem factam in ſubſtantia cerebri, & cauſas uidiſtis, nunc uidenda eſt natura, ideſt forma ipſius, quæ eſt ultima perfectio, uel ultima in hoc caſu perfectio, forma autem penes maiorem, uel minorem attenditur, quæ maiorem malitiam habet, inſigniorem habet formam, quæ minorem minus inſignem, & quatuor habet malitiæ gradus, penes quos diſcernitur unumquodque genus habere formam magis uel minus inſignem, & gradus iſti oſtenduntur ſuper formam anhelitus, ut docet Gal. ſecundo Aph. 42. et in 3. de loc. aff. 7. & 10. & in quinto de cauſis ſymptomatum in fine, qui ſemper penes difficultatem anhelitus conſiderat hos gradus, Vnde quando anhelitus uiolentus erit, ut non poſsit patiens niſi uiolenter, & per interualla anhelare, & ſtertit mirum in modum, & cum ſpuma apparente, dicatis tunc proxime ſuffocari, quia ſtrangulati cũ ſpuma (dicebat Hip.) ſtatim intereunt. Secundus gradus eſt, cũ non habent uiolentiã, ſed inordinationẽ maximam, ut anhelitus ſit quandoque creber, quãdoque rariſſimus, quandoque humilis, quandoque altus, quandoque tardus, quandoque uelox, iſte interiturus eſt, ſed non ita ſtatim interibit, peſsimæ tamen naturæ eſt, Tertius gradus malitiæ eſt, cum anhelitus non ita inordinatus eſt in eo ſummo, ſed aliter eius inordinationem ſeruat, nec apparet uiolentia, hæc ſpecies utique periculoſa eſt, poteſt tamen euadere, Quartus gradus eſt cum parum anhelitus eſt, ordinatus tamen ad iſtum poteritis accedere, quem ſi recte curabitis, euadet, in hoc tantum quarto debemus confidere, licet etiam frequentiſsime intereat, Ideo Hip. dice-

ce-

cebat. Apoplexiam fortem impoßibile est ſoluere, debilẽ non facile, immo difficulter, & ita habetis quatuor genera Apoplexiæ attendenda. Vt tamen habeatis rectam intelligentiam eorum quæ dicta ſunt, & eorum quæ dicentur in præſenti diligenter attendere oportet, quia diximus Apoplexiam eſſe affectum cerebri, hic primo tractare debetis ſi quid aliud in Apoplexia patitur puta cor, uentriculus, aut aliud membrum per conſenſum, & ratio eſt, quia affectus eſt in cerebro, & non eſt affectus in reſpiratione niſi per conſenſum animal autẽ in quo eſt calor inſignis, ut uiuat indiget reſpiratione perpetua, & duas actiones ad refrigerandum calorem innatum à natura habuit, una eſt inſpiratio, & reſpiratio à motu thoracis, qui motus uoluntarius eſt, alia eſt quam Gal. tranſpirationem uocat, quæ per arterias fit, & per ſyſtolem, & diaſtolem cordis, hæc duo neceſſaria ſunt ad uitam, et magis neceſſaria eſt tranſpiratio, quàm anhelitus, qui tantum neceſſarius eſt, ubi eſt maxima indigentia refrigerationis, cum ergo ſit neceſſaria refrigeratio, nullus unquã Apoplecticus qui non reſpiret, Ideo Raſis fecit ſuam ſyndromem cum grano ſalis, quæ concludit omnes ſpecies Apoplexiæ, cum dicit, CVM ALIQVIS quaſi dormiens iacet, & ſine ſomno ſtertit, & cum pungitur &c. Dixit ſtertit, quia ſtertor eſt mala reſpiratio, & ita reſpiratio eſt inter ſigna pathognomonica quæ requiritur ad hoc neceſſario, ut ſit Apoplexia, & propterea nihil differt Apoplexia à ſtrangulatis laqueo, aut alia cauſa extrinſeca, utrobique ſpiritus animales ſuffocantur, &

uir-

uirtus intercipitur, ne demandetur ad inferiora, & sic e=uenit his à causa primitiua, quod apoplecticis à causa in=trinseca, & tamdiu uiuit animal, quamdiu potest respira=re, quia respiratione ablata statim cessat uita, ideo recte Hip. strangulatos Apoplecticos appellauit, sed aliter in syncopis à causa frigida contingit tàm in uiris, quàm in mulieribus ex uteri præfocatione, ipsi penitus non respi=rant & causa est, quoniam in syncopa patitur cor, et ubi est syncopa frigida ita refrigeratur cor, ut cesset omnino prima neceßitas, quæ est, ut euentetur calor innatus cor=dis, ideo remanet respiratio, quæ fit per arterias, & per systolem, & diastolem cordis, hoc dixi propter Modernos, qui nesciunt distinguere syncopam frigi=dam ab Apoplexia, & ob hanc causam sequuntur mul ta eterogenea, ideo Herculanus inquit, si uultis cogno=scere an Apoplecticus uiuus sit facietis experimenta, pri mo hic cotum carminatum subtilißime, idest bombicem ac cipietis, & prope nares ponatur, ut uideatur, si uiuat nec ne, secundo cyathus aquæ supra extremitatem pectoris ipsius resupini ponetis, si mouebitur uiuus erit, sin minus mortuus, tertio speculum accipiatis, & ori, & naribus opponatis, ut uideatur, an maculetur, nec ne, hæc non sunt facienda in Apoplexia uera quia uidemus quod spirant ad sensum, hæc autem experimenta docentur fieri à Gal. in syncopa frigida, quoniam in ipsa prorsus tollitur anhe litus, ideo Moderni duo deliramenta dixerunt, Primum cum tradiderunt experimenta ista tanquam necessaria ad cognoscendum an anhelitus seruetur in Apoplexia, &

ne=

*neglexerunt ea, quæ ab antiquis Medicis tradita sunt, Se-
cundum est, quia credunt naturalem respirationem fieri
posse non à motu musculorum, sed à systole, & diastole
cordis, quæ non percipiatur, & quod sit facta à natura
sine motu, ut dixi, thoracis, & dant exemplum, qui error
natus est, quia non cognouerunt respirationem, et transpi
rationem, quia si hoc cognouissent, scirent animalia illa
frigida, quæ in cauernis degunt, non indigere respiratio-
ne, sed illa euentatio in his animalibus frigidißimis fit,
quæ transpiratio appellatur, non quidem à uoluntate, si-
cut respiratio, sed à natura facta, et ex his uerbis consta-
bit, quàm facillimum sit discernere apoplexiam à synco-
pa frigida. Ex alijs etiam cognoscetis Apoplecticum, ma
net enim ore semiaperto, quia Apoplexia resolutio dici-
tur, nec differt à paralysi, nisi quia paralysis particularis
est resolutio, Apoplexia uero uniuersalis, cum igitur ua-
cent musculi à munere suo non fiunt extensiones neque
contractiones, ideo palpebræ semiapertæ apparent, ma-
nibus & pedibus distentis, sicut iacent mortui, quoniam
quo ad musculorum resolutionem sunt uere mortui ex-
ceptis musculis thoracis, qui mouentur à natura, cum sit
necessarius anhelitus ad uitam, in syncopa frigida totum
oppositum est, quoniam cum incipit syncopa, & tendit ad
cor, & musculi per consensum patiuntur, torquetur pa-
tiens, & claudit dentes, ut opus sit aperire eos aliquo in-
strumento, & manus clauduntur, ut non poßint aliquo
pacto aperiri, Apoplectici autem habent laxa, & quan-
doque os, & brachium in eodem met situ, in quo erat, cum*

incepit Apoplexia, manet, quia sensum, et motum amittunt ita, ut facillimum sit cognoscere an Apoplexia sit, uel syncopa, ex pulsu etiam cognoscitur, quia in Apoplecticis non est ita mutatus, In syncopa uerè frigida, prorsus deficit, immo aliquando ut in Apoplexia ex sanguinis dominio pulsus magni fiunt, licet inordinati, Et hæc satis sint dicta de causis. Ad signa iam accedamus in enumeratione signorum uos debetis meminisse eorum, quæ aliàs diximus circa generalem considerationem signorũ, quod quædã sunt prognostica portendẽtia id, quod futurũ est, quædã indicantia id, quod est præsens, & utrunque genus necessariũ est cognoscere præsertim prognosticũ in ægritudinibus præsertim acutis, et lethalibus, quæ cum iam factæ sunt, male curari possunt, Ideo Apoplexia male, cum iam præsens erit, curabitur, facile autẽ cognoscetur, utilißima antem hæc signa prognostica sunt, quia cum pronuntiamus mortem, uacamus culpa, si æger moriatur, debetis ergo studere, ut habeatis Artem signorum portendentium futurum euentum, indicantia etiam præsentem ægritudinem necessaria sunt, quia raro oculis apparent absque signis, utrorumq; autem signorum quædam sunt communia, quædam propria, communia appellamus, quæ licet portendant talem morbum, sunt tamen in alijs, ut tumor Apoplecticorum est signum indicans futuram Apoplexiam, hoc tamen signum solet consequi alias ægritudines. Ideo ex eo non concludimus futuram Apoplexiam, propria appello, quæ indicant eam, & non aliam ægritudinem, ut stertor cum præfocatione sensus, & motus, cũ enim

Ex pulsu

Ad signa deueniendum

Signa Prog: nostica necessaria

Communia

Propria

enim hæc adſunt Apoplexia eſt, & nulli alteri conuenit, in proprijs autem confidere poſſumus, quia certam fidem tantum faciunt, quæ ſi plura fuerint, maiorem fidem tantum facient, præter ea iſtorum ſignorum propriorum quædam ſunt toto genere indicantia, ſicut ſtertor, & priuatio ſenſus, & motus, quod ſignum omni conuenit Apoplexiæ, quædam ſunt propria ſpeciei, ſicut quidam indicantes ſplendores circa oculos, & rubor intenſus faciei, hæc enim indicant ſpeciem Apoplexiæ ſanguineam, grauitas autem perſeuerans cum plumbeitate coloris, & ſomnolentia indicant phlegmaticam, quædam igitur ſunt propria genus portendentia, quædam ſpeciem, quædam indicantia malitiam, quædam remiſsionem, uel paruitatem. malitiam quidem ſpuma, quia ſtrangulati (dicebat Hip. 3. Aph. 43.) cum ſpuma non redeunt, quæ paruitatẽ indicant, ſunt anhelitus æqualitas &c. quædam præter ea cruditatem ſignificant, cum ſcilicet nullum apparet ſignum concoctionis, nihil enim à naribus exit, & ſi quid ab oculis illud inconcoctum eſt, & uirulentum, quædam coctionis ſunt ſigna, cum circa ſtatum mucus coctus in maxima copia æqualis apparet, ſignificat enim naturam poſſe ſupra morbum, quædam ſignificant mortem, & ſunt ſigna omnia, quæ malitiam indicant, quoniam coincidunt ſigna mortis, & malitiæ ſimul, quædam indicant ſalutem, & ſunt ea, quæ paruitatem oſtendunt ſtante fortitudine uirtutis, & hæc ſunt præſcienda, ſi uultis eſſe boni Medici. Aduertatis quod in iſtis ſignis duo ſunt conſideranda primum ne confundamini ſi uidebitis alias diſtinctio-

Duo in iſtis ſignis notan[da]

ctiones à Gal. traditas, quoniam nos necessariam posuimus, & consulto multas alias omisimus, quoniam introducendi in Arte non sunt confundendi. secundum licet sit magnus campus signorum longe maior, quàm sit campus causarum, & indicationum, ne terreamini, quoniam tria, aut quatuor signa conducent uos in cogitationem ægritudinum, & hoc uobis necessarium est, quoniam cognita ægritudine signa parui fiunt, ideo Rasis quatuor, uel quinque signa ad plus ponit, quæ satis sunt ad indicandam ægritudinem, immo si absque signis posset haberi cognitio ægritudinum, non essent consideranda, & quia diximus signorum alia esse indicantia præsentem ægritudinem, alia prognostica futuram portendentia, de hoc secundo membro prius dicamus, quæ portendunt futuram Apoplexiam hic à Paulo ponuntur. x. primum est capitis dolor improuisus multus, & confestim, ut uideatur, quod caput scindatur, & hoc est commune signum omni generi ægritudinum conueniens, quod si uultis distinguere considerabitis, an acutus sit, quia tunc significat Apoplexiam futuram ex dominio sanguinis, si grauatiuus à dominio pituitæ, fundatur autem hoc signum in hoc, quia dolor capitis, confestim, & subito inuadens significat, & portendit magnam copiam humoris ascendentis ad caput, ideo maximam inuasionem, & maximum malum indicat, & sic Apoplexiam, eius fons à quo sumitur, est actio læsa in uirtute sensus tactus, secundum signum est tumor uenarum Apoplecticarum colli, tunc enim multa materia ad caput ascendit, & si alia signa fuerint credatis Apoplexiam fu-

R turam,

turam, & hoc signum commune est, cui si adiuncta erit rubedo, sanguineam, si pallor, & frigiditas ad tactum pituitosam pronuntiat, tertium signum est uertigo, & fons eius est actio læsa sensuum interiorum & commune est signum, & prænuntiat Apoplexiam, quia cum ascendunt uapores facientes uertiginem, corrumpunt imaginatiuã, & signum est, quod caput repletur, ideo minatur Apoplexiam, maxime si fuerit perseuerans, & hoc experientia constat, quod uertigo perseuerans tandem faciet Apoplexiam, quia non differt ab Apoplexia, nisi quod uertigo est præludium eius, quartum uibratio, & saltus apparens in toto corpore, indicatur enim ex hoc calorem innatum, uel propter suffocationem, uel propter multã frigiditatem accedentem non posse difflare per insensibilem difflationem, nec transpirare, quia crasse factus est, & dũ quærit exitum, facit saltum, & tunc timor est, ne uirtus debilitetur, & impediatur quo minus transire poßit, uel spiritus extinguantur. Quintum est frigiditas extremorum sine ratione, quia calor naturalis debilitatur, & tendit ad superiorem partem, si sanguinea fuerit Apoplexia, si phlegmatica totum corpus frigescit, fons huius signi est qualitas de secunda specie qualitatis, sextũ signum est torpor in omnibus commotionibus, ut homo non poßit mouere se, quia tanta frigiditas inducta est, ut non poßit libere moueri, & hoc signum est in uirtute motiua læsa, septimum est stridor dentium in somno, quia indicat caput repletum malis humoribus & uaporibus, & est ueluti spasmus musculorum inferiorem maxillam mouentium,

tium, ideo & tali dentium collisione indicatur, quod plurimus uapor ascendit, & repletur caput, ideo portendit Apoplexiam, sumiturq; signum hoc ab actione læsa in motu uoluntario, octauum est urina uiridis, uel nigra, quod est ex sententia Hippocr. & Gal. secundo Prognost. uel propter maximam caliditatem urentem, uel maximam frigiditatem extinguentem, sicuti apparet in saguine, si superassetur, uel frigore congeletur, nigrescit, ideo dicit Gal. urinam fieri ab utraq; causa, quod fiat uiridis est propria passio frigiditatis, nisi propter admixtionē bilis praxinæ talis fiat, cum autem oleaceæ in eo corpore est maxima frigiditas in neruis, & circa uenas, & portendunt Apoplexiã. decimũ autem signum cum hypostasis urinæ est ueluti farinæ crassioris quam Hippoc. secundo Prognost. crimodi appellat, ac si essent hordei grana, quæ malam effugerint, & partes musculi semimolitæ factæ sint. Cum igitur talis erit hypostasis, uel colliquationem ex maxima caliditate præter naturam in membris existente, ut colliquentur membra solida, ideo frustula illa apparent, uel maximam frigiditatem in uenis existentem pronuntiat, ideo cum sanguis deueni t ad loca solidiora, cum non poßit concoqui, & aßimilari, redditur per urinam, & apparent ista, ideo cum pultaneam substantiam uidebitis, ex alijs signis cognoscetis, an ex caliditate maxima, uel frigiditate proueniat ut cognoscetis causam, à qua proueniat, quia apparent manifeste ad sensum, & hæc sunt decem signa portendentia futuram Apoplexiam, Est aliud, quod non enumeratur à Paulo, incubus inquam perseuerans,

& somnia turbulenta, in quibus terretur, & fugit, unde alter trium morborum semper sequitur, uel in melancholiam incidit, aut in Epilepsiam, aut in Apoplexiam, dũ modo perseueret & non bis, uel ter sequatur, uel nisi ẽt adsit causa manifesta puta cibus, incubus ideo ex signis est maxime portendentibus, fit autem incubus cum quis dormiens uidetur sibi aliquis occurrere qui inuadat eum, & comprimat, ut non poßit moueri, donec liberatur ab isto inuadente, & omnia ista signa à diminutione caloris pro ueniunt, & cum spiritus animales existentes in cerebro ob uapores ascendentes, à pituita, & à melancholia obtenebrantur, ita ut opprimatur uirtus, & uideatur, quod ali quis insidietur eis, Et hæc fuit illa dubitatio quam Gal. in tertio de loc. aff. in cap. de melancholia obijcit contra Dio clem qui dicebat hypocundriacam paßionem fuisse propter ascensum uaporum ad caput, sed non tradebat causam, cur ex uaporibus ascendentibus à melancholia fiat, quæ tamen erat aßignanda, hoc est quia obtenebrescunt spiritus animales à uaporibus ascendentibus à melancholia, & tunc percipiunt somnia horrenda & grauia, quia deprimuntur spirituus, hæc de primo membro signorum dicta sint. Est aliud genus signorum indicantium præsentem ægritudinem, & hæc sex à Paulo numerantur, quæ sufficienter indicare possunt præsentem Apoplexiam, pri mum est iacere, ut mortui iacent, & locus huius signi est à situ sumptus, iacent autem quia priuati sunt sensu, & motu. secundo est, quia muti fiunt, quod non contingit in caro, aut Catalepsi, nec in lethargia, in quibus ægritudini

bus

bus semper aliquid pronuntiatur, ratio autem, cur muti fiant, est, quoniam exteriores, & interiores sensus idest impetus admodum sunt resoluti, quæ sunt necessaria ad uocem, quia uox fit ex imaginatione ad exprimendum mentis conceptum, Et cum ablatæ sunt conceptiones, obmutescunt, quia fit uox per neruos reuersiuos, & musculi Epiglottidis aliquid faciunt. Priuantur autem motu, & sensu, igitur remanent sine uoce, bene dicunt priuari sensu et motu, quia in syncopis etiam ualidißimis à frigiditate non priuantur sensu prorsus, quia si pungantur percipiunt, licet obtuse læsionem.

Vox quomodo [illegible] fiat.

3 Sine sensu

4. Sine motu

Diximus signa indicãtia Apoplexiam præsentem esse sex, & de quatuor egimus, primũ erat iacere ueluti mortui, secundum quod remanet sine uoce tertium sine sensu, quartum sine motu, quintum difficultas maxima anhelitus, & stertor, qui est attractio aeris per locum angustum, et propterea consequitur Apoplexiam. Et dicebamus contra modernos, quod nulla Apoplexia est, quatenus Apoplexia est, & simplex, non loquor de complicata, cum syncopa frigida. Potest esse sine aliqua inspiratione, quia ilico quando quis desinit spirare moritur, non ualet autem aliquid illa authoritas Gal. tertio Aphor. 42. cum dicit illam Apoplexiam dici acutißimam, & omnibus peiorem, in qua prohibetur anhelitus, intelligite de ea, quæ complicatur cum syncopa frigida, in qua prohibetur anhelitus, uel erit sensus, quod prohibetur idest cum maxima difficultate fit, ideo subiungit, & hæc acutißima est, quia statim æger moritur, cum desit inspiratio, et licet det aliquod

5 Stertor

Contradictio G. soluitur.

tempus perceptibile, anteq̃ moriatur, illud quidem modicum est, ideo illud experimentum, quod faciunt de coto carminato, & speculo in cognoscendo Apoplexiam, an sit mortuus, non est sufficiens coniectura ad id cognoscendum, quoniam etiam quod nihil spiret, non sequitur ergo mortuus est, quia potest homo etiam uiuere sine respiratione, ut in syncopa frigida ex frigeratione cordis, in qua non est necessitas inspirationis, & respirationis aeris, ut refrigeretur cor, sed sufficit transpiratio. Ideo uanum est illud experimentum, & ista sint dicta satis de stertore, & difficultate anhelitus, quod est quintum signum, sextum est sine febre esse, quia Apoplexia caret febre, & hoc signũ distinguit eam à lethargia, in qua semper adest febris, ut inquit Gal. de loc. aff. tertio, quinto, & ideo est quia lethargia cum inflammatione cerebri & fit febris, Apoplexia licet ab eadem causa ut plurimum pendeat, tamen non est putrefacta, nec inflammata, ideo non generat febrem. Est etiam alia differentia inter lethargiam notabilis, & Apoplexiam, quia lethargici inclinant ad somnum & sunt cataphorici, Apoplectici uero stertunt inter somno, ut diuinus Rasis inquit, & sine somno stertit, & diiudicat, cum aliquis quasi dormiens iaceat, non refertur illud dormiẽs ad somnum, sed cum iacere, quia iacent sicut dormientes, quod innuit, cum subiungit, & sine somno stertit, immo iacent ore, & oculis apertis, Et hæc sunt sex signa indicantia Apoplexiam præsentem, sunt alia, quæ indicat Apoplexiæ species, quoniam alia à sanguinis dominio, alia à pituitæ dominio dependet, alia licet rarò à melancholia.

lia. Signa distinguentia has species sumuntur hæc partim à causis manifestis facientibus humorem peccantem, partim ab accidentibus, quæ sequuntur naturam humoris, & sumuntur ab intrinseco scilicet à causis facientibus humorem peccantem. sumuntur à procatracticis, ab aere cibo, & potu, inanitione, & repletione, & ab accidentibus animi somno, & uigilia, motu, & quiete, quibus duo adduntur temperatura, & ætas, omnes hæ causæ extrinsecæ cum conueniunt fidem certam faciũt, ut talis humor dominetur, sed quia raro inueniuntur omnia hæc, ideo signa, quæ sumuntur à causis extrinsecis, fallacia sunt, sed ubi cõueniunt cum signis sequentibus naturam humoris, maximam fidem faciunt, si igitur quispiam uixerit aliquo tempore in aere calido, & humido, & præterea uictitauerit, lautis cibis optimi nutrimenti, & biberit optimum uinum maturum, & dulce, præterea retenta sint menstrua in mulieribus, excrementa scilicet sanguinis uel sanguis solitus effluere ex naribus retentus sit, uel à sede idest hemorroidibus, præter ea otio, & moderato exercitio usus sit, somnos, & acrem animi quietem habuerit, ac præter ea temperaturæ calidæ, & humidæ, ætatis adolescentiæ, si omnia hæc conueniunt, oportet dicere in hoc redundare sanguinis dominium, sed rarò hæc omnia conueniunt, ideo non confidemus in eis, item si quis uixerit per tempus aliquod in aere frigido & humido, in constitutione frigida & humida, uino aquoso & aqua, & cibarijs frigidis, & humidis fructibus, & carnibus porcinis uictitauerit, præterea per tempus uixerit in multo otio, & somno plurimo, re-

tentusq́; ei ſit uomitus pituitæ, uel ſedis, ſitq́; temperaturæ frigidæ, & humidæ, & ætatem habuerit ſimilem, ſi omnia hæc conueniunt abſque dubio in hoc ſunt humores plurimi pituitoſi aggregati, idem diſcurſus fiet de melancholia, quia his concurrentibus tales humores generantur, ſigna uero, quæ à natura humoris ſumuntur ab intrinſeco ſumuntur, & tuta ſunt, illisq́; inhærere debemus, exempli gratia ſi uidetis rubedinem in toto corpore, & caliditatem mitem, & ſuauem percipietis ad tactum cum carnoſitate uideatisq́; uenas turgere, & cum percunctamini ipſum inquit ſe percipere tenſionem in toto corpore, & grauitatem, urinas habet craſſas, & rubeas, pulſum uehementem uelocem, & magnum, cum hæc omnia conueniunt, & concurrunt ſanguis dominatur, & cum apparent in ipſo uenæ colli plurimum turgere, & grauitas ſentitur, & oculi rubent, ſplendorq́; circa oculos apparet, & in ſomno rubea multa, & natare in ſanguine, dicetis huic ſanguinis dominium parare Apoplexiam, quoniam raptum habet ad caput, & ita ſigna diſtinguentia ſpecies Apoplexiæ habetis, & non ſolum cauſam, ſed futurum etiam euentum eius ex ſignis diſtinguentibus habetis, quibus ſi addetis cauſas procatarcticas iam enumeratas, quod ſcilicet uſus fuerit comedere cibaria lauta cum reliquis, augebitis opinionem ueſtram, cum idem atteſtentur excrementa, idem de pituitoſa agendum eſt, cum enim albedinis color apparet circa totum, & frigiditas ad tactum cum mollitie, & grauitas, circa omnes motiones, & pigritia

Signa a n[atur]a humoris. Sanguinis

Signa a n[atur]a pituitæ

gritia ad motum & in omnibus operationibus, & urinas uidebitis albas, & crassas, ubi uiæ fuerint latæ, & multus humor, uel tenuis, cum fuerint obstructiones, & pulsum paruum, rarum, & tardum, & imbecillem, dicetis in isto dominari pituitam, si postea addideritis omnia iam dicta extrinseca augebunt suspicionem, si postea audiueritis ab ipso capitis grauitatem pati, & palpebras habere tumefactas, in nocteq́; stridorem dentium habeat, & quod plurimum stertit, deinde deterreat in somno, & surgat, uideaturq́; in aquis suffocari, dicetis hunc non modo abundare pituita, sed quod obsedit caput, & minare apoplexiam propter pituitam ipsam, Idem in melancholico poteritis facere, & cognoscere melancholiæ dominium, si liuor in toto apparebit, & cum grauitate, & flatum in intestinis, & uentriculo, tristesq́; habeat imaginationes, & sine causa tristatur, somnia turbulentia habuerit, usus præter ea fuerit regimine crasso cibarijs craßis, rebus salsis, uino nigro, & crasso, accidentia animi molesta fueritq́; temperaturæ frigidæ & siccæ, & constitutus in primo senio, quæ omnia arguunt dominium frigiditatis, et siccitatis, dicetis humorem melancholicum dominari, & si habuerit raptum ad caput dicetis Apoplexiam fore à melancholica causa, & hoc modo discurrendum ad indagandum species Apoplexiæ, & cuiuscunque morbi pendentis à materia. Signa, quæ subsequuntur quædam indicant cruditatem, quædam coctionem, Ideo cum uidebitis Apoplexiam statim omnia considerabitis, & primo an sit Apoplexiæ affectus, secundo cuius generis sit, an à pi-

tuita, uel à ſanguine, an ſit maligna, uel ne, & utrum dependeat à rebelli humore, nec ne, uel habeat humores coctos, uel paratos coctioni, Cum igitur accedetis ad Apoplecticum, & uultis conſiderare aliquid adſit ne coctionis ſignum, in quo poßit ſperare, uideatis, an aliquid exeat à naribus, quoniam anhelant hi uiolenter, & per interualla, ita, quod in una uiolenta reſpiratione exſufflatur pituita à naribus, ſi quidem alba compacta cum laudabili ſubſtantia erit, debetis eſſe in ſpe, quoniam ſignum eſt, quòd natura poteſt, & aliqua uirtus adeſt, ſi lachrimæ etiam ex oculis compactæ, bene coloratæ, cum laudabili ſubſtantia, ſi ex ore effluat pituita, & ſpuma aliqua ſi humor ſaliualis cum ſpuma ſperandum eſt. Si minxerit ſignum eſt optimum pro ratione excrementi, ſi fuerit bene confecta tunc quia ſignum eſt naturam poſſe operari, ſi egeruntur egeſtiones concoctæ, arguunt naturæ dominium, cruditatem uero indicabunt oppoſita, quædam etiam malitiam, quædam ſalutem indicant, & mortem, ſumitur autem malitia circa minus malam & deteriorem inſpirationem, & reſpirationem, ita quod minus mala inſpiratio minus male indicat Apoplexiam, deterior autem deteriorem indicat, & lethalem, ſumitur malitia præter ea penes ſpumam, quæ indicat inter cætera peßimam Apoplexiam iuxta Hip. ſententiam ſecundo Aph. 43. ſtrangulati non referũtur quibus ſpuma circa os fuerit, & enim unum ex ſignis admodum lethalibus eſt, ſed quare ſit ita lethale, uidendum eſt, nec locus iſte prætereundus eſt, eò magis quia pauci recte aßignarunt cauſam, & ideo attendatis,

tis, ut sciatis causam, cur spuma signum sit lethale ita in Apoplexia. Debetis ad huius rei intelligentiam primo scire, quid sit spuma, quoad essentiam, in qua res omnes conueniunt, quod sit aer inclusus in aliqua substantia humida, qui non habeat exitum, aer dico confractus ad minima, In causis autem uaria dicunt. Herculanus uidetur facere apertissimam nugationem, qui dixit spumam esse congeriem multarum ampullarum in humiditate repertarũ, subiungit, causa autem est uapor, qui est in ipso humido eleuatus in altum, hoc non est assignare causam spumæ, sed formam eius, aliter fecit Gal. & optime facit & assignauit causas, qui dixit motum & caliditatem duas causas esse facientes spumam, ita quod redegit causam spumæ ad hæc duo principia, forte etiam ad unum tantum poterat reduci, & redigi, Videamus modo meth. & sufficientiam horum causarum, si non sit aliud, nisi aer inclusus in humido uiscoso, qui est confractus, nõ sufficeret hoc, quia aer inclusus in humido facit bullam, ut faciunt pueri cum sapone, & aqua, quæ tamen non dicitur spuma, sed requiritur, ut aer inclusus sit in humido, sit uel aer, uel humidum, aut utrunque ad minima refracta, ut minimum unius sit cum minimo alterius, hoc autem fieri non potest sine agitatione, & motu, est ergo motus necessarius, Et ita ex cognitione naturæ spumæ scitis, quid sit, scitis quomodo debeat generari, quæ si talis est ergo à motu fiet principaliter & à calore, & quia calor & ipse agitat mouendo, & hoc non ignorauit Gal. cum dixit, melius est, ut ponamus duas causas, quia in mari spuma fit sine calidita-

te

Spuma qd.?

Causas spumæ

Spuma fit principaliter a motu et a Calore

te ex ſola agitatione uentorum, ſimiliter cum agitamus albumen oui, fit ſpuma ſine calore, à calore etiam uidemus fieri, ut in lebete ebullienti, Ideo poſuit Gal. duas cauſas, ſed antequam ulterius procedamus, aduertatis, quod aliud eſt dicere ſpumam et corpus, ſeu ſubſtantiam ſpumoſam, hæc enim diſtincta ſunt, quia corpus ſpumoſum dicitur illud, in cuius ſuperficie ampullæ paruæ apparent, ſicut cõtingit in uino cum impetu in uaſe proiecto, & in urina cum impetu micta, cuius partes ſuperficiales contrahunt ſpumam, & dicitur corpus ſpumoſum, quia participat ſpumam, non tamen ſpuma eſt, ſpuma uero eſt corpus leuiſſimum ſpongioſiſſimum ſecundum omnes partes tam intrinſecas, quàm extrinſecas, ut non poſſit dari pars in qua non ſit minimum unius cum minimo alterius, & humidũ ſit tenue naturam aeris participans, ut minimum tenuiſſimi humoris cũ minimo aeris miſceatur, & in omni parte ſit iſta confractio, & miſtio, iam calidiſſimũ corpus eſt, quia plurimum aeris penetrat, quia plurimã habet diaphaneitatem, & undecunque terminatur, & talem ſpumam in mari uidemus, quia tenuiſſimũ aquæ permiſtũ eſt cũ minimo aeris, ut uideatur etiam ſemiiuncta ab aqua, ſicut in albumine oui apparet, in quo tenuiſſimum eius ſupernatat, & miſcetur cum aere, ut uideatur ſeparatũ à ſubſtantia reliqua oui albuminis, & ita contingit in iſto Aphiogala, quo utuntur principes in conuiuijs ex multa agitatione lactis, & habet multam apparentiam cum parua exiſtentia, quia pars ſpumoſa, & aerea permiſcetur cum aere, & iſta, quam enarrauimus, eſt uera

ſpu=

ſpuma, Iſtis diſtinctionibus factis, poſtquam habetis cognitionem quid ſit ſpuma, & à quibus cauſis proueniat, & quod differt à ſpumoſo corpore, uideamus modo cauſam, cur in Apoplexia ſpuma ſit tam lethalis. Nonnulli dixerunt ſpumam fieri, quoniam in anguſtia anhelandi, ſpiritus, qui expiratur, tranſit per uenas, ubi eſt materia peccans, & agitat illam, & tranſit ad os, & apparet ſpuma, & propterea ex ea ſpuma potes conijcere cauſam facientem ægritudinem dictam Apoplaxiam, & epilepſiam, ſi fuerit nigra cauſa, erit melancholia, ſi rubea ſanguis, ſi alba pituita, Equidē ſæpe admiratus ſum rem tam uanam, quid uelint dicere, ſpiritus tranſiens per uenas inueniens materiam peccantem exagitat eam, non uideo, quoniam ſi per uenas intelligunt pulſatiles, uel non pulſatiles falſum eſt eiuus dictum, ſed ſupponamus quod ſpiritus poßit tranſire per uenas tales, humor peccans non eſt in uenis, ſed in cerebri uentriculis, præterea ſi per uenas intelligant aſperas arterias, hoc etiam fieri non poteſt, quia ſi uerum eſſet, quod aer expiratus occurreret humori in aſperis arterijs ob idq; ſpuma fieret, cur in Aſthmate non idem fit, ubi eſt anhelitus difficultas, humoresq; multi ſunt in aſperis arterijs? hoc tamen non uidemus, niſi cum ſuffocantur, ſed ſuffocatio eſt, quæ facit eam, & ab alia cauſa, non ergo per talem occurſum fit. Cauſa autem erroris fuit quia iſti ſciunt medicinam ex commentarijs, legerunt autem librū illum Gal. aſcriptū de iuuamento anhelitus, quia in cap. 9. dicit has fatuitates ſed in illo lib. ſunt mille portenta, & certe nequaquam eſt Gal.

Cur sit spuma letha lis

Liber de iuuamento anhelitus.

Gal.ſed ipſe facit alium libellum de utilitate anhelitus inſcriptum,in quo dicit ea,quæ ſunt uera, ſed ſi ſcirent medicinam ex Arte deriderent etiam hæc,quæ à Gal.ſunt ſcripta. Herculanus aliquanto melius indagatur cauſas, & duas aſsignat,prima eſt ex ferueſcentia caloris intrinſecus efferueſcentis ex anguſtia anhelitus, ſed cum intrinſecus efferueſcit humiditatem in pulmone repertam in uapores conuertit,qui permiſcentur reliquis partibus humiditatis,& ita permiſti tranſeunt ad os, & faciunt ſpumam, ſecunda cauſa eſt ſicut in ſtrangulatis aer tranſiẽs per anguſta inuenit humiditatem in aſperis arterijs, & cum impetu exiens facit ſpumam,ideo ſpuma in Apoplexia exiens peſsimum ſignum eſt, ſed nec ipſe rem aſſecutus eſt,quia poteſt eſſe quidem efferueſcentia caloris intrinſecus,& quod permiſceantur uapores eleuati ab humiditate in pulmone reperta cum aere expirato, & fiat difficultas anhelitus, non propter hoc eſſe lethale ſignũ dici debeat,ſecundam cauſam oſtendimus parum ualere, cum diximus ſupra in Aſthmate aerem expiratum obuiare humiditati,& contentis in aſperis arterijs, non tamen cauſare ſpumam,Eſt ergo dicendum cum Gal. qui ueritatem indagat à natura rei aliter,quàm faciunt iſti, Ipſe enim neceſsitatem anhelitus conſiderans uidet, quod à natura datus eſt propter euentationem caloris innati,qui bifariam euentatur,uno modo ab aere frigido inſpirato, alio modo expurgando fuliginem per expirationem, & hoc colligit Gal.ex fornace, in qua ignis ſuffocabatur, dicit ipſe ſe quandoque uidiſſe fornacem, quæ ſuffocabatur,

&

& cum fuit aperta statim maxima copia fuliginis densæ exijt, & attractus est aer in maxima copia, & sic primo eiecit fuliginem, & statim attraxit aerem ad refrigerandum & ita habet cor inspirationem, & expirationem, ubi uero priuatus quis commoditate utendi inspiratione, & expiratione, multæ difficultates anhelitus sequuntur & pro uarietate formæ, uariæ etiam sequuntur difficultates, ideo penes difficultatem anhelitus formæ Apoplexiæ distinguuntur, proponamus ergo difficultatem anhelitus talem esse, ut uix animal respiret, & tendat ad gradum non spirandi, ubi deuenerit ad hoc, ut uix spiret, nec respirare poßit primo repletur cor, spiritus, & calor naturalis cordis fuligine multa suffocatur, cum non poßit euentationem extrinsecam habere, ideo sequuntur omnes difficultates. Contingere autẽ solet, quòd fuligo permista spiritibus ipsos debiliores reddit, cum agitantur, & quoniam in corde aer semper inclusus ad nutriendum ipsum permiscetur, at spiritu reddito seipso craßiore debilitatur, & suffocatur, ideo fit plurima agitatio in pulmone à tali spiritu calidiori, & acriori, humiditatesq; tenuiores pulmonis accipit, & permiscetur cum aere, & ex tali agitatione à natura facta, quæ uult facere expirationem, & trahunt conatum interius, fit mista exagitatio, ex qua fuligo, & aer permiscetur inuicem, ex qua permistione fit illa spuma, facta tali spuma natura faciens unam uiolentißimam expirationem, eam ad os transmittit, & hæc est spuma, quæ apparet circa os, quandoque etiam apparet, & ascendit usque ad caput, & fit obscu-

rus

quomodo fi[illegible] ad diffinit[illegible] tac aireflux[illegible]

Hyp: de uera spuma intellexit.

rus uisus, & tunc statim mors sequitur. Ex his sequitur quod si Hip. dixit strangulati cum spuma non referuntur, rectius dixit, quàm Gal. qui uoluit sententiam Hip. intelligi in pluribus ueram esse, qui testatur in epileptico se uidisse, & reuixisse, sed illa non est uera spuma, sed corpus spumosum, quod à uera spuma distinguitur, de quo non intellexit Hippocrates, sed de uera, ad quam statim sequitur mors, ideo recte dixit, non referuntur strangulati, quibus est spuma circa os. Falluntur etiam illi Medici, qui cum uideant circa os tàm Apoplectici, quàm epileptici, quandam materiam, & quoddam corpus spumosum credunt esse spumã cumq; uideant tales releuari, credunt Hip. regulam falsam esse, cum tamen nil uerius sit, debetis igitur scire, quod aliquando in ore Apoplectici, pituita cum saliua existens, & ibi retenta à spiritu inspirato & expirato adeo agitatur, & permiscetur cũ aere, ut fiat corpus spumosum, quod postea extra os exit, sed hoc non indicat affectionem grauem, nec maximam angustiã anhelitus, immo potest defluere pituita à capite propter spiritum attractum per nares ad nutriendum spiritum animalem existentẽ in uentriculis cerebri, ut uoluit Gal. in de usu respirationis, ideo potest occurrere illi pituita, et natura mouere excretionem, & circa os sic apparet, & nares, & hoc est bonum signum, quia indicat naturam excernere, & post eam statim surgit patiens. Potest etiam contingere propter materiam existentem in canna pulmonis ob frequentem exagitationem aeris ingredientis & egrediẽtis, qui facit spumam, sed nulla lethalis est, nisi

Nota notarum

Quomodo fiat corpus spumosum.

illa de qua diximus: Accedamus modo ad indicationes, circa quas oportet quædam uniuerſalia præmittere, in quibus fundantur particulares indicationes, Nomen hoc indicatio relatiuum eſt, ideo ſub conceptu indicationis, ſemper aliquid eſt quod indicat, & ſemper refertur ad aliquam rem, ideo quot erunt res indicatæ, tot erunt indicationes, quæ natura relatiuorum talis eſt, immo quemadmodũ res indicatæ erunt diſtinctæ, ita indicationes diſtinctæ, ſi confuſæ, indicationes quoque erunt confuſæ, quibus confuſis neſcietis curare, quia tantum ſcitis curare, quantum habetis diſtinctas indicationes, iſtud eſt unum ex uniuerſalibus, quod nobis ſemper præ oculis erit, & conſequenter, quot ſunt res indicantes, tot ſunt indicationes. His præmiſsis diuidamus, quot ſint res indicantes. Debetis ſcire quod indicationes à quatuor cap. ſumuntur, uel à natura ſanitatis, et cauſis ſuis, uel corpore ſano, uel à natura morbi, & à cauſis ſuis, & corpore affecto, uel à medio ideſt à quibuſdam communibus, quæ ſumuntur à natura ſanitatis, & à corpore ſano, unam habent communiſsimam indicationem, conſeruationem ſcilicet, & præſeruationem, & omnes indicationes, quæ indicant ſanum corpus hoc indicãt, conſeruationem quidem, cum corpus eſt exquiſite ſanum, præſeruationem uero cum corpus iam incipit labi in deterius, ita quod conſeruatio, & præſeruatio ſint duæ medicinæ cõisſimæ à ſanitate uel corpore ſano acceptæ, & hæ duæ non pertinent ad nos in præſenti, quia nunc ſumus curatores morborum, de his igitur nihil dicemus, & hoc totum cap. dimittemus, quod facit illas duas communiſ

simas indicationes scilicet conseruationem, & praeseruationem, uel ad Gymnasticum, uel ad Medicum, sed quoniã Gymnastica ars nostro tempore desiit, ad medicum pertinebit ut etiam Gal. uoluit, Aliud membrum, quod aliae indicationes sumuntur à natura morbi, & causis eius, & à corpore affecto aggrediamur, haec autem sunt res praeter naturam, & tunc una communissima indicatio sequitur, quae est correctio & ablatio, & hoc erit cap. nostrarum indicationum, & circa hoc uersabimur, & erit uelu ti initium, unde incipit cursus, mediam autem illam quandoq; communissimã conseruationẽ, quandoq; ablationem indicãt ut sunt omnes causae non naturales, aer, cibus, potus, &c. Additur aetas, & temperatura, praeterea consuetudinem addimus, artem & naturam propriam, sunt autem media, quia quandoque conseruationem significant, quandoq; ablationem, ut de aere patet, cũ enim aegritudini oppositum est, conseruamus ipsum cum similibus, contrarijs autem remouemus: simul cum sanos conseruamus, id facimus, illae communes sunt, quia tàm illae, ad quem attinet ars conseruandae sanitatis, his locis omnibus utitur, q & medicus in curando aegritudines, uniuersalissima ergo iudicatio curatiua ablatio est, postea sunt loci communes, & sanitati tuendae, & curationi, & quia communes sunt utemur nos ipsis, & hodie, & semper, cum uolumus de curandis indicationibus agere, facto hoc fundamento, qđ principalis curatio à morbo, natura eius & à corpore sumuntur affecto, à morbo autem eas in primis accipiemus, cum uel naturam, uel eius causas consideramus, natura autem

tem morbi consideratur in sex rebus, uel morbum eius, uel essentiam morbi, uel consideramus terminum eius, uel accidentia, uel mores, uel temperaturas, uel motus, essentiam morbi consideramus, & naturam, quando cognoscimus, ut morbus sit in complexione, uel in compositione, uel in solutione continui, quia in his sumuntur diuersæ indicationes, si in complexione fuerit, oportet distinguere, an sit cum affluxu materiæ, uel sine, & ita diuersæ indicationes sumuntur, essentia igitur morbi primo consideratur in generali, postea distincte, quæ nam sit cõsideratur, præterea essentia morbi cum consideratur, an sit simplex, uel compositus, & ex hac utilißimas sumimus indicationes, aliter enim simplicem, aliter cõpositum curamus morbum, ut patebit in exemplo & hoc erit primum cap. secundo consideramus terminum considerando an sit factus uel non factus, uel sit fiens, aut in facto esse, quia aliter curatur morbus in fieri aliter cum iam est in facto esse. Tertio consideramus morbi accidentia, quia aliter curabitis febrem cum dolore capitis, cum debilitate uirtutis, & aliter cum est sine his, quia ex his diuersæ oriuntur intentiones curandi. quarto consideramus naturam morbi à motu, an præceps sit, uel tardus, alius enim tarde procedit, alius uelocius, ut in breuißimo tempore sumas faciat mutationes, & aliter curatur morbus tardi motus, aliter uelocioris, quia dicebat Hippo. in acutis morbis medicari eadem die conuenit, differre autem malũ est. Quinto consideramus, naturam morbi à tempore, quando consideramus tempora eius, an sit principium morbi,

tunc euacuandum est, quia quando morbi inchoant, siquid mouendum uidetur, moue, in statu enim quiescere oportet, Est autem principium cum iam materia cruda est, quã non oportet euacuare, neque mouere, quia dicebat Hipp. concocta medicari &c. Ex quo sequitur, quod licet principium, sit, in quo euacuandum, quia tamen materia tunc cruda est impedimur, nõ quia principium non sit tempus, in quo sit agendum, si modo fuerit motus uelocißimus, etiam quod materia sit cruda in principio euacuamus, ultimo consideratur natura morbi à moribus, an scilicet sit bonorum, uel malorum morum κακοήθης appellatur, sicut sunt ulcera maligna, malignæ febres & pestilentiales, aliter enim ista curantur propter malos mores, aliter quæ non habent. Et ita sex habent cap. à quibus sumuntur indicationes considerando naturam morbi, indicationes uero quæ sumuntur à causis uariæ sunt, quia causarum aliæ sunt intrinsecæ aliæ extrinsecæ, non sumitur indicatio curandi nisi cum adsint, quia cum non adsunt, nulla sumitur ab eis indicatio exempli gratia cum quis ex inordinato regimine inciderit in aliquam ægritudinem ab illa causa nulla sumitur indicatio curandi, nisi cum adsit, ut siquis frigido morbo laboraret in aere frigido, ut aer sit causa ægritudinis tunc ab illa sumitur indicatio, ut corrigatur, causæ uero intrinsecæ duplices sunt quædam coniunctæ proximæ & adhærentes morbo, quædã antecedentes, ab utrisque uariæ sumuntur indicationes, si antecedens fuerit, euacuari indicat per loca communia, & conuenientia per urinam, secessum &c. Si coniunctæ à loco affecto, uel deriua-

tio-

tionem, uel simplicem euacuationem à loco factam, per scarificationem, uel fomentationem &c. Circa ista fuerunt uniuersalia præmittenda in omni curatione, quæ sunt illa, à quibus particulares indicationes curatiuæ sumuntur. Istis uniuersalibus sic præmißis oportet nunc ad exercitationem particularium deuenire. Volumus curare Apoplexiam unde incipiemus? à re maxime nota, quia omnis discursus à notioribus, & communibus incipit, cum ab istis innata sit nobis uia, quod igitur erit notißimum in discursu nostro Apoplexiæ? id quod oculis uidemus, uidemus autem hominem sine sensu, & motu, quid indicatur? illa communißima ablatio, quod auferatur ista indicatio, sed hoc etiam diceret asinus, & quælibet uetula, modo quomodo auferretur, hæc est ars medici, sed neque auferri poterit, nisi sciamus causam facientem hanc priuationem, quæ autē sit, iam sciuistis quod priuatio ista sensus & motus dependet, uel ab obstructione uentriculorum cerebri uel à suffocatione spirituum existētium in uentriculis cerebri, uel à repletione frigidæ materiæ existentis in substantia cerebri ut non poßit amplius cerebrum producere uirtutem animalem, causa ergo sunt illa tria uel obstructio uentriculorum, uel suffocatio spirituum uel mala temperatura substantiæ cerebri per affluxum materiæ frigidæ & humidæ, ut nunc scimus magis artificiosum, quia scimus si obstructio est causa aperiendum est, si suffocatio spirituum, quod huiusmodi suffocatio euentetur, & tollatur causa .s. humidi abundantia, si mala temperatura per affluxum indicat, ut tollatur. Sed non propterea curabitis Apoplexiam,

xiam, etiam quod sciatis hæc omnia esse tollenda, sed opor
tet distinguere, & deuenire usque ad ultimum. Iam uidi=
stis, quod à quacunque causa procedat Apoplexia, mate=
ria est semper in cerebro, hoc dixi propter aliquos qui di
cunt Apoplexiam fieri per consensum, quia uenæ Apo=
plecticæ obstruuntur, si ex his credatis Apoplexiam fieri
quoniam obstruuntur istæ uenæ, & arteriæ Apoplecti=
cæ, erratis, quia si supponeretis omnes arterias, & uenas
quæ ascendunt ad caput ligatas esse ut nec spiritus uitalis
nec sanguis ad cerebrum accedat, non fieret Apoplexia,
quia spiraret animal, & anhelaret, sed quia spiritus cere=
bri ab aere attracto generantur, & nutriuntur, si impe=
diretur, utique periret animal, sed homo fieret Apople=
cticus, quia quod ascendit, non facit Apoplexiam, sed quod
descendit, & cum quis strangulatur, non moritur, quia in
tercipiatur id, quod ascendit, sed quia intercipitur spiritus
animalis, qui retinetur dans sensum, & motum, ne suffo=
cetur priusq̃ desinat spirare, immo si diligaretur per de=
cem dies, uiueret tam diu, q̃ diu spiraret, & diu uiuere pos
sunt sine alimento, ideo si uultis uidere Apoplecticum, &
omnia accidentia strangulati, qui tunc morietur, cum
desinit spirare, & ita facit præcise Apoplecticus. Ad
rem igitur nostram redeundo, quia diximus, cum quis
priuatur sensu, & motu est uel propter obstructionem
uentriculorum cerebri aut suffocationem spirituum, uel
ob intemperiem cerebri substantiæ ex defluxu materiæ
frigidæ & humidæ. Ideo si fuerit ex obstructione aperie
mus, si in substantia cerebri fuerit materia, euacuabimus
eam

eam, si ex collisione spirituum, euentabimus, iam ulterius debemus distinguere, & quia scimus naturam morbi, qđ est obstructio, uel mala temperatura totam naturam per pendere debemus ista obstructione posita, cum eam uelimus curare, aut est iam facta, aut adhuc fit, si facta simplicem habemus indicationem aperire scilicet, si adhuc fit, cõpositam, quia quod est factum, aperire debemus, & prohibere futurum, & auertere causam facientem obstructionem, & ita erunt complicatæ, & hoc est considerare terminum morbi, an fiens, an factus sit, tertio accidentia considerantur, sed certe hæc ita sæua sunt, ut sæuiora non possint excogitari, quibus si addetur uirtutis debilitas, uel amissio ex pulsu cognita dicetis, amice uale, si præterea spumam uidebitis circa os, symptoma est deterrẽdum, ideo indicationes ab accidentibus sunt maximi momenti, quia medicus debet tentare rem, quam possit assequi, si igitur imbecillis eius uirtus est, & spuma circa os non tentabitis aliquid, si uero ordinem in pulsu, & anhelitu uidebitis, hanc, si recte curabitis, sanabitis. quarto considerabitis, an sit motus præcipitans, & cum difficultate anhelitus, tendatq́; ad pessimum gradum, talis anhelandi motus indicat, ut statim agatis, quoniam ægritudo non dat indutias, quinto uidebitis an sit bonorum, uel malorum morum, cognoscetis autem hoc tùm ab accidentibus enumeratis, tùm ex causis, si enim à sanguine proueniret, benignior erit, si à pituita, deterior, si à melancholia, desperata est, quia humor rebellis est, nec potest cito euacuari, prout indiget saeuum symptoma. A temporibus uero, quia nulla expecta-

Obstructio aut facta aut ad huc fit.

Indicationes ab accidentibus maximi momenti.

In apoplexia non sunt expectanda tempora

tur concoctio parum considerantur tempora, & licet sit crudus humor, quæ ægritudo non dat indutias, statim agēdum est, quoniam dicebat Hippoc. Extremis morbis extrema remedia conuenire, ideo concoctione non indicatur, nisi ad prognosticandum, si igitur erit partim fiens, & partim facta, factam tolletis, eam, quæ fit prohibebitis, si sint sæua, & maligna accidentia non tentabitis, si opposita curabitis eam, & hæc sint dicta de indicationibus, quæ sumūtur à natura morbi. Ad indicationes, quæ sumuntur à causis iam accedamus, & quia potest habere causas procatarcticas, & antecedentes, quò ad procatarcticas, aeris tantum est habenda ratio, unde siquis suffocabitur à multitudine sanguinis aerem eligemus frigidiorem, euentabilem, si pituita calidiorem, quantum uero attinet ad intrinsecas indicationes, quæ ab ipsis sumuntur, uariæ sunt quia intrinsecarum aliæ antecedentes aliæ coniunctæ sunt, uerbi gratia in sanguinea Apoplexia causa antecedens est sanguis habita tunc ab indicatione sumitur, ut statim euacuetur sanguis per sanguinis mißionem diuertendo, & quia non dat indutias, non erit facienda diuersio ad partes admodum longinquas, quia utilitas illa, uel tarda, uel nulla erit, dicebat Galenus secundo Reg. Acut. Ideo ad cephalicam accedetis & sanguinem magna copia euacuabitis etiam usque ad frigiditatem corporis, & quousque incipiat syncopizare, si pituita, indicatione sumpta à causa antecedente euacuare debetis, & quia non possunt exhiberi medicinæ, in quibus requiritur tempus, ut sunt pillulæ, non est tempus exhibendi eas, sed debemus prouo

Indicationes quæ sumuntur à causis

Procatarcticæ

care,

care, & inijcere cum fistulis pro enemate acutissima clysteria, quæ mordicent intestina, & stimulent uirtutẽ expulsiuam, ut fiat aliqua excretio, & licet non sentiant cũ priuata sint sensu, oportet facere ea, quæ fieri possunt ad minus abluere cum illis abstergentibus, & acribus, frictionibus etiam utuntur isti, sed hoc nihil est, quia non sentiunt, etiam attractio omnis fit per calidum, uel per dolorem, neutrum autem horum fieri potest, ideo remedium leue est, Vbi ergo deest intentio phlebotomiæ rarò habemus instrumenta quæ ualeant, Ventosæ autem uidentur habere aliquid uiolentum, & quia trahunt à partibus propinquis, & illæ ab alijs, & ita fit attractio, Indicationi autem à causa coniuncta, idest à morbo localia apponimus. si fuerit suffocatio spirituum, quæ faciunt euentationem ut spiritus poßint exhalare, si pituita, cum calidis ijs digerentibus per poros, uel attenuantibus, ut descendat per nares, & os, & fit tandem paralysis, ut amittatur pars corporis potius, quàm totum, & hæ sunt indicationes, quæ à causa sumuntur, & à natura morbi. Reliquum est, ut de indicationibus à loco affecto sumptis agamus, postea de his communibus & medijs, & primo communes trademus, secundo particulares, communes quidẽ in loco affecto sunt 8. cap. indicationum, quarum quædam à substantia membri sumuntur, quædam à modo substantiæ, quædam à temperatura membri, quædam à plasmate, & compositione, quædam ab operationibus, hæc cognoscenda sunt de membro, si uultis sumere indicationes ab ipso, si etiam uultis recte curare, A substantia sumuntur

Indicationes a loco affecto sunt octo

a substantia membri.

tur hoc modo, oportet primo uidere cuius ſubſtantiæ ſit, an carneæ, uel muſculi, in quibus caro dominatur, an neruæ, ut cordæ, nerui, ligamenta, membranæ, quæ ſubſtantiæ nerueæ ſunt ſimiliter an plurimi ſanguinis ſint, an uero exanguia, A modo autem ſumuntur indicationes conſiderando an membrum durum, an molle, denſum, aut laxum, & compactum ſit, ſi fuerit membrum ſubſtantiæ laxæ facile curabitur, & facilius penetrabunt medicamenta, ſi aſperum fuerit melius adhærebunt, ſi à loco affecto applicanda erunt, oportet ergo tertio & maximi momenti temperaturam conſiderare, an calida, frigida, humida, & ſicca ſit temperatura, & hic ſunt innumeræ difficultates, quas in præſenti non ſum explicaturus, Habeatis tamen hoc pro regula, & firmum, quod indicationes, quæ à temperatura ſumuntur, cum uultis curare membrum, quod declinauerit à propria temperatura per oppoſitum, nunquam recte ſumentur, niſi conſideraueritis naturam illius, exempli gratia. Vos uultis neruum curare, ut à qualitate paſsiua incipiamus neruum dico uulneratum, quia habet humiditatem ſuperfluam, cum omne ulcus indiget exiccatione in alia eſt caro uulnerata, uultis exiccare carnem, indicatio à temperatura maxima eſt, ſi exiccantia, quæ neruo conueniunt, carni applicaueritis, tabeſcet ſingulis diebus, quia non exiccaret, uti decet, Ideo, quæ naturaliter ſunt ſicca & exiccari indigent, quia longe receſſerunt à temperatura propria, ex quo ſicca conſeruantur in ſicco cum ſunt lapſa in humidum temperatum, ſi talia uultis reducere ad temperaturam propriam, oportet

ut

ut utamini rebus ualde exiccantibus, si uero fuerit humidum, ut caro non indigeretis multa exiccatione quia deduceretis ad contrarium habitum, si uero nimis exiccetur, etiam quod sit siccum in temperamento, ut neruus rigeret, & incideret in spasmum, nec etiam rebus adeo humectantibus uti deberetis, quia siccum, carnem autem cum uultis exiccare non indigetis multum exiccantibus, ita in neruis si ualde exiccantibus utimini ad contrarium habitum reduceretis, idem de calido & frigido prorsus dicendum, si membrum frigidum inciderit in temperaturam frigidam. Vos indigebitis modice calefacientibus, quia debetis reducere membrum ad propriam suam temperaturā, si uero in calidam ualde, ut si cerebrum in temperaturam ad modum calidam incideret, refrigerantibus indigetis, sed ualidis, quia oportet reducere membrum ad propriā temperaturam, si nimis calefacientibus ad contrarium habitum reduceretis, & tunc contraria curatione indigeretis. Dicetis uos cur in Apoplexia euphorbio, & synapismis utimur, quæ sunt calida in quarto dicemus loco suo. Regula autem est hæc, quod membrum frigidum cum moderate calidis est reducendum ad temperamentum, quartus locus à quo sumuntur indicationes à loco affecto est plasma, uel compositio. Ideo oportet uidere, an membrum habeat ductus, uel non habeat, sicut neruus, uel habeat cauernas ut uenæ, arteriæ, cor, cerebrum & renes, & cogitare, an materia poßit deduci per uias illas, nec ne, quintus est colligantia, multum enim refert uidere colligantiā et scire an habeat caudices, & ad quod membrū perue-

perueniat, cui colligatur, & cui communicetur, sicut cor cum cerebro mediantibus arterijs ascendentibus ad cerebrum, propterea compaßionem maximam habent ad inuicem. His uisis, & cognitis eius consensum, & communicantiam maximam, quam unum habet ad alterum, cognoscetis, quod altero affecto corroborabitis aliud, Ideo regula est, quod in Apoplexia corroborabitis, & syncopam habentibus in corde corroborandum est cerebrum, colligantia ergo multum refert, sextus locus est situs, Ideo oportet scire utrum membrum, quod afficitur, sit in profundo, uel superficie, si in profundo, qui operiat ipsum, an os, an cerebrum, an musculus, an cutis, an hæc omnia, si os an densum, an rarum, uel spongiosum, an commissuram habeat, & cuius generis, an sit sutura, uel alterius generis, quia aliter curatur membrum in profundo situ͂, & cum habeat membra cooperientia ipsum. Septimus locus est paßibilitas, & aptitudo ad patiendum, uidendum est, an mordicetur à qualibet leui mordicatione, si fuerit sensibile ualde, & applicetur res mordicans, læditur statim propter sensibilitatem facilius, ideo oculis inflammatis mordicantia non conueniunt propter eorum sensibilitatem & maximam, quod non timeremus in auribus, Ideo acetum scilliticum in aure apponimus, oxymel, quæ nullo pacto oculis applicarentur, octauus locus sunt operationes, & uidendum est cuius sint nobilitatis, ideo Gal. non curat uentriculum, quò ad operationes deseruiunt toti corpori, & si conuenirent relaxantia, ut scyrrho, nunquam simpliciter relaxantibus utitur, neque simpliciter

ter refrigerantibus, quia operationes indicant oppositũ, uentriculus enim continet cibum, ut concoquat ipsum, si uteremini relaxantibus, contentiua uirtus amitteretur, si refrigerantibus, quia concoctio à calido iuuatur, & fit, summe læderetur, et periret, ideo debetis iuuare, ut uirtus concoctrix horum membrorum manu teneatur, Ista sunt octo cap. unde sumuntur indicationes à membro, quæ sunt consideranda curanti, reliquæ indicationes, quæ ab illis medijs sumuntur non multum referunt, quæ enim à uirtute sumuntur, potißimæ sumuntur istæ duæ, si adest, conseruetur, si non adest, regeneretur, quæ ab aere, & consuetudine sunt, potius circunstantiæ, quæ coadiuuant potius, & concedunt aliquid esse faciendum, uel limitant, exerceamini autem in his, quæ à loco affecto, & membro sumuntur, quia cum eritis docti in his, reliqua erunt facilia. His uisis ad curationem in homine Apoplexiæ particularem accedamus, & sit Socrates ille miserrimus, qui ægrotet Apoplexia, uocemurq́; ad eum, primo quid facere debemus, in introitu debetis primo uidere, an sit in paroxysmo, nec ne, uidebitis multoties aliquem per aliquod tempus amisisse sensum, & motum, sed redijsse, conspicuisseq́; attonitum, nec poterit loqui, hebes erit, et obliuiscetur rerum omnium, non recordabitur nomen proprium, mouebitur pigrè secundum omnes operationes, dicunt isti hic in Apoplexiam procedit, qui per breue tempus amisit sensum & motum, sed non incidit, bene fuerunt præludia Apoplexiæ cum, nisi occurratur, incidet, ita ut non amplius reuiuiscat, ideo cum accedetis ad ipsum

ſum conſiderabitis an ſit in paroxyſmo, ſi erit, ſtatim ſine ſenſu & motu erit, ſi uero fuerit in diſpoſitione, quæ tendit ad Apoplexiam aliter erit faciendum, ſed ponamus quod ſit in paroxyſmo iacens ut mortuus ore, & palpebris ſemiapertis, muſculis reſolutis, & tantum reſpiret ſpiritu difficili, ut uideatur coactus, & non poßit diu perdurare ſi hæc uidebitis, dicetis ipſum eſſe Apoplecticum, ſed primum quod conſiderare debetis, cum uideritis talem iacentem, an habeat ſyncopam calidam, uel frigidã, ſi enim calida erit, habebitis cordis palpitationem, pulſus erit inæqualis, ſi digito premitur, clamat, iraſcitur, & ſi loqui non poßit oſtendit ſignis ſe ſentire, ſi frigida non loquitur, ſi acu pungatur, ſentit, quia talem habent ſenſum obtuſum, Cũ autem Apoplectici ſunt, ſi perforaretis brachium, et frangeretis ipſum, non ſentiret, facta iſta diſtinctione, et uiſis ſignis Apoplexiæ ueræ primo celeri curſu cognoſcetis naturam morbi, et perpendetis, quæ nã ſit, & cuius generis primo cognoſcere debetis, an lethalis ſit, nec ne, et hoc ab accidentibus moleſtis ſcietis illam difficultatem anhelitus, quæ facit ad cognitionem maximam conſiderabitis, à ſpuma præter ea id manifeſtabitur uobis, et à ſpe morbi, ſi enim à ſanguine pendebit ſalubrior erit, cum autem iſta cognoueritis, et uidebitis lethalem eſſe, nec poſſe curari prædicetis aſtantibus, quod curari non poßit, quia ſi curabitis eam, dicent, quod remedia fuerunt cauſa mortis, ſi uero cognoſcetis, quod iſte paroxyſmus non eſt ita lethalis propter accidentia remiſſa tamen, & antequam aliquid moliamini, conſulere debetis

debetis uirtutem, an tollerare poßit ea, quæ facere uultis, pulsumq́;, & motum cordis pertractabitis, si ex motu cordis & pulsu uirtus talis apparebit esse, ut poßitis operari, facietis ea, quæ uobis uidebuntur opportuna, si uero imbecillis fuerit, uel non fuerit, affatim rursus cum protestatione operabimini, quia uirtus non tollerabit, unum etiam aliud aduertatis, quod in percunctanda uirtute, uel per pulsum, uel per cordis motum cauti estote, quia sæpe tangetis pulsum, & paruus apparebit, ut nec etiam percipiatur, cordis etiam motus non percipietur, Vos dicetis uirtutem esse imbecillem, cum tamen non ita erit, quia illa paruitas motus non arguit semper imbecillitatem, quia imbecillitas pulsus duplex est, quædam propter uirtutis suffocationem, quæ aggrauatur, quædam propter resolutionem uirtutis, & hæc desperanda est, sed ubi suffocata est, nec dum extincta est, si exonerabitis à pondere, à quo opprimitur, eam reuiuiscere facietis, sed dicetis quomodo cognoscam hæc? legatis Galenū in lib. de causis pulsuum, cap. primo & clarius in tertio de causis pulsuum, cap. de mutatione pulsus ex cibis, ubi docet, si uultis cognoscere imbecillitatem ex resolutione uirtutis ab ea, quæ fit propter oppreßionem uirtutis, ut ponatis manum super pulsum, & cor, & teneatis eam aliquandiu semper à principio usque ad ultimum si semper æqualiter est imbecillis, tunc resoluta erit uirtus, si autem in tertio, uel in quarto, aut sexto, uel decimo, pulsatio imbecillis est, postea repercutere fortiter incipit, & frequenter sentiri per tres uel quatuor repercusſiones, postea fieri imbecillis, et iterum

rum poſtea repercutit, ut prius, non erit imbecillitas ex reſolutione uirtutis, ſed ex ſuffocatione, ſicut baiulus portans maximum pondus, à quo opprimitur, cum ita oneratus eſt, uult currere, ut cito ad finem perueniat, poſtea ita defatigatur, ut uix ambulare poßit, & iterum uult currere, poſtea ceſſat, hanc inæqualitatem ſyſtematicam uocat Gal. Eſt enim ſyſtema collectio multarum rerum ideo cum pulſationes plurimæ ſimul fiunt, ſyſtematica appellatur, & hoc eſt neceſſarium cognoſcere, Cum igitur uultis conſulere pulſum, & uideatis eſſe imbecillem ex grauitate, & oppreßione accingetis uos ad arma, & primo iubeatis, ut æger non iaceat, ſed erigatur, ut ſuſtineãt ipſum duo miniſtri erectum, & iubeatis, ut feneſtræ aperiantur, ut habeat aerem non quidem ubi flet Auſter, nec in loco calido, quia faciliorem habebit anhelitum, iubeatis etiam, ut omnes recedant præter miniſtros, tunc facta hac præparatione, & prope feneſtras ſtans erectus, conſiderabitis utrum huiuſmodi morbus à ſanguine pendeat, quod ex rubedine, & uenarum tumore, quæ atteſtantur ſuper dominio ſanguinis, facile cognoſcetis, ſubito, antequam operemini eſt conſiderandum, an materia ſit in aſcenſu, & an multitudo in toto corpore ſit, uel circa caput tantum, & reliquum à ſanguine derelictum ſit, ſi fuerit repletum, & materia habeat raptum ad caput ſubito faciatis, ut Chyrurgus incidat uenam, & ab utriſque cephalicis magna quantitas ſanguinis extrahatur, non quidem à ſaphenis, quia remedium tardum uel nullum eſt, & poſt duas aut quatuor horas Apoplecticæ poſt

aures

aures secentur, et si necessitas urget, incipietis ab Apople cticis, indicatione sumpta à motu præcipiti, ut habeatis de riuationem promptam, & auersionem, & maxima copia extrahatur, ut sanguis ascendens euacuetur, aliter fieret attractio ad superiora, & nocumentum non modicum cau saretur. in pleuritide miscemus euacuationem cum di= uersione, tamen non ita præceps motus est, ut deri= uatio, & auersio simul fiant, & misceantur in casu, si erit præceps motus indigetis, ut auertatis, & deriuetis per ue nas apoplecticas, his factis duo erunt, qui pannis calidis fricent omnia membra fortiter, & trahant deorsum, ligẽ turq; uinculis brachia supra cubitum, & coxæ supra ge nu sæpe, ac sæpe, & soluantur aliquando, postea ligẽtur, ut fiat fortior attractio cum frictionibus salis, & aceti in pedibus factis, & aliquis tunc fortem, & acutum apponat clysterem, ut intestina abluantur, & indicatione sumpta à causa antecedenti cum satisfeceritis, accedetis ad causam coniunctam, quæ est ægritudo, & à simplici deriuatione, uel sanguisugas post aures apponetis, uel secabitis, uel ue nas aut nasi, aut frontis incidetis deriuando tamen à loco affecto cucurbitulas cum scarificatione (iam omnibus per actis) in uertice capitis ponetis, & si uidebitis raptum ad caput, cum facitis illas diuersiones, oleum rosatum cum a= ceto permixtum supra caput ponetis, quibus factis remo uebitis oxyrodinum, quia non erit amplius tempus reper cutiendi, sed uentosas potius cum scarificatione apponetis item radere caput patientis iubebitis, & fouebitis illud ex decocto aneti, camæmeli, liliorum alborum, ut iuuent de=

coctionem, & faciant exhalare materiam per halitum sine attractione, si etiã res succedet, circa nares apponetis sternutatoria, strutium scilicet & piper, & insufflabitis cũ penna, ut prouocetis sternutamentum, si uero materia inclinetur ad halitum, uel in paralysin transeat, ut ipse non possit brachium eleuare uictoriam habebitis, & tunc à parte affecta trahetis, ut materia ad locum trahatur, & fiat paralyticus, nec trahatis in casu ad oppositum, sed omnibus uiribus faciatis, ut fiat paralyticus, et hoc modo procedendo in hac Apoplexia sanguinea uidebitis paroxysmum pertransire, quo facto non fidatis, sed faciatis ut ponatur in lecto, & in aere non quidem calido, aut humido, sed temperato, & rectum regimen, & uictum ordinabitis, & in ista sanguinea caueatis ægrum à uino, immo ab odore etiam uini, & si senex fuerit mulsam aquam cum zuccaro, & modico cinnamomi bibet, si iunior cum seminibus melonis, uel coriandro, licet isti dicant coriandrum facere stupefactionem cerebri, uerum est cum recens fuerit, non autem præparatum & siccum, quod si timeatis loco coriandri grana hordei accipiatis, & facietis decoctũ cum mulsa, cibus autem tenuissimus erit, sed quia p̃ uiginti dies modus iste erit seruandus, si uirtus fuerit imbecillis, panatellam exhibete alteratam cum seminibus melonum, ne sanguis ascendat ad caput, si ætas robustior fuerit, & uirtus ualida ptisanam hordeaceam dare conueniet, & quia corpus euacuandum est, sufficienter caput est corroborandum, ne materia amplius recipiatur, sed quia diximus in causarum consideratione Apoplexiam sanguineã

fieri

fieri ex redundantia uaporum ſuffocantium ſpiritus in uentriculis cerebri periculum inueniet de iterata ſuffocatione, ideo prouidendum eſt ne uapores aſcendant corroborando caput intrinſecus, & extrinſecus, intrinſecus quidem poſt cibum zuccarum roſatum ſumendo, cuius facultas eſt, ut prohibeat uapores, & ſuis qualitatibus manifeſtis opponitur uaporibus ſanguineis, quia frigidum & ſiccum eſt, ideo habet uim reprimendi, extrinſecus uero oxyrodinum apponendo capiti, & frigida omnia & ſicca cum tenuitate ſubſtantiæ, ne rurſus uapores aſcendãt. His factis ubi uidebis ægrum moueri, diſcurrere, & habere ſenſus uegetiores, prouide, ne rurſus ſymptoma accedat.

Hand-written margin notes: Zuccar. Ro: ſatum.

Supereſt modo declarata Apoplexia ſanguinea, ut de pituitoſa Apoplexia præcipue, quæ dicitur morbus ſenilis, agamus, in curatione igitur huius phlegmaticæ Apoplexiæ debetis diligenter attendere, quia ita curabitis eam, quod nunq̃ diſcedemus à ſcopis, & ab indicationibus iam fundatis, præterea ita procedemus, ut qui recte ſciuerit curare Apoplexiam, habebit anſam curandi omnem aliam ægritudinem à materia pituitoſa dependentem, in Apoplexia ergo propoſita, quando accedetis ad ægrum ſtatim uidebitis, an patiatur paroxyſmum, uel iam tranſiuerit, ſecundo cuius ſpeciei ſit, & poſito q̃ fuerit in paroxyſmo, & Apoplexiam patiatur à pituita dependentem, quoniam de ſanguine ſatis diximus, ſtatim à ſignis, quæ ab intrinſeco ſumuntur, cognoſcetis dominium pituitæ, circa enim ſuperficiem totius candorem exanguem prorſus ui

Circa Phlegmaticæ Apoplexiæ.

Stertor in an-
helando indi-
cat pituita
re in asperis
arterijs.

debitis, ſi tangatis manu, percipietis frigiditatem ſecun-
dum omnes partes corporis, præter ea mollitiem, & ge-
nas tumefactas cum pallore, uel albedine uidebitis, ſterto
remq; in anhelando indicantem materiam pituitoſam eſſe
in aſperis arterijs, & occludere uias anhelitus, præterea
apparebit pulſus paruus, rarus, imbecillis, urina, ſi con-
tingat, ut mingat, erit alba, præter ea à cauſis extrinſecis
facietis iuditium, ætatemq́; maxime conſiderabitis, ſi in ſe-
nili fuerit, coniectura erit, quod pituita dominatur, ſi fue-
rit otioſus, ſolitusq́; comedere frigida & humida, & ſo-
litus ſit uomere pituitam, uel egerere eam, & nunc ſup-
preſſæ ſint huiuſmodi euacuationes, Hæc omnia indica-
bunt talem ægritudinem pendere à tali cauſa, ubi ſciueri
tis hoc per ſigna iſta, & uidebitis ægrum habere paro-
xyſmum Apoplexiæ à pituita pendentem, in cura erit in-
cipere ab eo, quod primo occurrit in diſcurſu indicatio-
num, & eſt homo actu priuatus ſenſu, & motu, indicatio
quæ nobis primo occurrit, eſt, ut remoueatur priuatio,
ſed non poteſt remoueri, niſi cauſa remoueatur, iam ſciui
ſtis, quod cauſa eſt, uel obſtructio uentriculorum cerebri
à pituita, uel infuſa per ſubſtantiam cerebri, ergo remo-
uenda eſt cauſa iſta, & humor pituitoſus, & hæc indica-
tio à materia ſumitur, & quia materia eſt in partibus ſu
perioribus indicatione à loco ſumpta per inferius trahe-
re debetis, & ſic duas habetis indicationes, unam à mate-
ria, ut euacuetis eam, & diuertatis, aliam à loco, ut at-
trahatis per partes inferiores, item excitare uirtutem ani
malem, ut faciatis operationes proprias, ſed neque hoc
fieri

fieri potest, & si primum sit quod, fieri debeat, nisi prius exoneretis eam, exemplo muli, qui oneratus onere magis q̃ eius uires requirant, caderet, nullus mulio ita fatuus est qui stimularet ipsum, ut surgeret, nisi leuaret prius onus, postea excitaret, ita facit bonus medicus, cum ægrum in paroxysmo Apoplectico uidet, quia grauata est uirtus præ nimio pondere pituitæ, quærit primo euacuare eam, secundo excitare naturam, & istæ indicationes conueniunt paroxysmo, euacuare autem indicatione sumpta à materia, ut per deorsum à loco, & si possimus simul euacuare, & diuertere, quia casus non dat indutias, ideo oportet confestim accedere, & occurrere, & inuenire instrumentum, quo euacuetur materia peccans, & diuertatur, & duo sunt, quæ possunt hæc facere, uel phlebotomia uel pharmacia trahens deorsum, sed non licet uti phlebotomia, quia non peccat sanguis, sed pituita frigida & humida tantum, quia magis refrigerabitur sanguis, & ægritudo ueniet deterior, sed nec per pharmacum possumus euacuare, quia oportet, ut exhibeatur per os, quomodo autẽ deglutietur cum deficiunt sensus, & motus, & deglutio fiat per musculos, cum sit actus uoluntarius, caremus autem utroque auxilio, quid igitur faciemus? non oportet desistere, nos inuenimus duo remedia ad euacuationem, et auersionem materiæ peccantis primum est usus clysteriorum secundum frictiones eo modo factæ, quo dicam, ex frictionibus enim habemus euacuationem, & per clysteres materierum crassarum & absque eo, quod Apoplecticus operetur, possumus inijcere eos, & habebimus optimum

Quæ indica: tiones conue: niant in pa: roxismo.

Clisteres.

Frictiones.

iuuamentum, quia optime ducentur ad actum non quidem à uirtute sensitiua, nec motiua, sed à uitali, & naturali, quæ supersunt, propter ea talis medicina per clysterem iniecta ad actum deducetur, & fiet attractio humorum, si inijcientur medicamenta, quæ trahant ut Agaricus, colocynthis, & multa alia, quæ dicemus, erit etiam expulsio, quæ est actio uirtutis nutritiuæ, clyster igitur erit instrumentum necessarium, & quoniam res urget, & acutissima est ægritudo incipiemus non à leuioribus, ne paremus interitum ægro, quia extremis morbis extrema &c. clysteres igitur erunt acutissimi, ut uiolenter attrahant materiam à superioribus ad inferiora, nec satis laudabitur Rasis in hoc casu, qui per clysterem proposuit admodum conuenientissimum ad euacuandum materiam peccãtem, facit igitur acutissimum clysterem qui talis est, RECIP. PVLPAE coloquintidæ, buchor. aristolochiæ rotundæ, centaureæ minoris, cyclaminis, ellebori albi M. i. coquantur omnia in lib. iij. Aquæ donec ad libram unam redigantur &c. Notetis primo domini ea, quæ ingrediũtur, nos diximus in hoc casu dominari pituitam, nihil autem conuenientius inueniri potest ad euacuandum pituitam ex Hipp. Dios. Gal. & Mesue, q̃ ipsa colocynthis, in quacunque parte fuerit pituita, etiam quod crassissima fuerit. Agaricus præterea ingreditur, qui quantum ualeat ad materiam pituitosam euacuandam ex Dios. & Gal. habetis, qui & crassissimam, & à longinquo trahit, quantum etiam centaurea minor in crassis, & frigidis humoribus ualeat, indicatur ex hoc, quia sanat & purgat dolorem,

scia-

sciaticum, qui pendet à materia frigida & crassa impacta in neruis, & musculis tibiæ, & in os gluten facit, ut dislocetur tandem quandoque pars illa, & Diosc. extollit eam ita ut clysteres, ex ea sanguinem ducant, non pituitam modo, habetis præterea bothormarien, & Artanithã, qui nihil aliud importat, nisi herbam Mariæ, oportet autem hariolari quæ sit ista herba Mariæ, cum omnes Arabes, & exponemus ipsos sint adeo inconstantes, ut non reperiantur duo, qui conueniant in sententia. Nonnulli uolunt Artheanithen esse speciem ciclaminis, cuius duæ aut tres sunt species, altera est quam habemus in hortis omnibus notam, altera raro inuenitur, apparet autem in nemotibus, quæ habet folia rotunda, & parua similia hederæ, tertia species lanaria ab alchimicis uocatur, & unicum foliolum cum fuste, & caudice paruo habet cũ flosculo purpureo, & folium illud commune ciclamenis, harum specierum duas cognouit Gal. & Diosc. tertiam Plinius, an igitur alteram istarum intelligat Rasis, nescio, aliqui dicunt buchormarien esse aristolochiam rotundam, siue malum terræ forte ex similitudine nominis, sed siue sit aristolochia, siue non, ipsa quidem aristolochia habet maximam uim abstergendi, aperiendi, & facit abortum, & menses aperit, & ex sola appensione, immo si prægnans pertransierit campos aristolochiæ, facit abortum, erit igitur herba Mariæ uel species cyclaminis, uel aristolochia rotunda, credo tamen esse aristolochiæ speciem, quàm cyclaminis, quia Rasis post buchormarien addit Arthanitham ergo species cyclaminis est. est autem

Elleborus albus.

Arthanithis, quam nos panem porcinum uocamus, efficacißima ad euacuandum craſſos humores, ut etiam lienem comminuat, ultimo ponit elleborum album, quia ita efficax eſt, ut non ſolum pituitam educat, ſed nunq̃ ceſſat quouſq; exiccet membrum, & ſpaſmum inducat, ideo plurima pituita debet eſſe, ubi exhibetur elleborus, ideo remouerunt album, & audent ſuper nigro tantum, qui magis melancholicum trahit humorem, albus uero magis pituitoſum & ita Raſis uoluit in caſu iſto magis album exhibere, ut ſtatim educeret materias, non uoluit conſolari medicinas, neque tantillum quidem huius medicamenti quod conueniret poſuit, quia clyſter non pertranſit inteſtina craſſa, nec accedit prope membrum nobile, & ne multam moram faceret, non fuit opus, ut refrigeraretur ope medicinarum, ſed cum ſuo robore permaneret, ut cito, et uiolenter poßet attrahere, ideo correctione non indigebant, quod non feciſſet Raſis ſi per os ſumeretur, quia hæc nunq̃ in pilulis ponit, niſi confortentur cum remouentibus uenenoſitatem, & malas qualitates, modus autem eſt, ut tres libræ aquæ ſumantur, & decoquantur, ut remaneat libra una, & recte, quia radices iſtæ cum craſſæ ſint ſuſtinent maximam decoctionem, quia partes aereæ efficacißimè tenentur cum partibus aquæ, quæ duo optime ſimul complicantur, ideo mira arte compoſuit Raſis clyſterem iſtum, & erit optimus cum reliquis, qui currunt in uſu, in delicatis autem, ſicut in mulieribus, & in pueris hæc non conuenirent, quia ſcinderetis inteſtina, ideo colocynthis, & elleborus albus eſſent remouenda, & centaurea in minori quan-

Modus [illegible]

quantitate, quia indicatione sumpta à corpore affecto, & à temperetura minorem facietis. Factis his clysteribus, qui euacuant materiam peccantem, & auertunt à partibus superioribus ad inferiora in tàm uasta ægritudine non persistetis, sed ad secundum genus deuenietis ad frictiones scilicet ideo duo ministri cum pannis calidis fricent brachia, pectus, humeros, & tibias deorsum, & sint longæ, nō asperæ, quia dicebat Gal. in 3. de tuen. san. frictiones, quæ fiunt comprimendo, non euacuant, sed exprimunt meatus, nec corpus transpirat, Ideo si uultis, ut exhalet, sint leues, ut aperiantur poti, neque continuentur cum pannis calidis, sed inungantur manus fricantium tali medicamento, quo Ego sæpe felicissime usus sum. Recipe amigdalarum amararum, unc. i. euforbij drag. i. castorei drag. ij. misce, & fiat linimentum. Habetis ex oleo, et castoreo euacuationem per poros, Ex euforbio adustionem, qua cum excitabitur sensus, & dolorem inferendo, quod requiritur ægro iam tendente ad salutem, ideo & synapi thapsiam, & nasturtium, & cantharides, quæ faciunt adustionem, & anacardum addere poteritis, & soleo ego uti oleo de Tartaro, & de euforbio, & laurino, sed melius est oleum de Tartaro, quoniā tenuissimæ substantiæ est, est autem Tartarum fex uini, & habet resoluendi, & aperiendi uim, fit autem oleum sic fex uini potentis, aut maluatici in sacculo lineo ponatur, in loco humido, puta in apotecha uinaria subterranea, & appendatur uasi unde trahitur uinum, & sub hoc sacculo uas apponere, distillabitur oleum ab illo, & recipietur in alio, ad hūc

Frictiones sint lenes non asperæ.

℞.

oleum ex Tartaro quomodo fiat

eundem usum plurima est materia, quæ poterit id efficere, modo fiant frictiones istæ calidæ, ex calidis & aperientibus, Et ita habetis duo ista instrumenta euacuandi, & trahendi à superioribus ad inferiora, habetis etiam alia diuersiua simplicia sine euacuatione, & ligaturæ dolorosæ ligando extrema prope genu & supra cubitum, et sæpe soluere, & sæpe ligare, Pedes autem fricare cum sale, & aceto, & fiet per rectam lineam attractio, quæ est efficacissima. Alij uero hæmorrhoidas confricant cũ rebus asperis, ut doleant, & ex illo materia per rectum attrahatur, quia uident melancholiam & multas alias ægritudines per hæmorrhoidas sanari, ubi igitur fuerit sufficienter euacuatum, & natura exonerata, post exonerationem debetis uestrum ægrum excitare, ut surgat uirtus, & primo calefacietis cerebrum iam refrigeratum interius & exterius remedia applicando cum motu maximo, principale remedium est excitare sternutamẽtum, ex sternutatione enim maximus motus est omnium, qui fiunt à natura, licet causam præter naturam cum uoluntate habeat, fit maxima excitatio naturæ & euacuatio, neque hoc dimittit Rasis, sed proponit efficacissimum, condisi lingua Arabica strutium à Græcis dictum, à Latinis herba lanaria, qua utebantur ad lanas purgandas, quam etiam radiculam appellant, & seruabatur ad hunc usum olim cum maximo prouẽtu, sed quoniam eius usus desijt, loco illius alumine utimur, Est autem herba, quam uidere frequenter possumus, quam uulgares saponariam uocãt, hanc dicunt esse lanariam herbam, sed falsò, quia habet flo

res

Sternutamentum

Struthion

Lanaria

res plantaginis, ſed diſsimilis eſt, & folia habet ſimilia lau ro, uel media potius in magnitudine inter lauri, & oliuæ folia, habetq; caulẽ pulcherrimo flore, radices habet par uas oblongas, nullus tamen floris colorem pinxit, ſed mi hi oſtenſa fuit prope lacum Benaci in montibus habere purpureum florem, Aliam etiam, quam meminit Dioſc. & ptarmicem appellat, quoniam prouocat ſternutatio= nem, & profert uirgula fruticoſa abrotano ſimilia, folia & flores habet ſimiles chamæmeli, & naſcitur in mon= tibus, & ſaporem acrem habet, ponit Raſis elleborum, uterq; eſt efficaciſsimus, ſed albus excellit nigrum, ſed quia excutit nimio motu nigrum eligetis, ualet ad idem ſuccus cyclaminis cum melle, & naribus inſtillatus, & il= litus ad cerebrum purgandum, Item ſuccus elaterij, ideſt cucumeris aſinini idem facit, & ſunt facillima hæc para= tu, deinde non erit paruum remedium radere caput, et po nere aliquod calefaciens, & Raſis patellæ fundum ignire iubet, & capiti adeo uicinare, ut capilli ferè adurantur, quia ex tali actuali calore materia extrahitur exterius, et uirtus excitabitur, & hoc facit, quia uult cito hoc facere, ſi autem ſynapiſmi, & dropaces, & ueſicatoria appone= rentur, non actuarentur à natura, quia uirtus ſopita eſt, Ideo optime inuenit remedium hoc, ut cito faciat effectũ, item ad excitandam uim ſi quis illiniret manus ex oleo, in quo decocta ſit colocynthis, & ponat circa fauces, & il= liniat, & fricet eas ad extrahendum percolatoria pitui= tam, & ratione ſuæ amaritudinis ad excitandum optime faceret, Item ſiquis pungeret ipſum hominem clamoribus

ma=

Ptarmica

Ellebori v: vires

Succus ela: terij.

maximis, maxime à uocibus gratis illi, & alte ad uiden=dum, si forte uirtus excitaretur, non inconueniret, & cũ aperit oculos hortari ipsum ne timeat, & speret, ut excitaretur uirtus. His factis iam omnia ingenia ad remouendam causam coniunctam habuistis, Desunt modo tria fa=cienda, Iam debetis scire quod cerebrum est affectum per accidens, & spiritus fuerunt resoluti ex maxima pugna cum aduersario, propterea refrigeratum fuit, oportet corroborare ipsum recreando spiritus, & remouendo refrigerationem, & hoc agendum est indicatione sumpta à loco affecto, & quia adhuc est causa antecedens, licet coniuncta sit euacuata, occurrendum est causæ antecedenti, & euacuare ipsam, quæ sparsa est per totum corpus, Ideo debetis corroborare spiritus, secundo euacuare causam antecedentem, idest pituitam, quæ non facit actu, sed factura est, tertio remouebitis paralysin, Causam quidem euacuabitis indicatione sumpta à causa, & quia pituita est crassa, uiscida, adhærensq; parietibus, & præceptum Hip. est. Concocta medicari oportet &c. Ideo concoquenda erit, & nolite imitari Modernos in hoc, qui incipiunt semper à leuioribus, postea accedunt ad fortiora. Hos e=nim decipit Gal. 5. Meth. qui incipere à leuioribus dice=bat, ibi est parare infirmo longum interitum, & nulla in=dicatio indicat hoc, bene indicationes à loco affecto, & à temperatura indicant, ut si fuerit pueri, uel mulieris temperatura, fortiora non conueniunt, quia non tolleraret, sed in robusto, & materia crassa statim ad fortiora accedere debetis, quia remedia sunt æquanda morbo, quia à pro=

Tria restant facienda.

An semper a levioribus incipiendum

proportione maioris inæqualitatis prouenit actio, & quoniam materia est pituitosa, crassa, frigida, ualde incidētibus indiget, si fuerit puer, uel mulier oxymellite. s. acetoso, uel oxymellite composito utimini si robustus ad oxymel compositum, ad oxymel scilliticum, ad oxymel Iuliani lib. 7. descriptum, accedetis ad concoquendum, incidendum, & abstergendum, & sic facietis. Recipe oxymellis scillitici unc. i. s. mellis rosati &c. Sed debetis unum aduertere, nunquam debetis accedere ad ultimā partem, idest ad excitationē uirtutis, nisi primis duabus prius satisfeceritis, hoc est diuerteritis à superioribus ad inferiora, & nisi euacuaueritis materiam coniunctam, tunc localia sunt tentanda hoc dixi, quia nonnulli sunt, qui subito cum accedunt ad Apoplecticum, & legerint unum remedium esse in Rasi, ut apponatur patella ignita prope caput, ut ferè urantur capilli, aut tale aliquid actu calidum, aut sacculus millio feruefactus & applicuerint talia remedia in principio, fuerint causa, ut suffocarentur, quia ex tali caliditate actuali maxima pars materiæ attraheretur, Cum igitur incipit homo moueri, & iam materiam ad partes inferiores descendisse localia remedia iuuabunt, Et hæc quantum ad eam partem, cum est patiens adhuc in paroxysmo. Alteram partem incepimus, quæ à causa antecedenti sumitur, cum iam sublatus est paroxysmus, & id, quod remanet dispositum præter naturam, remoueri debet, & tres indicationes oriuntur, prima à causa antecedente, quæ obsidet totum corpus, licet coniuncta sit remota, & ablata, & hæc indicat euacuationem, Alia su-

Quid agendum sublato paroxismo.

ſumitur à loco affecto, quia propter paroxyſmum tàm ſæuum cerebrum eſt imbecillimum, tùm propter reſolutionem ſpirituum, tùm ob refrigerationem ex tàm ſæuo accidenti frigido, & hæc ſecunda ab imbecillitate ſumitur, tertia à ſymptomatibus, quæ relinquuntur poſt Apoplexiam, ut paralyſis, ſtupor ſenſuum, & priuatio uocis, & ſermonis, Iſta omnia ſunt remouenda, Cum igitur ſint iſtæ indicationes, perficiemus hæc omnia, & docebimus, quomodo curanda ſit Apoplexia ſumpta indicatione ab his tribus, & à cauſa antecedente incipiemus, hæc cum ſit materia, indicat euacuationem, & cum ſit pituitoſa, quæ uel uiſcida, uel craſſa, uel utrunque habet, quatenus uiſcida eſt abſterſione indiget, materia ergo hæc cum ſit talis utroque indigemus, inciſione, & abſterſione, antequam euacuetur, habemus ergo hanc diſtinctam indicationem, ut incidatur, & abſtergatur, hoc duplici inſtrumento facere debetis, uidelicet medicando, & inſtrumento quod adhibetur per cibum, & potum, & rectam adminiſtrationem ſex rerum non naturalium, & in hoc attendatis, quia maiorem laudem in hoc, quàm in primo habebitis, Cum ergo intentio ſit attenuare materiam, & incidere eam, aerem calidum eligetis, alterabitisq; cubiculum cum rebus calidis, & ſiccis, & odoratis, quæ tamen tales ſint, ut non repleatur caput, Ideo cum aceto extinguentur, gariofilum, nux muſcata, Nigella, & pulverizata in olla, ubi ſit acetum cum aqua roſacea, bulliant in cubiculo, quia modice calefacient aerem, & ſiccum facient. Quo ad ſomnum, & uigiliam laudo, ut parum dormiat, quia uigiliæ

Antecedens & Mã pituitosa

liæ ſunt utiliores, dormiat quantum ad concoctionem materiarum craſſarum ſatis ſit, nec refrigeſcat caput hominis refrigerati, & non dormiat in meridie, quia infrigidatur caput, & repletur pituita, Ideo ad uigilias declinet, quo ad inanitionem, & repletionem ſit tenuis, non attenuans, ideſt parum comedat. Circa accidentia animi potius debetis cauſare, ut iraſcatur, & accendantur ſpiritus, & inflammetur calor, quia materia exagitatur. quo ad motum, & quietem ſi poſſet exerceri, eſſet bonum, Vult Paulus, ut ſuper currum portetur, ſed non eſt tutũ propter aerem, ne caput lædatur, ſed loco exercitij frictionibus longis utatur calidis manibus præparatis ante cum oleo calido, & ſicco, Circa cibum, & potum debet eſſe cibus attenuans tenuis, cum minus, quàm conueniat alimento, comedit, ſed attenuans, ideſt ſubtilis, ut concoquat materias, attenuans autem licet ſufficiat in quantitate pro alimento alterari poßit cum calidis, & ſiccis, & acribus, quæ humores attenuant, debet ergo habere acrimoniam, ut calefaciat, & exiccet, & incidat, & minimi excrementi ſit, ut in æſtate pullorum caro, & hædina, Auiũ montanarum paruarum, quia habent modicam ſuperfluitatem, & caro leporum iuuenum, quia ſeniores habent nimiam ſiccitatem, & humores craßiores generant, Et in iuſculis decoquere, anethum, gariofilos, aniſum, macim, ciminum ac quæ amara ſunt, ut incidant, ut urinam prouocent, & materiam concoquant, quæ regulæ ſunt communes ad omnes ægritudines frigidas, In omni ægritudine à pituita pendente, Circa potationem abſtineat à uino, & ad potio=

Regulæ communes in omni frigida ægritudine.

tiones declinet, quales sunt oxymel simplex, & oxysacha=
rum simplex, siue uino granatorum ex aceto, & saccaro
composito, quæ quidem oxysaccharo permisceatur cum
decocto ex cimino aniso fœniculo, cinnamomo, mace, nu=
ce muscata secundum uarium gustum, Et ita habetis quo=
modo sit regendus Apoplecticus in sex rebus non natu=
ralibus. sed quæreret aliquis cur à uino abstinebimus
cum maxime recreet spiritus, & calefaciat & utro=
que indigemus, calefactione, scilicet cerebri refrige=
rati, & spirituum recreatione? dicimus quod licet pos=
set recreare spiritus, et calefacere, non tutò hoc fiet,
quia maius esset nocumentum, & non faceret iuuamen=
tum, ut exemplo alicuius resoluti ex syncopa, cuius uen
triculus esset imbecillis, plurimo .n. indiget nutrimẽto, ni
hilq; commodius esset carne porcina, & tamen nihil pe=
ius esset, quia uentriculus non posset ratione imbecillita=
tis conficere, ideo non posset id, quod intendimus, assequi,
Ita uinum ubi dominatur, utique generaret bonum san=
guinem, sed quia cum est in uentriculo euaporat ad ca=
put, & multos facit uapores, quia calida & humida eua=
porant plurimum ad caput, qui uapores crassefiunt, &
descendunt materiamq; occupant spirituum, quia in pitui
tam uertuntur, & plurimas faciunt ægritudines, & ideo
bibaces plurimo titubant catarrho, & quia uapores de=
scendũt per uenas & arterias, & per neruos podagrici
fiũt Apoplectici, Arthretici, nulla alia de causa nisi pro
pter multitudinem uaporum ascendentium, qui aggrega=
ti descendunt per uenas, arterias, & neruos, & malos

(ut

(ut dixi) in generant ægritudines, Et hæc ſatis ſint quò ad concoctionem pituitoſæ materiæ per rationem uictus in ſex rebus non naturalibus quò ad ea, quæ concoquunt, attenuant, & abſtergunt. In ratione medicamenti ſunt omnia genera ſyruporum, ſeu apozimatum, & inter reliqua ſcire debetis, quod in eligendis ſyrupis indicationes à materia ſumuntur, ſi materia multum craſſa, & uiſcida fuerit rebus multum abſtergentibus, & incidentibus indigemus, ideo oxymel Iuliani, & oxymel ſcilliticum multum ualent, ratione enim amaritudinis abſtergunt, maxime ratione acrium habent uim incidendi, ut in ſcillitico ratione aceti incidit, & quia ſcilla amara, & acris eſt poteſt maxime abſtergere, ſi non ſit ita uiſcida, uel ita craſſa minus abſtergentibus, & incidentibus utemur, ut oxymelle ſimplici uel acetoſo.s. ſyrupo de ſtæchados, ſyrupo de betonica, de hyſſopo, qui moderatius incidunt, & abſtergunt, ita quod ualidiſsima ſint incidentia, ubi craſsiſsima materia ſit, & ſyrupi ſint abſterſiuiſsimi, ubi materia ſit maxime uiſcida, indicatione autem ſumpta à loco affecto, licet materia abſtergentibus maximis, & incidentibus indigeret, ſi fuerit puer, uel mulier, aut alias habens ſtomachum ſenſibilem, & debilem, & exhiberetis medicamenta talia, natura reſpueret actionem ipſorum, & faceret mordicationē, & ulcerationem in inteſtinis, ideo ad leniora declinamus, & ubi ſunt contrariæ indicationes, debetis attendere, exempli gratia pituita ualde uiſcida, & craſsa ex una parte eſt, ex altera eſt corpus pueri, uel ſtomachus imbecillis ponderare debetis hoc, & ſi exhibebitis talia inciden-

tia, debetis corrigere acrimoniam eorum, ſicut facit Gal. qui in ſecundo Methodi corrigit oxymellitis acrimoniam, quia timeteam, ideo poſuit mel roſatum, ut frangeretur nimia abſterſio, & acuties oxymellitis, ita uos facere debetis cum adhibetis medicinam abſtergentem, & incidentem ualde, ne fiat eroſio, uel mordicatio in inteſtinis, corrigetis autem cum re craſſefaciente, ratione maximæ tenuitatis & quia incidentia omnia acria ſunt cum emplaſticis moderabitis eorum acrimoniam, & abſterſionem, Et iſtæ ſunt indicationes, quæ à cauſa, & loco affecto ſumuntur, quæ dant uarium modum exhibendi, ut modo fortiora, modo leuiora exhibeantur, nec regula illa, à leuioribus inchoandum eſt, alicuius momenti eſt, quia nihil indicat à leuioribus eſſe inchoandum, bene poſſetis dare caſus, in quibus id eſſet faciendum, ut ſi ſtomachus repletus eſſet crudis humoribus, & primo uenæ meſeraicæ eſſent repletæ crudo illo humore, non liceret ab acrioribus ſed à leuioribus inchoare indicatione ſumpta à natura materiæ ideſt ab humore crudo, quia ſi à multum incidentibus, & attenuantibus inciperemus materiæ, quæ crudæ ſunt irregulariter inciderentur, & tranſirent per uenas, & magis infrigidarent, ideo ſtomachus debet eſſe prius mundificatus, & uenæ primæ ab humoribus crudis, ideo bene facit Gal. in quinto de Tuend. ſan. qui in principio crudis exiſtentibus humoribus non à diachalamento, ſed à diatrion pipereon incipit, uel ab alio, ideo non habeatis hæc pro axiomate, quod à leuioribus ſit inchoandum, immo ſi quæratis ab iſtis rationẽ, neſciunt reſpõdere, uel reddunt hanc

Quando a leuioribus incipiendum

hanc causam particularem, quando uultis narrare remedia ualde fortia, & acria à materia uiscida, & non uiscida, & à loco affecto indicationes sumetis, considerando an corpus robustum sit, uel molle cuicunque alterationi subiectum, ut sunt corpora mulierum, & puerorum, istis indicationibus sumptis scietis, quæ medicamenta sint eligenda, an oxymel simplex an syrupus acetosus, uel de betonica, uel de hyssopo, uel acetosus compositus, & cum his oderitis ponere, uel aquas, uel apozema, quantum ad aquas destillatas dico, quod aquæ omnes distillatæ sunt frigidæ, & si à calidißimo simplici distillentur, præsertim ab herbis, ideo caueatis ab ipsis, etiam si fuerint fœniculi, maioranæ, chalamenti, absynthij, si autem esset materia calida non timerem aquam endiuiæ, uiolarum, & reddemus aliàs rationes huius rei, secus autem cum calefacere, & exiccare uolo, quia aquæ refrigerant, & humectant, debetis ergo uti decoctis, ut est decoctum ex aniso, fœniculo, cinnamomo, ameos, carui, nucis muscatæ, gariophylorum, zingiberis, & omnia quæ calefaciunt, & exiccant cum tenuitate substantiæ, quia uim habent abstergendi, & incidendi, & hoc modo facietis in corpore etiam delicato, recip. oxymellis scillitici, & syrupi de betonica, uel de stæchade simplici mellis rosati colati ana unc. s. Decocti anisi, uel fœniculi, uel cinnamomi, uel omnium simul unc. iiij. misce, & detur in aurora calidum ad incidendum & abstergendum pituitam conueniens, & exhibebitis sex, uel octo, uel septem, uel x. quousque concoctio in urina apparebit, deinde euacuabitis cum pillulis cochijs, uel fœtidis, uel cum

Omnes Aquæ distillatæ sunt frigidæ

Sirupus

Pillulæ

hermodactilis, aut cum confectione Hamech, uel Hieram accipietis colocynthidis, uel Ruffi, uel lazuli, & si uelletis exhibere pillulas cochias, scrup. iiij. exhibebitis, & reformentur cum melle rosato, & aqua, quam uultis, & fiant tres uel quinque secundum quod sumens est aptus, & deaurentur, sumanturq; in aurora, deinde per sex horas abstineat à potu, & sumat debilem cibum, uel ptisanam hordeaceam, uel panatellam, si fætidas, drach. i. sit contentus, si de hermodactilis non transeatis drach. i. si confectio Hamech non transeatis drach. iiij. si hieram colocynthidis drach. ij. si logodionis, uel hermetis drach. iij. non transeatis, & istas hieras si uultis habere, uideatis Paulum in libro septimo si confectionem Hamech, habeatis eam à materia Mesue, si uultis pillulas fætidas, habeatis eas à Rasi in capit. de paralysi, si cochias à Rasi in cap. de dolore capitis, & in Lumine magno, modus autẽ exhibendi medicinas istas est sciendus, nec faciatis, sicut faciunt, isti, qui uel lenitiuum uel syrupum rosatum solutiuum, uel caßiam semper addunt, habentq; ueluti præscriptum, q̄d nisi addatur aliquid horum non posse id facere quoniam potiones istæ sunt amaræ, ideo quo breuiores magis operantur quia optime actuabuntur, ideo dissoluetis eas cum decocto cinnamom, ianisi, cimini, Et si dulcedinem uultis addere iuleb rosatum, aut uiolatum poteritis ad quantitatem unc. i. & si odorem dare uolueritis cum musco, aut ambra, & erit parua in quantitate, & gratißima gustui, & sufficiens, sed quoniam sæpe estis in aliquo oppido, ubi est necessarium operari & non habetis talia medica-

dicamenta, & non uultis colludere, aut illudere, & conuenire cum aromatarijs, & creditis, quod non habeant hæc, uel corrupta, aut antiqua, & erit neceſſarium conficere medicinam ex improuiſo, uolo, ut habeatis artem cõponendi, & quoniam omnia illa medicamenta, de quibus diximus, habent duo tanquàm baſes, agaricum ſcilicet & colocynthida, ex his enim habent, quod id faciant, dum modo habeatis hæc duo, poteritis ſine pillulis cochijs euacuare, fætidis, & alijs, bene ſi poſſetis habere, quæ ſunt conſolata, melius eſſet, ſi uero non poteſtis habere regulas habeatis componendi medicinas, ut ſtatim poßitis, ex his puris componere. debetis ſcire quod in componendis medicinis ſolutiuis hæc eſt regula, debet prius conſolari medicina, uel quia habet uenenoſitatem, ut elleborus, colocynthis, ſcammonea, tithimalli, thimelæa, chamælea & lacticinia purgantia uehementer, quæ ſi ſine correctione ſumerentur interficerent, ſi ergo uultis occurrere illi uenenoſitati, ne noceat cordi, & ſpiritibus, quia uenena interficiunt, quia contraria ſunt ſpiritibus, & calori innato, & cordis uirtutibus cum odoratis occurretis, quia tollunt uentoſitatem, & hoc docuit Hippo. in ſecundo Reg. acu. cum exhibiturus eſſet elleborum, uel peplium ſeſili, uel daucum, aut aniſum permiſcet, ut reſiſtat uenenoſitati, uel corrigimus manifeſtam qualitatem, quia uenenoſitas eſt dißimilitudo quædam inter formam humanam, & medicinam, ideo corrumpit ſpiritus, & calorem innatum propter formam occultam, odorata autem, quia ſunt familiaria, & amica naturæ, & formæ humanæ, propterea re-

ſiſtunt ueneno, ſi ergo manifeſtæ qualitati occurrere uultis, quia medicina habeat caliditatem exurentem, & adurat fauces, ſtomachum, & inteſtina, & uultis corrigere caliditatem talem Dioſcorides docet thimelæam ideſt Mesereon ab Arabibus appellatum, à Latinis piper Montanum, quæ herba eſt notiſsima, & tantæ caliditatis, ut ſi in ore ponatur exulcerabit palatum, cum polenta hordeacea corrigere, uel cum farina, quæ uim emplaſticam habeat ad obtundendum acrimoniam. Meſue uero cum mucilagine Pſilij, uel ſucco portulacæ, aut ſemperuiuæ, uel quocunque alio frigido & humido in tertio, ut tollatur caliditas nimia, uel uultis corrigere ualidiſsimam abſterſionem & corroſionem, quia propter abſterſionem ualidam inteſtina aliquando corrodunt, ut in colocynthide contingit ratione ſuæ amaritudinis, & tenuitatis ſubſtantiæ, ob quam inteſtina adeo abſterguntur, ut excorientur, & eorum uiſcoſitatem abradant, tandem ſubſtantiam inteſtinorum, occurritis autem cum emplaſticis obtundentibus abſterſionem. Abſtergentia nanque emplaſticis directo opponuntur, ſi ideo contraria contrarijs opponantur, Et ideo Meſue bdellium, tragacãthum, maſticen gummi apponit. Vel corrigitis medicinam propter maximam tenuitatem ſubſtantiæ, & acrimoniam, ideo cum re craſsitiem habente ſubſtantiæ, & aſtringente, reprimente acrimoniam, & tenuitatem occurritis, cum pomo citonio, uel coquimus eam in pane, ut auferant tenuitatem ſubſtantiæ. Vel cum nimis eſt craſſa corrigitur, ut aloe cum cinnamomo, aſſatur, ut cum his, quæ penetrent miſcemus, & facimus hie=

hieram ſimplicem. Vel nos corrigimus imbecillitatem edu cendi quia aliquæ medicinæ attrahũt quidem potenter, ſed reſoluitur uirtus earum, non educunt, quod attraxerunt, niſi tarde, ſicut Agaricus, ideo tardæ operationis, attrahit quidem multas ſuperfluitates ad uentriculum, poſtea facit nauſeam, & ne ibi permaneat, coniungimus cum eo ſicut Meſue, & Actuarius faciunt ſal. & oxymel, quoniam ex his irritantur inteſtina; & ad exitum præparantur maxime cum ſale gemmæ. In propoſito modo, uultis infirmo exhibere medicinam attrahentem, & euacuantem pituitam, nec habetis eam præparatam, uultis præparare, ſcitis quod Agaricus, & colocynthis euacuant pituitam, oportet etiam ſcire quod colocynthis ab octo granis uſque ad xx. id efficere ualet, Agaricus uero à drach. i. uſque ad drach. ij. uultis Agaricum ſolutiuum, & colocynthida ut calcar, ita faciatis, iubebitis, ut Agaricus inciſus cum ſale gemmæ minutiſsime, & ſubtiliſsime contundatur, & conteratur, quia per ſe Agaricus ratione ſuæ tenuitatis, & leuitatis non poſſet conteri minutiſſime, & ſic faciendo, recip. Agarici electi drach. i. s. ſalis gemmæ drach. s. contundantur ſimul ſubtiliſsime omnia, poſtea conficiantur cum oxymelle, & ita præparatis Agaricum. Ex alia parte iubetis ut grana, viij. ſumantur colocynthidis, dragacãthi uel bdellij, uel gũmi arabici ſcrupu. i. & ita conficiatur, & cum modico iuleb uiolato ad obtundendam uim colocinthidis, & hæc poſtea ſimul componantur, uel ſub forma pillularum, uel cum decocto aniſorum, uel cinnamomi & habebitis medicinas correctas

Agaricus [illegible] tardus.

Quomodo Agaricus præparandus.

Quomodo colocynthis

ex decocto, & habebitis rem gratam spiritibus, quia colocynthis habet in se uenenositatem, poteritis addere etiã muscum aut sandalos, uel Rosas, quæ habent familiaritatem cum natura ad maiorem correctionem illius uenenositatis, sit igitur hoc uobis præceptum, & hoc facietis, quantum ad purgationem attinec sumpta indicatione à causa antecedenti.

Reliquum est duobus succedentibus satisfacere, & tertiæ illi, quæ loco affecto debetur, scitis quomodo cerebrum ita permanet attonitum post paroxysmum, ut licet non habeat actu paroxysmum, memoriam nonnulli, & uocem perdunt, stupidiq́;, & attoniti permanent, & ideo est, quia habent duas occasiones maximas, prima est, quia maxima facta est spirituum resolutio, secunda maxima cerebri refrigeratio, Cum ergo hæc sint illa duo, necessarium est, ut omnes illæ animales operationes sint debiliores, quia fiunt per spiritus animales, & per uirtutem, quæ diffunditur per membra, uti radius Solis, ideo illi, qui paßi sunt paroxysmum, attoniti & stupidi permanent per multos dies, & nisi sitis diligentißimi in curatione, rarò eueniet, quin rursus contingat paroxysmus, & moriantur indicatione ergo sumpta à loco affecto duas particulares indicationes habemus, cum sit hic resolutio spirituum, & refrigeratio, una indicatio sumitur à resolutione spirituum, & cum omnis indicatio per oppositum indicet esse faciendum, ideo indicatur nobis, ut spiritus regenerentur noui, Alia autem sumitur à refrigeratione cerebri, ostendit per oppositum

esse

esse faciendum, idest calefaciendum, satisfaciamus ergo his duobus indicationibus, & primo reparabimus spiritus, secundo calefaciemus cerebrum, quomodo autem reparentur spiritus, scire debetis dupliciter reparari, principaliter tamen, ut docet Galenus in de Vtilitate respirationis per consolationem aeris, quia trahitur per nares ex illa aeris attractione spiritus cerebri nutriuntur, ut docet Galenus loco citato, & in sexto, & in septimo, de Placitis. Oportet igitur corrigere aerem, & temperatissimum eligere, & in casu nostro cum Apoplexia fiat ex multitudine pituitæ, aer recedere debet ad caliditatem, & siccitatem, & quo calefiat cerebrum iam refrigeratum, præter ea odoratus esse debet, et præparatus cum suffumigio, quia odores ita se habent ad spiritus, & ad cor, sicut sapores ad alimentum, quod debet esse gustui gratũ, & sicut maximum est naturæ aduersariũ, quod amarum est, uel saporem aliquem habet extraneum, puta salsum, quia non nutritur à talibus alimentis natura, cum illi non sint familiaria, sed à dulcibus, cum ei familiaris sit ea res, quæ dulcis est, ita odor iocundus indicat talem rem esse familiarem calori naturali, & spiritibus, à quibus odoratis recreantur, sicut à fœtore terrentur, Ideo odor malus, & fœtor, sunt de maxime prosternentibus, sicut nihil efficacius est ad recreandos spiritus, quàm gratus odor, quia ergo recreatione spirituum indigemus, & à substantia aeris attracti generantur, si per puritatem habuerit odorem, tanto facilius, & melius recreabuntur, et regenerabuntur, deinde non tantum generantur spiritus

Quomodo reparandi spiritus

propter aeris attractionem, ſed per ſpiritus, qui per arterias ad rete mirabile accedunt, & ex illis, uel etiam ex eo ſanguine calidiori tenuiori nutriuntur ſpiritus animales, & conficiuntur, oportet autem ſatisfacere his duabus cauſis, & de aere iam dictum eſt. Cibaria etiam tenuis ſubſtantiæ ſint, ut conuertantur in bonum calidum & ſubtilem ſanguinem, Et hæc ſunt duo inſtrumenta, primum præparatio aeris, ſecundum electio calidorum ciborum generantium bonum, & ſubtilem ſanguinem, & ita ſatisfactum eſt indicationi à generatione ſpirituum ortæ. ſecundæ indicationi à cerebri refrigeratione ſatisfaciemus, ſi reducemus eam ad naturalem diſpoſitionem, Ideo oportet cum ſuis contrarijs occurrere, ſcilicet calefacere, cum quibus autem inſtrumentis calefaciemus cerebrum refrigeratum? cum multis, & primo cum rebus exterius applicatis, & tunc non conuenit accipere ſartaginem, uel aliquid aliud actu calidum, quia hæc conueniebant, cum aderat paroxyſmus, quia tunc præſentaneum, & ſubitum remedium requirebamus, quia cerebrum erat refrigeratum, ac ſenſus, & motus deperditus non poteramus expectare medicinam potentia calidam, ut ad actum deduceretur, Ideo ad illam actualem caliditatem apponi iubet Raſis, ut ferè capilli urantur, nunc autem non adeſt paroxyſmus tàm ſæuus, ideo, nec illa tàm ualida ſunt agenda, ſed applicanda ſunt potentia calida, quæ ualidiſsime attrahant ad extra, & facietis ſynapiſmos, & dropaciſmos ex rebus in tertio calidis, ſicut ſunt ſagapenum, piper, pirethrum, quæ calefaciunt, ſed ueſicas nõ faciunt,

Inſtrumenta calefaciendi refrigeratum cerebrum.

ciunt, neque eſcaras, pix etiam deraſis pilis, & illita rubificat, & mire calefacit, ex his etiam fiunt dropaciſmi, ſeu rubificantia medicamenta, Quæ autem ueſicam inducunt ueſicatoria, & ſynapiſmi uocantur apud Græcos, & hæc capiti apponenda ſunt, quia locus refrigeratus ualde eſt, Ideo res ualde calefacientes cõueniunt, quia remedia ſunt æquanda, ſynapiſmi uero fiunt ex calidis in quarto, ſicut ſunt ſynapi, naſturtium, cantarides, thapſia, euphorbium, quæ ad quartum gradum accedunt, et adurentia dicuntur, & his duobus inſtrumentis utimur, & ita credo ſatisfactum eſſe his duabus indicationibus, ſi modo uelletis notitiam horum ſimplicium, ex quibus fiunt dropaciſmi, & ſynapiſmi, recurratis ad Dioſc. et Gal. et ad alios recentiores, Et hæc ſunt ea, quæ exterius applicantur, ſed quia non ſolum cum exterius applicandis procedere debetis, ſed etiam cum his, quæ interius ſumuntur, Ideo quo ad ſimplicia ſingulis diebus mane, & ueſperi erunt exhibenda, quia egregie eſt decertandum poſt paroxyſmum, quia uidebitis homines ſemilapides remanere, & uos Iuniores aduertatis, non eſſe applicandum aliquid capiti, niſi prius euacuaueritis cauſam antecedentem, qua euacuata iſta ſunt facienda, quæ ergo calefaciũt, & exiccant, & interius ſumuntur, ſunt maxime acores conditi, & quia non inueniuntur calamum aromaticum faciatis condire, & omnia habebitis, quæ ab acoro habentur, nux muſcata condita gariofili, zedoaria, & omnia quæ calefaciunt, & exiccant uſque ad tertium gradum compoſita ſunt diacalamentum, diaſpoliticon, diacimninũ,

dia-

diatrion pipereon, de quibus à Galen. in quinto de ſanit. tuen. præterea iſta theriaca, & mythridatum maxime faciunt ad calefaciendum, & corroborandum ſpiritus & doſis omnium præter theriacam, & mythridatum, non ſit minor drac. ij. aut drac. iij. & poſſunt exhiberi cum bolo cum modico zuccari, uel inuoluere in hoſtia, ut uulgares dicunt, & poteritis diſſoluere in uino odorato, nec timenda eſt febris data quod adeſſet, immo aliqui etiam febrem excitant, quia calefacit, & exiccat, ſed inter reliqua celebratum remedium apud Arabes, & Iuniores Græcos eſt illa confectio Anacardina, quæ non eſt antiqua, quia Anacardus non fuit cognitus à Gal. ſed à Paulo, et Oribaſio, Eſt autem Anacardus in Sicilia arbor uulgata, fructus faciens rubeos corneos, & acumen habent, & quia ſimilitudinem cordis habet Anacardus, dicitur calida & ſicca ad tertium, ratione autem ſuæ tenuitatis plus excalefacit, quàm plura alia calidiora, & hæc confectio non ita efficax eſt, quia ingrediatur in ea Anacardus, quia tantum mel Anacardum ingreditur, ſed propter alia ingredientia, de qua debet ſumi non quidem in doſi Raſis, me conſule, qui dat aureum unum, & iſti interpretantur, quod ſit drac. i. s. quam doſim ſi exhiberetis inflammaretis ita, ut igniretis, ideo non tranſeatis ſcrup. i. uel drac. s. ad ſummum, ſingulis tamen diebus exhibebitis, Eſt etiam alius apud me improbatus uſus, à Iunioribus autem, qui uolunt habere bonam memoriam, comendatus, qui uſi fuerunt confectione Anacardina, & facti ſunt maniaci, & ita optantes bonam memoriam, ami=

amiserunt intellectum, Ideo non consulo sanis exhiberi; sed stupidis, & qui habent caput repletum pituita, Confectio autem hæc maxime calefacit, & exiccat cerebrum. Notetis modo, quoniam uolo, ut doceamus artem, secundum quam conficitur hæc medicina, Intentio illius, qui fecit eam, fuit, ut calefaceret, & exiccaret cerebrum, & totum corpus, sed diceret quispiam, si hæc fuit intentio, an tot simplicibus indigemus, quare non duobus, aut tribus maxime exiccantibus, uel uno etiam? oportet huius multiplicitatis scire rationem, quia in hac consistit ratio componendi, notetis igitur artificium, & duo utilia habebitis, primo cognoscetis artem Antiquorum maxima uestra delectatione, quia uidebitis, quod sunt admirandi, secundo scietis componere, & uos. Notetis ergo, uerum est, quod intentio compositionis fuit, ut exiccaret, & calefaceret totum corpus refrigeratum, & humectatum, & obstructum propter materiam pituitosam frigidam, & crassam, sed quoniam si tantum calefecisset, & exiccasset, talis calefactio incommodum fecisset, quia dum attenuasset, & incidisset pituitam cum uirtutes sint debiles, & uiæ obstructæ à pituita illa, dum fuisset calefacta intumuisset, ex illo tumore dilataretur, ex illa dilatatione collidisset calorem innatum, & quoniam occupauisset omnes partes per dilationem suffocauisset calorem, Ideo oportebat prius præparare, uias aperire, & euacuare pituitam iam præparatam per uias, & regiones conuenientes, nunquid igitur uidebitur artificiosissimum, si primo calefaciet corpus, secundo incidet materiam crassam, quo iu-

Modus componendi Confectionem Anacardinam.

instrumento aperiuntur etiam uiæ, per quas debet transi-re materia unà cum abstergentibus, & si non solum inci-det, absterget, & aperiet uias, sed etiam ad uias congruas conducet materiam illam quidem, quæ in uenis est per u-rinam cum fuerit à sanguine separata, quæ uero in mem bris, & in cauitatibus musculorum est per sudorem, cũ per urinam educi non poßunt commode, non ne hoc erit admirandum? Sed quoniam corpus ita affectum habet debilißimum calorem, nec poßunt medicinæ calidæ poten tia ad actum deduci à calore ita debili, nisi sit primo ali-quid, quod de facili ad actum ducatur, & ex illo alia po-stea producantur, quæ non ita facile accenduntur, sicut faciunt ancillæ, quando uolunt ignem accendere, ubi si po nerent multa ligna, & uiridia in illo igniculo, extingue-retur, sed prius paleas, quæ facile inflammantur, appo-nunt, & cum fuerit igniculus accensus cum paleis, fortio ra apponunt, & adhuc magis pruna, ut ignis facillime accendatur, ita factum ab Authore isto, ita ut facile conij cere poßitis, nihil in hoc composito fuisse otiosum, in hoc medicamento, sunt omnia calida, & sicca, quia calefacere, & exiccare intendimus, quia corpus frigidum & humi-dum est, sed inter illa quædam calefaciunt, & exiccant tantum, quædam etiam calefaciunt, exiccant, & incidunt, abstergunt, & uias aperiunt, Et hæc sunt amara om-nia, quædam etiam ultra hoc per urinam, & sudorem ma teriam deducunt, per urinam quidem quæ in uenis sunt, per sudorem autem quæ in musculorum cauitatibus, quæ dam præterea, quæ cito inflammantur, quousque deue-

niet

niet ad ea, quæ difficillime inflammantur, ut, paleæ aßimi lari poßit, & in stomacho ita facile actuatur, ut non tran seat hepar, quia statim exolescant, Ideo cum uolumus re= frigerationem stomachi corrigere, diatrionpipereō da= mus, etiam quod hepar fuerit calidum, quia non calefacit ipsum, sed statim exolescit, Ideo posuit piper nigrum, si= cut ancilla paleam, ut igniculus inflammetur, ponit po= stea Nigellam, quæ tenuitatem habet substantiæ non qui= dem comparando eam piperi, quia in eo igneæ partes sunt, sed in Nigella terreæ exquisitæ sunt, ac attenuatæ, Ideo confert summopere catarrho, & ex hoc incalescit corpus adhuc magis, ponit deinde materiam solidiorem zingiber, & macropiper, idest piper longum, quæ duo secundum Gal. in cap. de zingibere difficilius inflamman tur, quàm piper nigrum, & ea, quæ tenuis substantiæ sunt, quia in ipsis humiditas excrementosa est, cuius si= gnum est, quia facillime terredinem, & corruptionem patiuntur propter illam humiditatem, ergo difficilius inflammantur, sed cum inflammata sunt diutius retinent calorem, non autem tamdiu retinent, sicut oportet, quia exolescunt, cum sint mediæ materiæ, ideo oportebat adde= re, quæ diutius retinerent, ideo posuit alia, quæ difficilius inflammantur, sed cum sunt inflammata exurunt, ut est assa fœtida, hoc est lasser, & synapi, quæ quidem difficil= lime inflammantur, sed efficacißime retinent iuxta Gal. sententiam, in cap. de zingibere, qui exemplum thapsiæ, & synapi, ponit, & inquit quod piper longum, & zingi ber sunt mediæ materiæ, quæ facillime quidem inflamman

tur

tur respectu synapis, & thapsiæ, difficillime autem respectu zingiberis, & piperis nigri, Et hæc quò ad calefaciēdum corpus, deinde ponit pirethrum, quod difficillime inflammatur ratione humidi excrementitij, diutius autem retinet, ideo maxime confert doloribus dentium à causa frigida, quia in ore cum incipit actuari, ita efficacißime retinet ardorem, ut uideatur adurere, ponit præterea costum, qui, & urinam prouocat, cuius uirtutis est zingiber, & piper longum, addit etiam Acorum, & in hoc loco prouocat urinam, exiccat etiam, & neruos corroborat, & non sicut Herculanus qui interpretatur, idest semen petroselini, licet habeat eandem uirtutem, & horum omnium ponit drac. x. reliquorum subduplam ponit portionem, quia quæ subdupla dicta sunt, non transeunt tertium gradum caliditatis, quæ uero sequuntur quartum attingunt, ideo ponit illa in minori dosi, tum quia alias habent qualitates ingratas, ut myrrha, quæ emplastica, & facit ingratam, quæ in hoc loco ponitur, ut abstergat sua amaritudine, & suo odore corroboraretur spiritus, & calorem innatum, & quia myrrha materia fætens est, ideo loco eius poteritis, uel belzuinum, uel storacem calamitam apponere, quæ habent, si non omnes saltem plurimas conditiones myrrhæ.

Quorum odor spiritus corroborat, & calorem innatum, cuius corroboratione indigemus. Præsertim, cum in compositione sit maxima portio castorei, quod naturæ aduersissimum est propter fædum odorem, & propter qualitatem existentem in eius substantia, oportebat

autem

autem, quia ratione suæ tenuitatis habet maximam uim ad exiccandum neruos, & hoc indigent nerui ratione soliditatis suæ, & quia adhæret propter uiscididitatem eius, ideo laudatur summopere, sed quia fætidum est (ut dixi) naturæ aduersatur, quoniam dolor, & fætor sunt de maxime prosternentibus uirtutem, & nos indigemus restauratione uirtutis, ideo posuit myrrham odoratißimam, posuit etiam baccas lauri ad eundem usum, licet etiam tàm baccæ, q̃ myrrha sunt prouocantia urinæ, posuit sceitaragi. i. Tapsiam, quæ est radix herbæ ferulaceæ notißima in agro Neapolitano Appuliæ, & Calabriæ, & (ut isti dicunt) in Dalmatia est frequentißima, radicem habet oblongam, crassam, acerrimi gustus, ita ut faciat ulcera gustantibus, hanc posuit ad inflammandum, synapi etiam ad hunc usum posuit, posita autem hæc fuere, licet alia multa sint in medicamento huius gradus caloris, quia humiditatem talem habent, ut cum inflammantur, exurant, & uesicas faciunt, cum igitur compositor uoluerit ea, quæ diu retinent odorem, ideo non immerito hæc adiecit, posuit præterea assam fætidam ad hunc usum, ut prouocaret sudorem, & per assam fætidam intelligatis lasser, de quo dixit Diosc. quod in toto ambitu simplicium non efficacius reperitur ad sudorem prouocandum, immo si tantum in ore retineatur, mirifice prouocat ponit etiam ad hunc usum rutham siccam, quæ in quarto calida est, & sudorem prouocat, sed utinam haberemus lasser, & est herba ferulacea frequentißima in Aphrica, & in Sicilia, est duorum generum mihi à peritißimo medico ostensa cum eßem in

Asa fetida
Lasser.
Quid virtutis habeat
Nota

Sicilia, & est ita acuti odoris, & acris, ut odor ille incuteret mihi dolorem capitis, habet flores purpureos cum umbella, illud autem medicamentum, quod assa fœtida appellatur, ita fœtidum est, ut ubi eius suffumigium fuerit, omnes aufugiant, cogitetis modo quid poßit facere natura cum illo fœtido odore, interim caueatis uos ab illo, & loco eius, quousque in lucem uenerit ad nos, storacem liquidam accipietis, & facietis ipsam excolare, quia sorditiem habet, habebitis medicamentum calidum tenuißimæ substantiæ, sicuti lasseris est substantia, & cum hoc odorem satis commodum habet, immo inter odoramenta ponitur à nonnullis, & hanc confectionem exhibebitis corpori frigidißimo, & ueluti marmoreo quotidie non quidem aureum unum, quod isti intemperantur drac. i. s. quoniam pondus est immodicum, sed scrupu. i. caueatis autem ab illa, ubi frigiditas pauca sit, & pituitosa materia pauca, & inter reliqua cum quis petet consilium, an debeat uti confectione anacardina ad memoriam acuendam, nunquam consulatis, quia propter summe refrigeratos facta fuit, et ubi est maxima pituita. Et ita satisfecimus iam his duabus indicationibus uidelicet primæ, quæ à causa morbi tollenda sumebatur, & secundæ, quæ ab imbecillitate, & frigiditate sumitur. Erat tertia, quæ à symptomatibus, quæ remanent post Apoplexiam, oritur, quia homines facit stupidos, amittunt memoriam, & intellectum, & uiri etiam, qui ingeniosißimi sunt, ita stupidißimi fiunt, ut nomen proprium obliuiscantur, & suorum familiarium, amittunt uocem, præterea paralytici fiunt, & hoc symptoma est ordi-

narium, istis accidentibus succurrere debetis; quantum pertinet ad perditionem memoriæ, sensus, & motus, postea quantum ad causas dicemus, quantum uero ad curationem curantur eodem modo, & eadem cura, quam de refrigeratione diximus, cum confectione anacardina, cum synapismis, & gargarismatibus, quæ prius fuerunt dicta, quantum ad armoniam idest uocis deperditionem potest habere duplicem causam, uel potest amisisse uocem, quia memoriam, & imaginationem amisit, & quia non potest formari uox, nisi prius imaginetur, quia quæ proferũtur exterius, sunt indicantia eorum, quæ prius concipiuntur, ut Arist. primo perihermenias, quia ergo non imaginantur, non discurrunt, nec possunt loqui, organum autem uocis impeditum non habent, sed intellectum, & hæc curabitur curatione amissæ memoriæ, & discursus, alio modo, quia musculi linguæ sunt resoluti, & laringis, & nerui reuersiui repleti humoribus resoluentibus, & hæc curatur cura paralyseos, sed addita indicatione à loco affecto habet hoc primum, quod per gargarismata & masticatoria ex rebus calidissimis facta curatur, quoniam humor frigidissimus est, & pertinacissimus, materia autem, ex qua fient erit synapi, nasturtium, piper longum, zingiber, nigella, calamentum, quæ calida, & sicca sunt, & pertinacem habent calorem, si etiam radix thapsiæ habebitur, poteritis uti, quia acrimonia ex decoctione tollitur, & non exurit, & habet uim educendi pituitam, sed quoniam masticatoria debent mandi, & in ore teneri, non debent fieri ex materia, quæ cum sit bis, uel ter masticata, ibi non sit amplius

Nota.

plius, ideo oportet, & si diutißime mandatis, pertinacißime permaneat, ideo cum cera fiet, gummi tragacanthum non adhærent pertinacißime, nec masticem dimittetis, quia ualet admodum ad saliuam expuendam, & forte masticatoria dicta sunt à mastice, quoniam est instrumentum ad saliuam prouocandam, sed quia leuis est, staphysagriã, & pyrrhetrum ponetis, quæ sunt efficacißima ad extrahendum pituitam crassam, & sic facietis. Recip. staphysagriæ, pyrrhetri zingiberis ana scrup. ij. masticis drach. i. ceræ unc. s. Et fiant pastilli parui, qui mandantur, nec dissoluentur propter ceram, & prodibit uis medicamenti, & pertinacißime retinebit, indicatione ergo à loco affecto, hoc habetur præcipuum apophlegmatisma, quod p masticatoria, & gargarismata maxime conuenit.

DE

DE PARALYSI CAP. V.



Eſtat modo paralyſis, quod eſt perpetuum accidens conſequens Apoplexiam, quam curare debetis, & quia non ſumus amplius reuerſuri ad eam, debetis ſcire, quod hoc nomen paralyſis nihil aliud importat, niſi id, quod, paraphreniſis, & paracynanche, id enim quod para dicimus παρὰ diminutionẽ facit, ac ſi diceremus, non uera reſolutio, ſed particularis quædam, ſicut paraphreniſis ideſt non uera phreneſis, paracynanche, ideſt non uera cynanche, ſed quia aſsimilatur ueræ, propterea λυομένους, & καταλυομένους Apoplecticos appellat ſecundo Apho. 43. ſtrangulati, & reſoluti non referuntur, quibus ſpuma circa os apparet, & utitur hoc nomine catalyomenus, non attendens reſolutos ideſt paralyticos, quia referuntur, & redeunt, ſed per reſolutos uere Apoplecticos intelligit, ideo paralyomeni dicuntur qui non ſunt uere reſoluti, ſed ſecundum unam partem, quos Hippoc. alio loco appellat, ſicut in lib. Proret. 128. & 89. & Epid. 98. ita quod paraplexia, & paralyſis idem ſunt ideſt non uera paralyſis, & à Paulo hemiplexia appellatur ideſt non uera Apoplexia, nec differt paralyſis ab Apoplexia, niſi quia Apoplexia reſoluit totum corpus, paralyſis uero partem, neque audiatis ethymologiam modernorum, licet nihil ad curam faciatis, quia multoties dicunt nonnulla riſu digna, & ego audiui aliàs medicum in colloquio non paucæ exiſtimationis, qui paralyſin

NOTA

Diſcrimen inter Apoplexiam et paraliſim

lysin à para quod est supra, & lysis, quod est læsio, quasi, quod læsio in superioribus partibus sit, & hæc de nomine: Quo ad rem Gal. in tertio de locis affectis cap. xi. inquit quod talis priuatio sensus, & motus alicuius partis differt ab Apoplexia, quia hæc in toto est, illa in parte accidit, item aliqua paralysis est, in qua motus tantum, & non sensus fit priuatio, si uero contingat, ut sensus tantũ & non motus priuetur, paralysis non appellatur, q̃q̃ sint nonnulli, qui hanc uelint paralysin appellare, sed illis pro arbitrio licet nominibus uti, quia nihil refert, diximus hæc ut non sequamini Modernos qui dicunt paralysin esse cũ diminutione sensus, & motus, sed tunc tremor est, quia uis motiua diminuitur, & certat pari certamine cum põdere naturali membri, & hæc quantum ad rem attinet, methodum causarum ex notitia rei habebitis, quæ est amissio sensus, & motus, tunc in parte aliqua erit uitium necessario, uel in cerebro, uel in musculis mouentibus, non quidem in cerebro, quia esset Apoplexia, ergo in parte, si in parte, uel in principio neruorum, qui tendunt ad illa mẽbra circa spondiles colli, uel circa aliquas uertebras erit, ubi sciueritis hoc, dicetis hoc accidens prouenit, uel quia priuatur animalis uirtus, & spiritus, ne transeant ad mẽbrum, uel ipsi nerui, per quos transit uirtus, sunt alterati ad malam temperaturam maxime frigidam uelut cum quis per aerem, uel regionem frigidißimam ambulauerit & occurrit parti corporis aer ille frigidißimus, & fiat stupidus, deinde paralyticus, & hæc est prima causa, ideo bene dicebat Gal. secundo de locis affectis, quod stupor est

Parralisis quid est [handwritten marginal note]

uia

uia ad paaralysin frigiditate aucta, & ista tollitur suo opposito cum rebus calidis, non autē cum purgantibus, quia qualitas simplex indiget calefacientibus, uel quia nerui, uel musculi opplentur à crasso, & pituitoso humore & hæc sequitur Apoplexiam ex oppletione, & inuiscatione facta à materia pituitosa, istam curabimus, quæ uel ab intrinseca causa, uel ab extrinseca, ab intrinseca ut ab apostemate, uel scyrrho adueniente in principio neruorum, ut uirtus non transeat, & hæc curatur curatione scyrrhi. Ab extrinseca, ut à percussione, et casu, & hanc curauit Gal. in Pausania syro sophista, qui decidit à curru, ex qua percussione compressum fuit principium neruorum, & sensu, ac motu digitorum manus priuatus est, uel fit, quoniam ligatur membrum ita, ut fiat stupidum, secundo paralyticum, & hæc curatur per remotionem ligamenti, uel fit ab incisione nerui tendentis ad membrum, uel quoniam contunditur minutissime, & hæc est incurabilis, ut bene dixit Rasis in litera. Et ita habetis omnes causas, & si uultis uidere locū, in quo habentur hæc omnia, uideatis Gal. in quarto de symptomatum causis, in cap. de uitijs sensuū, Et hæc quantum ad causas: in curatione modo paralysis, habetis tres indicationes, unam à causa antecedenti, aliam, à mēbro mandante à cerebro. s. aliam à causa coniuncta. Quò ad causam antecedentem iam diximus in præcedentibus, in cura Apoplexiæ quid sit agendum, & illismet instrumentis utimini, cum uultis reuellere causam antecedētem paralysis, sed hoc loco, quia maxima est materiæ utilitas, uolo tradere uobis pillulas fætidas Rasis in hoc lo=

co, quæ sunt in usu, dico autem quod istæ pilulæ sunt pessimæ, & caueatis ab ipsis tanq̃ à peste, dico etiam, quod sunt optimæ inter omnes pro resolutis, & pro his qui patiuntur paralysin, maxime post Apoplexiam, ubi est pituita adhærens crassa, & uiscida, in leui autem causa non sunt exhibendæ, quia non sunt correctæ, ideo ubi calor naturalis suffocatus est & maximam frigiditatẽ habeat corpus, & pituitam crassissimam, tunc exhibebitis eas, quia fuerunt factæ, ut semi mortuo possent exhiberi, scitis .n. quod medicinæ corriguntur, aut propter uenenositatem, & tunc odoratis occurrimus, uel ut uirtus cordis & spiritus non lædantur, uelut qualitas aliqua manifesta obtundatur, sicut nimia caliditas, tunc cum frigidis occurrimus, sicut de Thimelæa, & pipere montano diximus cum mucilagine psilij, aut cum succo semperuiuæ, uel cum alia re frigida in tertio gradu, uel cum abstersionem maximã uolumus tollere, tunc cum emplasticis, uel gummi, tragacantho occurrimus, ista tria sunt necessaria colocynthis quia maximæ abstersionis est, cum emplasticis obtunditur, idcirco doctissimus Rasis, quia uolebat corpus uerè marmoreum calefacere, & pituitam uiscidissimam abstergere, & educere per regiones conuenientes, posuit in hac compositione multa calidissima non correcta, quod non fecit in pillulis cochijs, posuit enim hic elacterium, de quo Diosc. non exhibet nisi g. x. ad plus, scammonium autem usq; ad drac. i. & colocynthida in maiori quantitate absq; alia correctione, non fuit ergo casu hoc factum, quia in casu maxime abstergentibus indigemus, & quia uirtus sensitiua

penè

penè amissa est, ideo non oportebat, quæ caliditatem aduerentem corrigerent, apponere, & quoniam in his uenenositas adest, ne spiritus, & cor lædantur, eis occurrit tantum, ideo posuit species hieræ, quæ habet multa odorata, crocum, cinnamomum, masticem, xylobalsamum, aldem, spicam nardi, assarum, quæ habent uim recreandi spiritus uirtutem cordis, & innatum calorem.

His iam declaratis nunc est animus meus tractare illam materiam quam iamdudum sum pollicitus, scilicet omnes ægritudines cerebri discurrere, ex quibus impeditur sensus & motus, & ut habeamus methodum sic procedamus, quoniam istæ sunt priuationes, & appellantur somnolentiæ, & torpores, propterea oportet dicere quædam de somno naturali, ut ex cognitione ista cognoscatis, quæ declinent à somno naturali, quia non cognoscitur obliquum nisi per rectum, Debetis igitur scire somnum naturalem habere causam efficientem humiditatem, scilicet primi sensitiui, siue cerebrum, siue cor fuerit, humiditatem dico accedentem sub forma humoris, uel uaporis, ut refrigeretur quadamtenus calor, & spiritus, Ideo Gal. in de causis symptomatum, in fine dixit humiditatem esse ueram causam, frigiditatem uero non somnum, sed soporem potius inducere, & quæ humectant dici somnifera, ut crocus, anetum, chamæmelum, Illa uero quæ frigida sunt non propriè, sed per accidens, ut papauer, dicitur enim propriè non somniferum, sed stupefactiuum, quod si somnum inducit, hoc facit, quia stupefacit, uerum autem somnum non nisi per accidens, quia cum pa

Discursus Montani de Ægritu omnib. Cerebri.

De somno n[atur]ali.

pauer album exhibebitis, & temperatura calida & sicca cerebri fuerit, causa uigiliarum refrigeratur cerebrum, & calorem ad temperiem reducit, post exiccatum, & ad temperiem redactum, sed ubi longus usus papaueris fuerit, & adhibebitur, stupefactiuum erit, Ideo dicebat Gal. moderatus usus somnum, immoderatus uero stupefactionem facit, idem dicit de causis pulsuum in cap. de pulsu expergiscentium. Habetis ergo quomodo humiditas sit proxima causa, & efficiens somni, ad quam humiditatem sequitur refrigeratio, per oppositum autem siccitas est causa uigiliarum, quæ si temperata fuerit uigiliæ temperatæ erunt, si crescant magis, maiores erunt, quousque ægritudinem faciat, & hac de causa pueri sunt procliui ad somnum, quia calidi & humidi sunt, senes uero uigiles, quia frigidi & sicci, humiditas ergo facit somnum non frigiditas, Et habeatis tanquam fundamentum, quod humiditas per se est causa somni, siccitas uigiliæ, Immoderata uero humiditas, immoderatum somnum, immoderata siccitas, immoderatas uigilias facit, Diximus de paßiuis iam supersunt actiuæ caliditas, & frigiditas, sciuistis ex tertio de causis symptomatum, & per totum librum de def. morbi & causis, quod frigiditas omnes destruit operationes, uel diminuit quidem cum moderata est, destruit cum immoderata est, uel tollit, Caliditas uero ubi fuerit moderata, uegetes operationes facit, immoderata corrumpit, idest alterat ad aliquem excessum, proprium igitur humiditatis somnum est, proprium siccitatis uigilias, proprium caliditatis excessum, proprium uero frigiditatis destructionem

nem causare. His ita iactis fundamentis, quia coniungi inuicem possunt humiditas cum frigiditate humiditas cum caliditate, frigiditas cum siccitate, Videamus modo symptomata, quæ possunt fieri ex his complicationibus in cerebro, si caliditas humiditati iungatur effectus facient oppositos, quia causæ oppositæ sunt, sciuistis quod humiditas facit somnum, Ideo tollit operationes, quia somnus est priuatio sensus, et motus, caliditas facit operationes cõtrarias, quid ergo cõsequitur? Consequetur id, de quo dixit Gal. tũ in principio lib. de Comate, tũ in principio Proreth. com. 1. κατάφορα, ita à Græcis appellatur hoc accidens, Ab Arabibus somnolẽtia, fitq; ubicunque in sensitiuo primo, (siue simus Aristotelici, siue Gal.) caliditas, & humiditas cõiuncta, Isti inclinantur ad somnum, sed ubi tentatur dormire, nihil minus facere possunt, quia dum quærunt somnum imaginationes ambiunt ita mentem, ut non poßint dormire, quia habent causas oppositas, humiditas quidem inclinat ad somnum, caliditas uero ad operationes, habent ergo inclinationem ad somnum sine somno, & ista temperatura calida & humida, quæ facit κατάφοραν causari potest, aut à causa primitiua, uel ab intrinseca. A procatarctica quidem ab ebrietate, & crapula, Ideo ebrij cum uinum maxime calidum, & humidum ebiberint, & caput calidum fuerit, inclinantur ad somnum, & non possunt dormire, nisi ita ebiberint, ut refrigeretur cerebrum, si uero fuerint æquales caliditates, & humiditates non dormient. Ab intrinseca uero, à multitudine uaporum, à sanguine ascendentium ad cerebrum

brum inclinantur quidem, ſed non poſſunt, ſunt torpidi ad ſomnum, poteſt & à febribus malignis cauſari, ubi uapores calidi & humidi aſcendunt, in principio uero cum aſcendunt, duo ſequuntur, primo inclinatio ad ſomnum, ſed non poſſunt dormire, quia cauſæ ſunt contrariæ complicatæ, cũ uero incipiunt in deterius labi, et putredo creſcit, & plurimi uapores pituitoſi aſcendunt, ſequitur alterum, quia caliditas uincit humiditatem, & conuertit eã in proprium alimentum efficitur acris, & tunc magis calefacit, & exiccat cerebrum, & cum prius eſſet ſomnolentia ſine ſomno, fiunt uigiliæ primo, & ſi perſeuerauerit, delirium inducet, & phrenitidem propter dominium caliditatis, quæ ſuperauit humiditatem, et hoc uoluit Hip. primo Proreth. Cum dixit comatoſi inter initia cum dolore colli, lumborum, et hypocundriorum, uigilantes nunquid phrenetici fiunt? Ponit Hip. rem ſub dubio, & recte exponit Gal. quia poteſt fieri, & non poteſt fieri, ideo dixit Galenus optimè dubitauit, quia ſi ſuperabit caliditas, phrenitis fiet, quia exiccabitur cerebrum, & humiditas abſumetur, & illius præfati uera eſt ſententia, & hoc eſt unum membrum, Vel ſuperat humiditas caliditatem, ſi ſuperabit, tunc extinguetur caliditas, & primo contundetur, ſicut ignis à redundantia aquæ, ſed ubi extinguetur caliditas tantum, iam non fient uigiliæ, nec inclinatio ad ſomnum ſine ſomno, ſed cum ſomno, & ita dormient, ut non poßint excitari, & ideo eſt, quia habent utranque cauſam humiditatem, quæ inclinat ad ſomnum, & ex priuatione caliditatis frigiditatem quæ facit ſtu=

Problema

ſtuporem, ideo cum conueniant hæ duæ cauſæ, fiunt non comatici, ſeu cataphorici, ſed carotici ita à Græcis appellati, & hæ duæ cauſæ frigiditas & humiditas ſimul iunctæ, ſi intendantur, fiet caros, quem Arabes ſubeth appellant, ita quod pro ratione maioris, & minoris refrigerationis, uel humectationis maior, & minor fiet caros, ſeu ſubeth, de quo Raſis in hoc loco agit, & Gal. in tertio de locis aff. & in ſecundo Proreth. com. 13. & in 13. methodi, circa finem, & Auic. in cap. de ſubeth, quæ Galenus de caro, ſeptimo Aph. Aph. illo. ſomnus, & uigilia ſi utraque modum exceſſerint, malum, ubi uult diſtinguere bonum à malo primo dicit quod ille malus dicitur, qui difficulter excitatur refrigerato primo ſenſiterio, & ſi iungitur frigiditas humiditati fiunt lethargici, epileptici, et carotici, ſi ſiccitati, fit καταλεψις, *de qua dicemus, iam igitur uidiſtis, quomodo omnia conſonant uero, hactenus habuiſtis quid ſit* κατάφορα, *et quas cauſas habet, quid ſit* κάρος, *et à quibus cauſis proueniat, habuiſtis etiam quod* κατάφορα *nomine generali ſomnolentia appellatur, licet Auic. ſtuporem etiam appellet, habuiſtis etiam quod carotici, qui inclinant ad ſomnum, dormiunt, ita ut difficillime excitari poßint ex magna cerebri frigiditate humiditati iuncta, et hoc ſymptoma à Græcis* κάρος, *à Latinis ſopor, Ab Arabibus ſubeth, Eſt modo aliud nomen apud Græcos, quod* κωμα *appellatur. Debetis ſcire circa hoc nomen, quod Galenus ipſum ualde æquiuocum habet, de quo dicit apud Poetas, et citat Homerum pro uero ſomno capi, ſed hoc apud ipſos,*

de-

deinde dicit quod capitur aliquando pro cataphora, itaque κωμα, et κατάφορα idem ſunt, κωμα uero magis proprie, quando fit uerus ſomnus cum difficillima excitatione, et tunc cum caro conuertitur, et ita κωμα eſt medium nomen inter καταφορὰν, et καρον, ſeu ſoporem apud Latinos, ſubeth apud Arabes, quod autem coma pro caro accipiatur, hoc habetis ex nomine illo compoſito Agripnocoma, ideſt uigilantia cum ſopore ab Arabibus ſubeth ſara à cauſis mixtis proueniens, ſed ne erretis, cum dico cataphoram inclinationem ad ſomnum eſſe ſine ſomno, non eſt idem quod ſubeth ſara, quia in ſubeth ſara ſunt duæ ægritudines compoſitæ, una, quam facit pituita, altera, quam facit bilis, Cataphora autem fit ab humiditate iuncta caliditati. Poſtquam uidimus de cataphora, et caro, quod utrunque ſymptoma ab humiditate prouenit, ſed cataphora cum caliditati iuncta fuerit, Caros uero cum frigiditati fuerit iuncta, Iterum debetis ſcire, quod ſi frigiditas et humiditas intendantur, ut habeant materiam, ideſt pituitam annexam, immo uel pituita erit in uentriculis, uel in ſubſtantia cerebri, ſi occupabit uentriculos, uel erit pauca, uel multa, ſi pauca epilepſiam faciet, de qua dicemus in ſuo cap. ſi multa faciet Apoplexiam, et tunc amittet ſenſum et motum, ſi totam ſubſtantiam cerebri occupabit, uel erit multa ſine putredine, uel non ita multa cum putredine, ſi ſine putredine faciet illud genus Apoplexiæ cum imbibitur tota ſubſtantia cerebri, ab humore pituitoſo, ſi fuerit cum putredine ex conſequenti cum febre, et inflammatione faciet lethargiam propter

ma-

materiam crassam pituitosam frigidam existentem in substantia cerebri iam putrescentem, et apostemantem, quia cum inflāmatur, putrescit, et sic fit febris, ut bene à Gal. de causis symptomatum tertio, et 13. Therap. habet, Ex quo relinquitur contra istos Modernos lethargiam non posse fieri ab humore melancholico, licet dicant rarò, et se excusent. Dico ego non posse fieri à frigido, et sicco, sed insania, et melancholia occupante melancholico humore substantiam cerebri, nec facit frigiditas iuncta siccitati obliuionem, et somnolentiam lethargicam, quia hæc fiunt à frigido, & humido, Ideo bene diximus, quod causa prima per se, & non per accidens somni est humiditas, frigiditas uero per accidens, ut uoluit Arist. et Gal. sed diceret aliquis ab humore melancholico lethargicam affectionem prouenire posse, ex Gal. 13. Meth. sed uideatis, quid dicat, quandoque pituita cum crasse fit, potest & sola melancholia appellari, & forte Moderni isti acceperunt, & Auic. melancholiam, idest crasse factam pituitam, licet Manardus hoc impugnet, non tamen est uera melancholia, sed potest appellari, quia ergo ad consistentiam siccam substantiam habet, potest aliquo modo appellari melancholia, licet potentia sit frigida, & humida, & ad hunc sensum concedo posse fieri ab humore melancholico, sed quod fiat à fece sanguinis, uel à sanguine adusto, hoc falsum est, Et ita habetis omnes ægritudines, quæ indicant priuationem sensus, & motus. Sunt modo aliæ, quæ fiunt à frigiditate siccitati iuncta, tūc uel erit cōplicatio talis in medijs uentriculis, uel in parte anteriori

cere-

Lethargia Vnde.

Obiectio

R.

cerebri, aut in posteriori, si in parte anteriori fuerit frigiditis, & siccitas facient fatuitatem, ut inquit Gal. in 4. de causis symptomatum, & in tertio de locis affectis, & μώρωσις apud Græcos appellatur & μωρία & μώροι hoc est insipidi, quos uulgo Matellos appellant, quorum copia maxima est in Valle Tollina, forte propter aeris frigiditatem, ita facti stolidi. Si uero fuerit frigiditas & siccitas in posteriori parte cerebri. Catochi fiunt, & isti priuantur sensu, et motu, cum tamen uideãt, discurrant, & memorentur, A Latinis, & ab Arabibus symptoma hoc congelatio appellatur, de qua Rasis facit cap. & Auic. prima tertij tract. 4. cap. de subeth congelationem appellat, forte uolẽs alludere ad nomen catochi quod autem idem sit κατοχὴ à Græcis, & ab Arabibus congelatio uideatis Auic. & Rasim, qui loquuntur de congelatione, qui prorsus idem dicunt, quod Græci de catocho, quod etiam isti uideant, discurrant, & memorentur Gal. in lib. de comate exemplum refert de quodã scholastico, cuius cerebrum pro nimio studio ita refrigeratũ & exiccatum erat, ut fieret catochus & pingit eum ueluti lapidem sine sensu, & motu totius rigidum, qui oculis fixis et inconiuentibus inspectabat homines figens eos in locum unum, nec loqui, nec mouere se poterat, & hæc sunt accidentia, quæ sequuntur huiusmodi symptomata, qui postquam curatus fuit, retulit multa eorum, quæ tunc dicta fuerunt, dixitq; tunc se memorari, & discurrere, cum esset in tali dispositione, hoc dico, quia Moderni dicunt, quod tales sensus interiores amittunt, quod falsum

est,

est, bene priuantur omni sensu motionis, & in omni re attinente ad motum, & causa est frigiditas, & siccitas existẽs in posteriori parte capitis, & hoc modo causam, symptoma, & locum affectum habetis, causa est frigiditas & siccitas, existens in posteriori parte capitis, locus affectus pars posterior cerebri, symptoma catochos, & catalepsis idem sunt, Ex hoc scietis quod qui traduxit librum de locis affectis ubi de memoria agit Galenus in tertio libro sequens de catocho, & catalepsi hallucinatus est, traduxit enim catochum, uigilantem soporem & catalepsim idest occupationem, quod autẽ catochos, & catalepsis idem sint uideatis Galenum in secunda particula, somnus, & uigilia utraq; si modum excesserint, malum, ubi docet, si frigiditas iuncta est siccitati fit catalepsis, Et in secundo Proreth. 19. dicit quod catochos fit à frigiditate & siccitate cerebri ergo idẽ sunt, & ut omnia lucida habeatis author diffinitionum de catocho loquens tria ponit genera, & in omnibus errat, primo dicit quod primum genus catochi est cum somnolentia, sed iste est caros, quia catoches non habent somnum, secundum genus tetana aßimilatur, & præfocationi matricis, quia hæc cordis paßio est & syncopa, catoches uero cerebri, cordis uero per consensum. tertium genus est cum somnus cũ uigilijs est, sed hæc Agripnocoma est. Et hæc sint satis de catocho, & cõgelatione. Deest subethsara, quæ est paßio ex diuersis causis orta, iam de phrenitide diximus, quæ est inflammatio panniculorũ cerebri ab ichore sanguinis, uel bile, aut salsa pituita causata, sciuistis etiam quod lethargia est in-

Nota.

Phrenesis

Lethargia

flammatio ſubſtantiæ cerebri à pituita craſſa putreſcente in ſubſtantia cerebri partim in panniculis, cum hæc ſunt mixta ratione pituitæ, quæ in ſubſtantia cerebri fecit inflammationem, fit ſomnolentia, ratione bilis, quæ in membranis fecit inflammationem, uigiliæ fiunt, item ratione pituitæ fiunt torpidi, ratione bilis fiunt deliri, & appellatur hoc accidens à Græcis ἀγρυπνόκωμα ab Arabibus ſubethſara.

DE SPASMO
CAP. VI.


Actenus uidimus in ſuperioribus de omnibus malis quietibus, quæ fiunt ratione alicuius mali affectus exiſtentis in cerebro. Nunc conſequenter agemus de malis motibus præter naturam ſecundum ordinem Raſis propter aliquem malum affectũ in cerebro, uel ſuis propaginibus ideſt in neruis exiſtentem. Circa ordinem autem ſciendum eſt, quod Raſis uidetur ſeruare alium ordinem, q̃ hactenus ſeruauerit, ubi de malis quietibus egit, de his incæpit agere, quæ principaliter in capite ſunt, poſtea de reliquis puta de Apoplexia, de ſubethia, & congelatione, poſtea ad paralyſin deſcendit, nunc uidetur oppoſitum facere, primo enim à ſpaſmo incipit, poſtea ad epilepſiam tranſit, hic ordo non uidetur conſentaneus, quia uidetur proportio eſſe eadem inter Apoplexiam & Paralyſin, ſicut inter epilepſiam, & ſpaſmum. Eſt enim uulgare dictum quod Apoplexia eſt uniuerſalis paralyſis, & paralyſis eſt particularis Apoplexia, ideo dicitur paraplexia, & hemiplexia, hemiplexia ideſt Apoplexia media, eodem modo dicunt epilepſiã ſpaſmum, ſeu conuulſionem uniuerſalem, ſpaſmum uero particularem epileſiam, quare ergo non ſeruauit eundem ordinem hoc in loco?. Dico quod id fecit Raſis maxima ratione, nec potuit exactius ſeruare ordinem compoſitiuum, quia licet ſit uulgare dictum, quod ſpaſmus ſit particularis epileſia, epilepſia uero uniuerſalis ſpaſmus, ma-

xima improportio est, & differentia inter spasmum & epilepsiam, & inter paralysin, & Apoplexiam, quia paralysis pendet immediate ab Apoplexia, & consequitur post eam, sed non est ita de spasmo, quia non sequitur spasmus post epilesiam, præter ea epilepsia non est spasmus propriè, bene fit cum spasmo, ut ostendam uobis, sed Apoplexia est uera paralysis, quia priuat totum corpus sensu & motu, sicut facit paralysis in parte, præter ea non dependet ab eadem causa epilepsia, & spasmus, quia epilepsia nunquàm à siccitate prouenit, spasmus uero fit à siccitate, ut declarat Gal. in tertio de locis affectis in cap. de stultitia, sopore, lethargo, phrenitide, & mania, quia cerebrum non potest ad tantam deuenire siccitatem, ut contrahatur, sicut corium contrahitur, cum ergo sit tanta diuersitas inter spasmum, & epilepsiam, ergo aliter se habet ad ipsum, quàm se habeat paralysis ad Apoplexiam, ideo meritò prius agit de Apoplexia, & deinde quasi ad membrum Apoplexiæ deueniret, in his autem cum stet differentia, & disproportio nō modica, proinde incepit primo à spasmo, tanquàm à re simpliciori, quia talis est ordo compositiuus, ut à simplicioribus ad minus simplicia procedamus, quod autem simplicior sit spasmus, patet quia in uno tantum membro est, epilepsia in toto, tum etiam quia notior, ideo à spasmo prius incepit, & hæc quò ad ordinem. Circa rem ipsam (ut procedamus more nostro) per uiam methodi, & diuisionis à natura rei, quæ est ipsa definitio, cum ipsa sit, ex cuius dignotione dependet tota cognitio causarum,

&

& paßionum, ideo ego ſum huius ſententiæ, quod definitio ſubiecti non paßionis ſit medium in demonſtratione, quia à recta cognitione ſubiecti pendet cognitio omnium cauſarum, & paßionum, bene igitur fiet ſi à recta cognitione rei, & notione ſpaſmi incipiemus, & primo quid per hoc nomen, ſpaſmus, importetur. Quantum igitur ad nomen, ſpaſmus Græcum nomen eſt à Latinis conuulſio, & recte, dicitur autem ſpaſmus ἀπὸ τοῦ σπᾶν ideſt à contrahendo, quia in ipſo ſit contractio mēbri patientis hunc affectum, à qua contractione appellauerunt Græci ſpaſmum Latini eodem nomine, & ſcopo conuulſionem, quia trahitur ad ſuum principium, ſed quoniam habet plures differentias ſpaſmus, nomina etiam differentiarum aßignemus. Habet autem plures differentias contractionis, ubi uerſus anteriora contrahitur Græci emproſthotonon, quaſi tenſio ad anteriores partes dicitur. Cum aduerſus poſteriores partes trahitur opiſthotonon uocant, quaſi tendentem ad poſteriores partes, cum uero trahitur membrum partim ad anteriora, partim ad poſteriora, & æqualis ſit motus, & cum æqualis uis ſit, etiam tenſio ad æquales partes fiet, cum tantum poßit uis trahens ad partem anteriorem quantum ad aliam poſteriorem cum muſculi omnes operantur & dicitur iſte ſpaſmus ita compoſitus Tetanus ἀπὸ τοῦ τείνειν ideſt ab extendendo, eo quod extendatur membrum propter illos motus contrarios, Eſt autem ſpaſmus nomen commune, hæ ſunt differentiæ, admoneo uos, ne aduertatis etymologiam Modernorum, immo nihil

hili faciatis, quoniam ridiculæ sunt, & hæc quantum ad nomina ipsa, Quantum attinet ad rem ipsam, quid est spasmus? Certum est quod est actio læsa, Cuius uirtutis? est ne sensitiuæ, uel motiuæ, uel uitalis? Certum est, ex quo hic est motus, & præter naturam, quod hæc est actio læsa uirtutis motiuæ, & circa eius impedimenta. Dicebamus superius quomodo omnes functiones possunt auferri uel diminui, uel corrumpi, tolluntur, & minuuntur propter frigiditatem, corrumpuntur uero propter caliditatem, quia calidi est agere, & cum est temperatus, sunt actiones naturales, cum uero præter naturam corrumpuntur actiones, & hoc quando fuerit nuda qualitas, quia ubi est materia frigida corrumpitur etiam actio, ut in suffusione, uidemus enim corrupté, & quæ non sunt uidenda, & tamen à uaporibus frigidis fit, ubi ergo tollitur motus, unum fit accidens, quod paralysis dicitur, cum uero diminute tollitur, & ita, ut uirtus uincat, fit stupor, qui est uia ad paralysin, de quo in uirtute egimus, cum de paralysi pertractauimus, quia pendet ab eisdem causis, sed leuioribus, ideo qui speculatus est de paralysi, etiam de stupore speculatus est, si uero uirtus cum grauedine membri fuerit par, ita quod æquale sit pondus membri cum actione uirtutis, & non proueniat actio ab aliqua proportione maioris inæqualitatis, fit tremor in qua pugna tantum deponitur membrum agitatum à pondere membri, quantum eleuat uirtus, & cum fiant æquales actiones, causatur tremor. Si autem contrahitur ad suum

quomodo tremor causatur

prin=

principium & corrumpatur, hoc modo fit ſpaſmus, Eſt igitur ſpaſmus uitium in facultate uoluntaria, & mouetur membrum præter uoluntatem, ut redeat ad principium ſuum, iſte motus præter naturam factus dicitur ſpaſmus, & aßimilatur præciſe motui naturali, quia uirtus non impedita trahit cordam ad muſculi principium, ſiue extendens, ſiue complicans fuerit muſculus & quantum perſeuerauerit uirtus, neruus attrahitur corripiendo ſeipſum, & breuior fit, & hic motus fit, à uoluntatis imperio, ſed cum cauſa aliqua præter naturam in muſculo, neruo, aut corda eſt, quæ breuiorem poßit reddere & corrumpere irritando naturam, fit contractio, quæ uidetur uoluntaria, cum ita abbreuiatur, & muſculum & neruum, uerſus principium trahat, in qua attractione aßimilatur motui naturali, & uoluntario, & hic motus dicitur corruptus, & uitium eſt in actio ne uoluntaria. Iſta modo oſtendunt, quid ſit ſpaſmus, Ex hoc quod dico ſpaſmus eſt contractio muſculi & cordæ uerſus ſuum principium, hoc totum commune eſt cum motu uoluntario, cum uero dico præter uoluntatem, hæc eſt ratio, quæ diſtinguit motionem hanc, & contractionem morboſam à uoluntaria motione, & hæc eſt idea formalis præciſe ſpaſmi, ſed quia contractio hæc fit à cauſa, & definitiones accidentium ſolent dari per cauſas efficientes, ut ſexto & ſeptimo Metaphyſices, & non ſufficit formalis, ideo bene additur cauſa efficiens generalis, idcirco additur propter breuitatem factam à re præter naturam in mouente mem-

brum, & hæc est tota definitio & datur per genus proximum, & notetis quia nec Auicen. nec Author definitionum recte definiuerunt spasmum, quia non habuerunt rectam cognitionem spasmi, & Auicen. tam male intelligit spasmum, ut non fecerit differentiam inter Tetanum spasmum & Alcazet, cum non distinxit spasmum à Tetano, in signis postea ita confundit signa, ut ostendat prorsus rem eandem esse. Author autem definitionum hallucinatus est crasse in definitione spasmi, & ita definit, conuulsio est affectus, qui neruis, & musculis accidit, cum modo corpus totum, modo pars eius inuoluntarie sursum trahitur peccauit primo in genere, quia definit per genus communissimum, quia dicit, conuulsio est affectus, dat genus communissimum, & generalissimum in quo errore fuit etiam Auic. qui definiens spasmum dixit, spasmus est ægritudo tremosa, oportebat dicere est contractio non affectus, neque ægritudo neruosa, Cum dixit, qui musculis, & neruis accidit, uidetur esse macrologia, cum dixit, cum modo corpus totum, modo pars inuoluntarie sursum trahit. Ex his uerbis facit definitionem communem epilepsiæ, et spasmo, sed hæc ualde differunt. Definitio igitur uitiosa est, Ita definitio tetani, emprostotoni, & opistotoni uitiosa est, Ideo liber Spurius est, et talis uiri, ut ostendat se non habere doctrinam Gal. in aliquo. Dicamus igitur rursum spasmum esse contractionem musculi, & cordæ ad suum principium præter aliquam uoluntatem factam à re præter naturam neruo mouente. Et hæc est tota

na=

Auicenna male intellexit.

Author definitionum male definiuit spasmum.

natura ſpaſmi, Ex cuius cenceptione omnis noſtra Ars inueniendi differentias, & cauſas ortum trahit, ſed iam uideamus quomodo inuenimus iam ſpaſmum eſſe contra=ctionem muſculi, & cordæ præter uoluntatem, Ex hoc ſequitur, quod quot modis fiet iſta contractio, tot erunt differentiæ ſpaſmi, quia differentiæ ſumuntur à forma, & ratio formalis eſt hoc totum, contractio muſculi, & cordæ præter uoluntatem, Igitur ab ea ſumentur omnes differentiæ ſpaſmi, Tot igitur erunt differentiæ, quot modis fiet iſta contractio, & quia ad partes anteriores, ad partes poſteriores, ad utranque ſimul fieri poteſt tan=tum, ita non erunt, niſi tres differentiæ, quæ ad anterio=rem partem fiet emproſthotonos dicitur, quæ ad poſte=riorem opiſthotonos, quæ ad utranque ſimul tetanos. Videatis ex Gal. in libello de iectigatione, & ſpaſmo, & quinto Aph. 59. & alibi ſæpiſſime, nec plures, nec pau=ciores ſunt, ſic igitur habetis, quod penès huiuſmodi con tractionem ſumuntur iſtæ tres differentiæ, & quomodo ex recto conceptu definitionis oriuntur, Eſt alia pars in definitione, quæ dicit propter breuitatem factam à re præter naturam in neruo mouente, hoc quod dico in ner=uo mouente propter breuitatem eſt cauſa efficiens, Ideo quot erunt cauſæ efficientes breuitatem hanc tot erunt cauſæ efficientes ſpaſmum, Inueniamus modo quot ſint cauſæ, quæ poſſunt facere breuitatem hanc. Gal. tertio de locis affectis, cap. de ſpaſmo docet, quomodo debemus ue=nari breuitatem factam in neruis ab his, quæ apparent extrinſecus inuenientes, ſcilicet aliquid ſimile neruo, inue

Causa Efficiens spasmi

nit autem Galenus cordas cytharæ, & quædam coria membranosa ualde, Videamus ergo, quæ res poßit abbreuiare, & frangere etiam cordas cytharædorum, quia tot etiam erunt causæ in neruis musculum mouentibus, sunt autem hæ duæ causæ nec plures, nimia scilicet humiditas, & nimia siccitas, Ideo cytharædi cum uident tempus nimis humidum remittunt tensionem cordarum, scientes quod humiditas frangit, quia aer imbibitus in substantia cordæ facit eam craßiorem, & breuiorem, quia quantum tollit de longitudine, fit breuior, & in illa fieret spasmus, si esset animalis. Ideo sicut humiditas redundans cordæ hæc facit, ita redundans humiditas in neruo dilatat ipsum, & corripit longitudinem, ideo trahitur ad principium suum, & hæc est una causa, Alia est siccitas, si enim cythara prope ignem ponatur, uel in Sole franguntur cordæ, quia ex tali caliditate aduruntur, & humidū exhalat, & sic exiccatæ fiunt breuiores, & secundum longitudinem, & secundum latitudinem, Cuius signum est, quoniam si ponantur ad ignem contorquentur, & breuißimæ fiunt, ideo & à nimia siccitate, & à nimia humiditate contrahuntur, Ideo tot erunt causæ spasmi nimia humiditas, & nimia siccitas, humiditas quidem nimia dilatans, & abbreuians longitudinem, Siccitas uerò nimia abbreuians longitudinem, et latitudinem, Et hæ sunt ueræ causæ, uera est igitur definitio data propter breuitatem factam à re præter naturam in neruo mouente, & quod tantum duæ sunt causæ, quæ possunt facere breuitatem huius modi, Ideo recte Hip. 6. Aph. 39. dixit.

Spas=

Spaſmus ex inanitione, & repletione, & non affert niſi duas cauſas declarans Gal. Hip. inquit ex repletione; ideſt ex humido redundante, & longitudinem nerui abbreuiante, creſcente latitudine, Ex inanitione uero cum longitudo, & latitudo ex ipſa ſiccitate abbreuiantur, ut in octauo κατὰ τόπους de ſingultu loquens dicit Gal. nunquam uidiſſe, nec cognouiſſe plures cauſas ſpaſmi, quàm iſtas duas, unam à ſiccitate, alteram ab humiditate, ſed hic inſurgit ſchola Modernorum, & inquit, non ne ſpaſmus non proportionatus ad materiam datur, in quo tot ſunt differentiæ? optime dicis, ergo fuit inſufficiens Hip. Nego quia uerus ſpaſmus, & per eſſentiam, qui fit ex breuitate nerui, non eſt niſi per iſtas duas cauſas uel ab inanitione, uel repletione ex cognitione à natura rei ſumpta. Sed notetis, ſunt quidem alij modi ſpaſmi qui non ſunt ueri, ſed ſimiles uero ſpaſmo, quia in uero fit contractio illa cordæ præter uoluntatem, in iſtis uidetur quod fiat contractio præter uoluntatem, ſed non fit, nec illa eſt abbreuiatio, nec pura, nec ſimplex, ſed annexa ex uoluntate, & ex præter uoluntatem, ut in ſingultu, ſternutatione, & tuſſi, qui ſunt motus miſti ex re præter naturam, & à uoluntate, fiunt enim iſti ſpaſmi non proportionati ad materiam, cum neruus pungitur, aut percipit extra naturam aliquam qualitatem, contra quam inſurgit natura, & contrahitur ad expellendam rem illam præter naturam, nec fit illa contractio quia fit breuior, & quia humectatur exiccaturq;, ſed quia neruus ſtimulatur, & natura inſurgit, Ideo motus ille non eſt ſimplex, ſed com=

compositus, & ita aßimilatur iste motus Spasmo, ut declarat Galenus, quinto Apho. primo, spasmus ex elleboro mortale, & in fine lib. de iectigatione, & spasmo, Immo isti non proportionati ad materiam magis epilepsiæ aßimilantur, quàm spasmo, iam scitis quid sit spasmus non proportionatus ad materiam, & quid spasmus propter breuitatem factus non potest nisi ex illis duabus causis prouenire, à nimia humiditate dilatante, & à siccitate nimia longitudinem, & latitudinem abbreuiante, & quod spasmus non proportionatus ad materiam fit cum res aliqua acris, aut qualitas extranea lædit neruũ & natura insurgit ad expellendum, nec motus ille est merè uoluntarius, nec contrahitur, quia fit breuior, sed quia uult expellere, et talis est duplex quidam medius inter spasmum per consensum, et per essentiam, quidam per consensum, medius est quum qualitas quædam mala, uel humor acris, uel frigida qualitas, aut uenenosa musculum, aut neruum pungit, natura surgit, et quærit expulsionem, et dicitur medius, quia non potest dici uere per essentiam cum non adsit humiditas, abbreuians longitudinem, sed qualitas mordens, nec per consensum, quia non adest dispositio fixa, & de hac locutus est Galenus, quinto Aph. primo. Et tertio de locis affectis cap. de con uulsione, & in fine de iectigatione, & spasmo, Ille uero qui est per uerum consensum multiplex est, primo cum nulla re accedente ad neruũ compatitur alteri membro, & fit uel quia membrum neruosum afficitur, & cum diaphragma inflammationem patitur spasmus fit, ut notauit

Ga=

Galenus in de pulsibus ad Tyrones, ubi dicit ad inflammationem pulmonis sequitur spasmus, sicut syncopa ad inflammationem oris uentriculi, & atrophia ad inflammationem hepatis, & suffocatio ad laryngis inflammationẽ, suppreßio urinæ ad renes inflammatos, ad uteri strangulationem, & inflammationem, & ad septi transuersi inflammationem spasmus propter consensum uteri, & septi transuersi cum membro neruoso, & ita fit spasmus ex consensu cum membrum compatitur membro neruoso, uel fit, cum patitur principium, & sic fit spasmus, cum in cerebro est epilepsia, uel quis uulneratur in capite uulnere magno, quia patitur principium, fit spasmus, uel propter congelationem in uena caua factam, ut inquit Galenus tertio Prognost. 27. quia contingit in uena caua humoribus frigidis, ac uiscosis abundet, ratione quorum sanguis congelatur, & frigescit corpus ob talem congelationem, membra neruosa compatiuntur, & fit spasmus, uel fit propter humorẽ æruginosum in ore uentriculi, de quo Gal. duodecimo Methodi, in fine loquitur, & dat exemplum de quodam adolescente, qui æruginem noluit humorem æruginosum appellare, euomuit uentriculum erodentem, ob quam erosionem solebat in spasmum incidere, & euacuata ærugine cessauit spasmus. Quintus modus per consensum, cum fit à potu aquæ frigidæ, ex qua frigiditate stomachus ualde sensibilis incidit in spasmum, de quo Gal. 11. Methodi egit, cum dixit cauendum esse ne habenti uentriculum imbecillem aqua frigida exhibeatur, quia facit spasmum sextus & ultimus fit à potu

mul-

multi uini, & à crapula, & de tali Galenus in tertio de temperamentis, cum egit de ſuffocatione caloris à nimio alimento loquitur.

Sed debetis ſcire quod uerus ſpaſmus ex læſione in neruis factus propter ea dicitur uerus, quia neruus quatenus habet talem ſubſtantiam patitur, non quatenus ſenſibilis, quia etiam quod ſupponeremus neruum non ſentire, ſi ita afficeretur ſpaſmus fieret, ut de corda cytharædorum diximus, quæ ſi repleatur humiditate dilatatur, et quantum amittit de longitudine, tantum acquirit de latitudine, ſi uero exiccetur, amittit in utraque diametro, & ſecundum longitudinem, & ſecundum latitudinem, ideo dicitur uerus, quia accidit ſubſtantiæ membri, & quia talis eſt naturæ, quod ubi tumeſcit, & exiccatur abbreuiatur, ſpaſmus uero non proportionatus ad materiam talis eſt, quod in ipſo non fiunt contractiones, quia patiatur neruus in ſubſtantia, ſed ratione ſenſibilitatis, ut cum pungitur ab aliqua qualitate, dum percipit nocumentum, quia ſenſibilis eſt, contrahitur, ut expellat à ſe nocumentum, et hæc eſt uera differentia inter uerum, & non proportionatum ad materiam, Ideo Hip. non conſiderauit niſi illas duas cauſas, quia hæc uidentur potius ſymptomata quædam, et motus ſimiles ſpaſmo, ſed iſte etiam curandus eſt, Ideo oportet etiam ut habeatis ſuas cauſas de quibus diximus iam, ſed quoniam tota ratio curandi ex cognitione cauſarum dependet non erit inutile repetere eas. Diximus quod huius ſpaſmi non proportionati ad materiam, duo erant genera, unum cum aliquid actu lædit neruum, aliud

aliud quod ſit per purum conſenſum, primum genus, medium inter ſpaſmum per eſſentiam, & per uerum conſenſum fit à mala qualitate, puta à frigiditate intenſa lædente actu neruum, non quia diffuſa ſit per totam ſubſtantiã nerui, ſed quia pungit, & mordicat, et ex hac habet quod non ſit per eſſentiam, quia materia non eſt eſſentialiter in ſubſtantia eius, nec mala temperatura fixa, & fit à materia acri pungente, qui uero per conſenſum fit diximus quendam fieri ubicũque pars aliqua neruoſa læditur propter quem conſenſum compatiuntur nerui, ut de inflammatione ſepti tranſuerſi, & uteri, & ueſicæ diximus, ubicunque enim tale accidit, & non ſolum hæ particulares, ſed etiam uniuerſales affectiones, ut in epilepſia fiunt ſpaſmi propter talem conſenſum, quod afficitur quidem aliquod membrum neruoſum, & dicitur per conſenſum, quia non accedit ad neruum, niſi dolor conſenſus illius membri neruoſi affecti, ſecundus modus, cum principium patitur, cum fit magnum uulnus in capite, uel epilepſia omnes nerui retrahuntur ad principium, & fit ſpaſmus, tertius cũ uena caua refrigeratur propter admixtionem materiæ frigidæ congelantis ſanguinem nerui ſentientes horrorem inſurgunt, & fit ſpaſmus, quartus modus fit cum æruginoſa materia mordicat os ſtomachi, & totum corpus conſentit, nerui etiam conſentiunt, quintus modus fit à potu aquæ frigidæ ex qua ſtomachus refrigeratur, ex qua refrigeratione conſentiunt nerui uentriculo, non quia lædantur, ſextus à potu nimio uini, nec non à ueneno contrahitur membrum cũ uult expellere nocumen-

mentum,quia membra ita à natura dispofita sunt, ut inuicem habeant consensum,maxime cum his quæ habent similitudinem. Hæ sunt causæ,quæ faciunt differentias conuulsionum tam uerarum,quàm non uerarum, quæ dicuntur non proportionatæ ad materiam,& mediæ inter ueras, & quæ per consensum fiunt. His habitis necesse est, ut descendamus ad ea, quæ faciunt ad cognitionem rectam harum conuulsionum,quæ tria sunt, causarum cognitio, naturæ morbi,an acutus sit, nec ne, & in quo loco tanquam in subiecto sit, primo igitur dicemus de causis tam intrinsecis,quàm extrinsecis efficientibus,& de intrinsecis,tam proximis,quæ sunt ipsi morbi, quàm de remotis, secundo naturam morbi considerabimus, quia nisi exacte cognoscetis naturam morbi, nescietis ea quæ attinent ad finem assequendum,tertio loco an in musculis uel in neruis sit læsio,ut habeatis indicationes, quæ sumuntur à loco affecto, hæc igitur sunt uidenda, sed antequam hæc uideamus,oportet remouere unum dubium, quod quispiam uestrum mouere posset, Tu dixisti unum,quod apud me uidetur falsum.Conuulsionem dixisti habere triplam formam,uel flexio fit membri ad anteriora & emprosthotonos dicitur,atque appellatur,uel ad posteriora, & opisthotonos,uel ad utranque partem, & tetanos uocatur, qui compositus est ex duobus motibus contrarijs, mihi uidetur Paulum aliter dicere quia ponit unum caput separatum de tetano,& uult quod distinguatur causis à spasmo,& circa collum ponit,& trifariam diuidit ipsum,& inquit,quod quidam trahit caput ad anteriorem partem,

&

& hic appellatur emprosthotonos, quidam ad posteriorem, & opisthotonos dicitur, quidam recta ad utranque partẽ, & hic tetanus uocatur, & quod fit à materia crassa musculos colli occupante, hæc sunt diuersa ab his quæ dixisti, hanc opinionem secutus est Auic. quæ ita mentibus hominum est infixa ut plurimi Doctores, & quidem Egregij cum uiderent aliquem hominem habentẽ collum tẽsum ut in nullam partem moueri posset dicunt talem habere tetanum cum inclinatiuum habent caput, ut altiberi uidentur corpori emprosthotonum, cum uero uersus posteriora episthotonum pati uoluerunt, si uultis has flexiones capitis tetanos appellare, quia unicuique licet pro suo arbitrio uti nominibus modo sciatis causas appelletis quomodo uultis, si uero proprie loqui uultis, & ad mentem antiquorum Hippoc. & Gal. non erunt illa tria genera spasmorum, quia opisthotonos, & emprosthotonos non sunt magis in collo q̃ in alijs partibus, sed cum fit illa tensio quò ad materiam differunt. Si modo Paulus uoluit has colli dispositiones tetanum appellare, & quod causa sit pituita hoc nunquàm apud Galenum, nec apud Hippo. minus apud Oribasium, nec apud Aetium inuenietis. Hi enim faciunt quod Gal. Et si uultis quod Rasis doctißimus qui librum hunc composuit in sua ultima senectute non fecerit differentiam inter spasmum & tetanum id poterit uobis eße argumento quod nullam prorsus fecit mentionem de tetano, quia cum scimus curare simplicem spasmum scimus etiam curare tetanum, in hoc tamen differt quod acutior est, & cum maiori timore est curandus

tetanus. Auic. sumpta occasione ex his quæ dixit Paulus, & Galen. quia fuit aggregator quidam maximam fecit confusionem si tamen uultis hoc nomen tetani accipere cum Paulo uobis libeat, sed quia spasmus est cum motu cõtinuo, ideo epilepsia non est uerus spasmus cum fiat citra perpetuum motum, ut inquit Galen. tertio de locis affectis cap. de epilepsia, ideo si crederetis quod illa contractio colli esset spasmus erraretis. Redeamus modo ad rem nostram, & quia circa spasmum tantum causas uniuersales, efficientes in uniuersali habuistis de omnibus causis particularibus agamus, & dicamus primo de causis ueri spasmi, qui fit uel per repletionem, uel inanitionem, & de eo qui à repletione causatur, huiusmodi autem repletio intrinsecas, & extrinsecas causas habere potest, ex intrinsecis proximas, & remotas, & hæc omnia parient indicationem curandi, ideo oportet causas omnes repletionis scire. Circa intrinsecas proximas, quæ coniunctæ dicuntur, quoniam contractio ista symptoma est, non habuistis adhuc ægritudinem, quæ & ista causa proxima, & coniuncta est, cum idem sit ægritudo; & proxima causa symptomatum, quia nihil aliud est proxima causa symptomatum, nisi dispositio lædens operationes prouentu primo, ita quod inter actionem læsam, & symptoma nihil sit medium, & talis morbus est cum ergo morbus sit contractio eius causa est repletio, sed hoc est nomẽ generale habens omnes causas proximas, potest autem fieri repletio ista, uel propter simplicem affluxum materiæ, uel propter affluxum materiæ facientis abscessum, seu apostema,

&

& iste fluxus materiæ uel obsidet partem aliquam puta manus, & facit ibi tumorem præter naturam, & putrescit faciens inflammationem deducta materia extra cutim, uel occupat totum æqualiter, puta totam manum, ita contingit in neruo, repletur neruus, ex qua repletione fit cõtractio uel quia in capite musculi, uel in corda aggregetur materia, & inflammetur, cur autem in capite musculi, uel corda dixerim & non in musculo dicemus statim, uel æqualiter repletur corda, aut caput musculi sine inflammatione, Et sic quo ad repletionem duas causas habetis primi fastigij, modo hic affluxus materiæ uterque habet membra, si est inflammatio causa potest esse uera à multitudine sanguinis, & potest esse per bilis defluxum, & dicitur erysipelas, uel per affluxum pituitosæ materiæ, uel propter aquositatem, similiter à melancholia, ita quod quæcunque materia potest facere inflammationem, potest etiam hanc inflammationem facere si uero fuerit sine apostemate, & sine inflammatione tot esse possunt causæ, quot materiæ fluentes, inter omnes autem materias, quæ id possunt facere, & à quibus frequenter fit sunt sanguis, & pituita, & cum fit ex sanguine frequenter accidit ex punctura nerui quia sanguis non exit, sed currit ad caput musculi, aut ad cordam, et facit spasmum ante quartum, qui siue faciat inflammationem, siue non semper eadem est ratio. Si pituita sit, hoc est, quia corpus cacochymum est, & materia tenuis ut imbibi poßit. A biliosa autem materia fieri non potest. Sed diceret quispiam bilis tenuißima est, ut facile poßit substantiam nerui penetrare,

quare ergo non fiet à bile? Dico hoc non contingere, quia sensibilis est maxime neruus, nec patitur, ut bilis imbibatur in eius substantiam, & inflammationem faciat, sed anticipatur excuti seipsam, ut propellat nocumentum, & fit spasmus non proportionatus ad materiam, sed non fit uerus spasmus, non potest etiam nisi rarissime, & forte nunquàm ab humore melancholico fieri, quia crassior est, quàm possit imbibi in neruum, qui durus est, id ergo, qđ penetrat, est materia pituitosa, non loquor de crassa, & gypsea, quæ facit podagram, quia omnes podagrici spasmarentur, sed de tenui, hæc, non illa facit conuulsionem, sed & unus alius modus spasmi, qui ex repletione fit, uentositatis, & appellatur uulgo Granfus, & hæc uentositas frigida est, & pinguioribus contingit, tùm quia abundant pituita, tùm quia molliores habent neruos, ideo facile incidunt in talem spasmum ex uentositate illa imbibita in neruo, sed hæc resoluitur, et euaporat ex terna, uel quaterna concussione, licet etiam in aliquibus duret per quatuor horas, ut opus sit conuocare medicos, & hæc de causis intrinsecis spasmi ex repletione. Extrinsecæ autem sunt omnes illæ quæ multiplicare possunt, humores proportionatos, puta multitudinem sanguinis, & pituitæ, & quia rarò fit à sanguine, & si fit frequenter fit à punctura, à pituita uero plurimum fit ideo causæ extrinsecæ generantes humores proportionatos sunt illa, quæ multiplicare possũt frigidam & pituitosam materiam, ideo aer potissima causa & ita pueri, qui habent molles neruos debiles, & paratos, & plurima abundant pituita frequenter incidunt

Granfus

Extrinsecæ causæ quæ

in

in spasmum, fit etiam ut plurimum à causis uiolentis, puta à uulneribus. Cum uero fit ab inanitione, arescit tunc membrum, & tunc decrescit, cum suo alimento priuatur, ideo potest habere plures causas, & tot, quot sunt causæ, quæ possunt ariditatem facere, & hæ uel intrinsecæ, uel extrinsecæ sunt intrinsecæ uel complexio calida & sicca, & febres ardentes colliquantes quæ causones appellantur, in quibus tanta fit ariditas, ut moriantur cōuulsi. Extrinsecæ sunt omnes superfluæ euacuationes per fluxum sanguinis, per secessum, plurimus uomitus, ieiunia multa, sudor nimius, labores, accidētia omnia, uigiliæ, quia omnia ista exiccant, & ubi fuerit membrum aptum, facient spasmum, qui non fit nisi in paratis neruis, & ab eadem causa. spasmus igitur ex inanitione ab omnibus causis exiccantibus prouenit, exiccant autem, quæ tollunt humiditatem, & positiue, ideo quæ calefaciunt trahendo humidum ad se exiccant, sed per accidens, & ita omnia cibaria calida, & sicca maxime exiccant, & uinum meracißimum, ut narrat Galen. de puero illius Grammatici, qui uinum meracißimum bibit, & conuulsus mortuus est, maxime haurit humiditatem exiccando. Et hæc satis de spasmo sicco, & humido. Spasmus non proportionatus ad materiam, qui est medius inter spasmum per essentiam & per consensum, causas satis manifestas habet quia nocumentum habet in membro, & est uel humor acris, uel qualitas aliqua pura lædens neruum, contra quam insurgit neruus. Sed tunc quæretis, quænam est ægritudo faciens hunc spasmum, est ne in compositione, uel in complexio-

ne, aut in ſolutione continui? Dico quod à dolore pro=
uenit, ideo dolor eſt cauſa, & ita unum ſymptoma eſt cau
ſa alterius, & ſic contractionis cauſa erit dolor. Sed ad
huc oportet quærere ægritudinem ſed quia aliàs ſciuiſtis
quod dolor non fit niſi à ſolutione continui, uel à mala
temperatura, ergo ægritudo erit altera horum, ſed quia
diximus, quod mordicatio humoris acris uel frigiditas mul
ta erit cauſa, certe primum quod aduenit eſt mala tempe=
ratura uel nimium calefaciens, ad quam ſequitur præter
ea ſolutio continui, quia dicebat Galenus in ſecundo de lo=
cis affectis non differt cum quis pungitur acu, uel humore
acri, & in ſecundo de ſimpl. medicina dixit quomodo fri=
gidum mordicat, quia ſoluit continuum, quia ubi multa, et
conſertim frigiditas adſit conſtringit membrum, & fit
partium relaxatio, & ita ſoluit continuum, ideo eſt hic
mala primò temperatura, ad quam accedit ſolutio conti=
nui, ſiue acris humor ſit, ſiue mala qualitas, quæ debeat tā
tam mordicationem facere, ut dolorem cauſet, & neruus
uiolenter moueatur, ideo ſpaſmus iſte non fit ſine maxi=
mo dolore, & ſic cauſa proxima erit dolor, doloris uero
mala temperatura calida uel frigida, ad quam ſequitur ſo
lutio continui ita quod morbus compoſitus eſt ex mala
complexione, & compoſitione, ex complexione quidem,
quia imbibitur materia, & fit mala temperatura, ex com
poſitione uero quia fit nimis breuis, ut perdat opera=
tionem propriam, Ex hac amiſsione longitudinis, & mor
bus erit in quantitate, Et quod diximus de ſpaſmo ex re=
pletione idem prorſus eſt dicendum de ſpaſmo ex inani=
tione,

Frigidum quomodo Mordicat.

tione, ubi enim est mala temperatura sicca, & mala compositio, quia perdit de longitudine, & de latitudine, & morbus est in quantitate, illi uero, qui per consensum fiunt non habent ægritudinem propriam, quia non sunt tales, ut recurramus ad mēbrum spasmatum, sed ad id quod dat consensum, ideo cum mulier præfocata in spasmum incurrit, matrici occurrimus, & fouemus ipsam, ut subleuetur, in epilepsia etiam immediate quod cerebrum excutit materiam in uentriculis cerebri contentam non oportet illinire caput, occurrimus spasmo, quia per consensum est, nec contractio fit, quia uel neruus, uel corda patiatur, sed quia consentit, ideo de his nihil dicemus, quia referuntur ad ægritudinem quibus consentiunt, idcirco præfocationem matricis curabimus ubi spasmus prouenerit ex ipsa, epilepsiam curabimus, si fiet spasmus propter ipsam. Si uulnus fuerit in causa curabimus ipsum, si propter materiam æruginosam existentem in uentriculo Galen. euacuat uentriculum, & tollit ægritudinem, Et hæc sint sufficienter dicta de causis spasmorum, quibus habitis habebitis ansam accedendi ad curationem, sed non possetis adhuc accedere ad curam, nisi sciatis an sit in neruo, uel corda, uel in musculo, quia aliter curabimus spasmum si erit in musculo, aliter, si in neruo, ideo posset quis credere q̃d musculus esset læsus, & quod sit læsio in eo, quia actio musculi læsa est, sed licet sit læsa actio musculi, causa tamen non est in eo faciens uerum spasmum, immo nec etiam nõ proportionatus nisi raro sit in musculo, quia musculus tollerat multam mordicationem, nec potest in tantum exic

cari, ut fiat breuior, nec etiam à materia in tantum repleri, ut fiat eius longitudo breuior, quæ causet spasmum de repletione quia musculus habet multas cauitates recipientes materiam, ut fiant tumores ideo materia deberet esse multa admodum, ideo non potest esse in eo spasmus, nec propter affluxum, nec propter siccitatem.

Spasmus pro symptomate

Sed si nos intelligimus spasmum pro symptomate idest pro illo malo motu uoluntario, dicimus quod est communis affectus musculi, cordæ, & neruorum quoniam æqualiter læduntur, nec magis est proprius uni, quàm alteri. Si uero ægritudinem facientem symptoma, & materiam coniunctam, uel malam qualitatem, dicimus quod est mala complexio, uel mala compositio, quoniam spasmus est morbus compositus participans malæ complexionis, & malæ compositionis propriè, & principaliter est in neruo, propriaq; est paßio nerui loquendo de uero spasmo qui fit propter breuitatem nerui, uel cordæ ratione cuius breuitatis fit contractio. Quare autem sit in neruo, ratione primo, deinde authoritate comprobo, quo ad rationem hæc est, si à plenitudine debet fieri contractio, seu correptio, & abbreuiatio longitudinis, & dilatatio latitudinis, oportet, ut sit membrum neruosum, & durum, ideo Galenus cordæ cytharedorum comparat, quæ sicut ab humiditate, & siccitate franguntur, idem contingit prorsus neruis abbreuiatio autem non potest contingere, nisi in membris duris, & siccis, si in musculis hæc eadem contingat, quia membrum carnosum est musculus, et à natura multas cauitates habet, si materia incidat in ipsis,

sis, non ita corripiuntur, & dilatantur, quia habent receptacula, & si augetur, magis fit tumor, & inflammatio, Ideo propria paßio est neruorum. Si uero à siccitate fiat contractio, nec musculis contingere potest, quia non potest fieri, ut ad tantam siccitatē perueniat musculus, quod corripiatur secundum omnem dimensionem, Ideo uel neruus est ratione suæ soliditatis, & siccitatis, uel corda, & erit symptoma, ubi imbibitur materia tenuis dilatans latitudinem, & abbreuians longitudinem, cum autem exiccatur adhuc magis abbreuiatur, & corrumpitur, & istæ sunt rationes persuadentes. Adest præterea authoritas Gal. in definitionibus pulsuum, & causis contra Heraclidem Tarentinum, qui credidit conuulsionem fieri in arteria, immo cum pulsat, quod fit quidam spasmus, & hoc idem repetit in tertio de locis affectis. Neque debetis deterreri ab hac opinione, licet uideatis apud Galenum quinto Aph. primo, & quarto de ratione uictus in acutis comm. 83. utroque loco Gal. dicit affectionem esse musculorum, & neruorum, sed in quarto musculorum tantum & recte spasmus affectus musculorum dicitur, si intelligetis symptoma, si uero ægritudinem facientem spasmum in neruis est, & hoc quantum ad subiectum, in quo inuenitur causa spasmi, & hæc sunt necessaria, quia non poteritis sumere indicationes curandi à loco affecto, nisi sciatis locum, quia curatis causam, & ægritudinem, non symptoma, ideo oportet scire in quo loco sit, quia multum refert scire, an sit in musculo carnoso admodum, uel in capite musculi, ubi est tendo, & corda, modo non suffi-

Authoritas

Contradictio Galeni.

cit ſcire cauſam formalem, & differentias ſpaſmi formales, & cauſas eius, & in quo membro ſit, ſed oportet ut ſciatis etiam cuius naturæ ſit, quia longe differt, ſi morbus ſit chronicus, uel acutus, & aliter inſtituitur ratio uictus in acutis, & aliter in chronicis, præterea ſi eſt multorũ, & ſæuorum accidentium, quia aliter curatur ægritudo bonorum morum, aliter malorum accidentium, Ideo natura, & mores ſunt conſiderandi. Dicimus ergo quod ſpaſmus eſt acutus morbus, qui in decima quarta terminatur, Ideo dicebat Gal. in fine de iectigatione, & ſpaſmo, ſcimus ſpaſmum difficile curabilem cum ſit ægritudo acuta, quia antequam explicet medicus remedia, æger moritur, & hoc idem natura rei indicat, & qui uiderunt eum, ſciunt, quod eſt acutus, & peracutus, primo quod ſit acutus neceſſarium eſt, quia ibi eſt frequens, & continuus motus conuulſiuus, quia ratio formalis ſpaſmi eſt, quod ſit in frequenti, & continuo motu, & propter hanc cauſam differt ab epilepſia, in qua non eſt continuus motus, & hic motus facit ad reſolutionem ſpirituum, præterea adeſt dolor uehementiſſimus, & ita importunus, ut nihil ſit importunius, quia membrum dolens hoc remedium habet ipſam ſcilicet quietem, modo in hoc cum ſit illa conuulſio continua, non poteſt facere quin continue cõuellatur, Cum ergo habeat dolorem, & perpetuo, moueaturq́; continue, ita exacerbat, ut reſoluat uirtutem, cum de maxime proſternentibus ſit dolor, & fœtor, ſequitur præterea ad dolorem inflammatio, quia dolor attrahit materiam, & adtrahendo magis, ac magis inflammatur, præ-

terea

Spasmus est Acutus morbus.

Quare Acutus

terea ſubſequitur ſyncopa, & reſolutio uirtutis, & tandem mors, inde uel cito interimit, uel euadit, uel reſoluitur, Eſt ergo acuta ægritudo, & in decimaquarta terminatur, quia acutæ ægritudines, (dicebat Hip.) in decimaquarta terminantur, Et quoniam ſpaſmus tres habet differentias, ſeu ſpecies, de quibus diximus, ſcilicet quod quidam emproſthotonos, quidam opiſthotonos, quidam tetanos appellabatur, de quibus diximus, etiam omnes iſti nõ ſunt æque æquales, immo emproſthotonos, quandoque ad uigeſimam, & ad trigeſimam peruenit, & ideo eſt, quia flexio membri ad anteriora facilior eſt, quàm flexio ad poſteriora in qua fit maxima uiolentia, ob quam ſequitur ægritudo acutior, quia ſymptomata ſequuntur acutiora, tum quia ad anteriorem partem flexio naturalis eſt, ideo non facit ægritudinem acutam, neque ſua accidentia, Ideo poteſt diutius perdurare, at in flexione ad poſteriora acutiſsimus dolor ſequitur, ſicut ſi brachium, ſiue caput fuerit, ideo acutior excepto ſpaſmo, qui fit in muſculis genu flectentibus, longe benignior eſt, quàm cũ fit opiſthotonos, & trahitur membrum ad poſteriora, et ita à natura rei dicetis quod licet omnes ſint acuti, emproſthotonos eſt benignior, & poteſt ulterius produci, & etiam uſque ad 49. protrahitur, & ſic habetis ſolutionẽ omnium difficultatum, ex recta intellectione rei. opiſthotoni ſunt acuti ſemper, nec producuntur, nec diutius perdurare poſſunt præter illum, qui eſt in genibus, ſed ille qui Tetanus appellatur, quia motus Tonicus eſt à Gal. inde motu muſculorum, qui motus eſt maior, cui tamen

non

non uideatur motus, quàm sint illi qui uidentur, quia tunc omnes musculi agunt flectentes, scilicet & tendentes æqualiter, ideo tonicus dicitur, & ob hanc causam homines difficilius stant erecti, quàm quando ambulant, immo coguntur tunc modo sub uno, modo sub alio pede quiescere, quia non fit æqualis motus omnium musculorum, In tetano igitur cum sit duplex spasmus, & æqualis uirtus agens adest primo illa mala dispositio in corda et neruis, quæ trahit membrum, & flectit ipsum ad unam partem, cumq; ad illam deberet trahi, alia dispositio neruorum contraria trahit ad oppositum, & fit maxima uiolentia ex utraque parte, & ideo si unus spasmus posßit esse lethalis, quid facient duo spasmi? Ideo peracutus est, & non terminatur in decimaquarta, nec in septima, sed in quarta. Ideo dicebat Hip. quinto Aph. sexto Tetani, in quatuor diebus terminantur, & si transierint euadũt, Ita quod necessarium est, aut interficiant in quarta, aut terminentur, & hi sunt ualde acuti. Videtis ergo omnes spasmi sunt acuti, ita tamen quod minus acutus sit em prosthotonos, longe magis acutus opisthotonos, et raró, uel nunquam decimaquartam, uel septimam excedit, Tetanus uero qui duplex spasmus est peracutus, est propter accidentia duplicata, nec quartum pertransit, Et ita scitis totam naturam spasmi, Et hæc sufficiant, ut cognoscatis totã essentiam spasmi. Cognita natura spasmi erat accedendum ad curationem, quia curatio, et indicationes curandi à natura, & causis morbi sumuntur, & quia cognoscitis naturam, & causas morbi non adest amplius impe-

d=

dimentum, quin poßitis accedere ad curam, ſed contingit, ut huius naturæ & cauſæ morbi non cognoſcantur, cum non appareant ſenſui, niſi per ſigna, Ideo conſideratio ſignorum per accidens intercidit inter cognitionem naturæ, & cauſarum, quia non poſſumus cognoſcere naturã, & cauſas, niſi per ſigna, quod ſi talis cognitio haberi poſſet ſine ſignis ſuperflua eſſent, & ſi unico tantum reliqua eſſent ſuperflua, ac inutilia, ſed quoniam ita latent aliquando cauſæ, & natura morbi, ut opus ſit per ueras coniecturas procedere, tot ſigna enumerata ſunt, aliquando etiam ita patent, ut non ſit neceſſe laborare in ſignis, propterea Gal. ſex lib. de locis affectis fecit, in quibus demonſtrat per ſigna ea, quæ non patent, Cum ergo non poßimus ſcire cauſas, & naturam morbi niſi per ſigna, nec poßimus curare, ſine cognitione naturæ morbi, & cauſarum, ideo de ſignis agendum. Circa artem ſignorum diximus ſupra in qualibet ægritudine duo genera eſſe contemplanda, quæ ſcilicet portendunt futuram ægritudinem, & quæ indicant præſentem. Futuram enim ægritudinem cognoſcere debetis, quia uobis duo utilia acquiretis, primo prognoſticam artem habebitis, qua mediante prædicetis ægro futura cum maximo ueſtro honore, ſecundo occurretis ægritudini, ut non adueniat, loquor nunc cum bonis, qui non appetunt, ut homines diutius ægrotent, ut pecunias lucrari poßint, debetis igitur cauere, ut tollatur ægritudo, antequam eueniat, Signa ergo quæ portendunt ſpaſmum futurum, hæc ſunt, Et quia diximus uel à repletione, uel ab inanitione prouenire, uel

eſſe

Sed primo de signis agendum.

Portendentia

esse non proportionatum ad materiam, quicunque fuerit cognoscetis, antequam eueniat, sed loquendo prius de eo, qui à repletione fit, primo cum accedetis ad ægrum, si fuerit puer uel infra septimū, uel decimumquartū, Temperaturæ humidæ, & ægrotet cum febre, uel aliqua alia ægritudine, ubi sit multa plenitudo, & habeat urinas tenues, doleat caput, terreatur in somno, cum hæc uidebitis pronunciabitis spasmum, quia omnia hæc sunt requisita ad spasmum, tùm propter neruorum mollitiem, quæ apta admodum est, tùm propter ingluuiem maximam, et multam, & temperaturam, & sic habemus subiectum dispositum, præterea febris adest cum multitudine humorum, corpus dispositum, & præparatum, Vrinæ tenues indicantes materiam transmitti ad alias partes, non ad urinam, Ideo Galenus secundo de tuen. sani. & Auic. in 3. primi, ubi loquitur de ægritudinibus puerorum, inquit tenuem urinam spasmum indicare in pueris, dolor etiam capitis, & terror in somnijs signa sunt, quod nerui afficiuntur, Ideo oportet materiam remouere, in qualibet repletione, si ad uulneratum accedetis, & doleat, & uulneratus sit in neruoso loco, & uulnus transeat ad neruum, & post dolorem incipit inflammari, & pulsus tanquam chorda renitens percipitur, oportet tunc, quod occurratis, quia non transibunt duo dies, quod fiet spasmus, quia membrum neruosum uulneratum est cum dolore, & tensione pulsus sicut corda. Si non fuerit uulnus at plenitudo cum febre, debetis considerare, an habeat imbecillitatem neruorum, & fuerit assuetus pati ægritudines neruorū,

Vrina tenuis

Ad vulneratus accedentes ad aegr: [illegible]

&

& præterea sentiat saltus in neruis, & habeat illam speciem, quæ appellatur gramphus, & urinæ albæ sint, et terretur in nocte, & doleat illi caput, prædicetis futurū spasmum propter materiam decurrentem ad neruos sanguineam, uel pituitosam. Si uero loquimur de spasmo ab inanitione, si uidebitis febrem colliquantem, uel uigilias multas, & corpus exiccatum, & habuerit accidentia animi, uomitum multum, egestiones, fluxum excedentem hemorrhoidum, maxime in mulieribus, & narium etiam, ætatem maxime aspicietis, cum habuerint neruos debiles, quia agens rectius agit in patiente bene disposito, Ideo non modo causas, sed corpus bene dispositum debetis considerare, si hæc duo aderunt, facilius iudicabitis, & istæ sunt uiæ ad cognoscendum spasmum futurum. Si fuerit spasmus non proportionatus ad materiam similiter facietis, quia cum uidebitis humorem acrem redundantem, & facere iectigationem, & saltum, & æger fuerit debilium uirium, facilius iudicabitis, si uero per consensum fuerit, nihil neruo patiente, cognoscetis id per cognitionem ægritudinis facientis consensum, si fuerit epilepsia, aut uulnus in capite, uel uomitus æruginosus per hæc scietis causam, cur fiet præfocatio matricis inflammatio eius, nec non diaphragmatis, congelatio sanguinis in uena caua, Ex his cognoscetis spasmum futurum, ubi hæc inceperint. Hæc de signis portendentibus futurum spasmum sufficiant. Signa indicantia sunt duplicia, quædam indicant, & distinguunt species, quædam indicant genus totum. Signa indicantia genus totum, & communia omni

Gramphus

Signa Indicantia Disciplina.

Signum pathognomicon. Unum ponit Rasis.

ni generi plura sunt, sed unum pathognomonicum est, quod quidem conuenit cum ipso spasmo, Est motus ille inuoluntarius contractionis, ideo Rasis diuinus cum fecit syndromen signorum, unicum tantum posuit, cum illud tantum sit necessarium, & ita semper facit, cum uidet duo, aut tria, esse necessaria, uel quatuor etiam tot accipit, & suam syndromen facit, hoc in loco unico tantum fuit contentus, ne redundaret in superfluo, ideo inquit CVM ALIQVOD membrum alicuius contrahitur, & ad suam redit originem, aut plura ex membris sic disponuntur, ut spasmata esse pronunciamus. Et facit syndromen suam ex unico tantum signo, sed potest esse, ut quis adeo delicatus sit, ut ex qualibet leui causa doleat, tùm etiam quia nonnulli habent quosdam motus naturales, qui facile iudicarentur motus spasmosi, alia etiam sunt enumeranda signa, & sunt dolor primo loci conuulsi, alienatio propter consensum cerebri, uigiliæ adsunt, quia sunt in continuo motu, & dolore, adsunt ferè semper febres, uel saltem sequuntur, quia possunt fieri incipiendo sine febre, & aliquando febris superueniens curat spasmum de repletione à causa frigida prouenientem, Adest præterea ille pulsus, de quo loquitur Galenus in de causis pulsuum cordosus, nisi chorda tenderetur, quæ percuteret digitum in pluribus locis, & ita clarum est hoc signũ, ut solum efficiat, præter ea calor, & color diuersus, & rubeus apparet, modo enim calet æger, modo friget in diuersis partibus, & hoc propter maximum, & inordinatum motum sanguinis, qui cum dolet, & totũ corpus compatitur

Pulsus cordosus.

patitur mutatur ad uaria loca ſecundum quod magis ad unam, aut ad aliam partem mouetur, modo palleſcunt, modo rubent, modo facies Hippocratica fit, modo turget ex inordinato motu ſpirituum & ſanguinis ad uaria loca propter uarios motus, de urina quia uaria apparet non erit multum conſideranda, aliquando ſubtilis, & uaria apparebit, quandoque prorſus retinetur, & hoc fit præcipue, quando eſt maximus ſpaſmus in toto corpore, & omnes muſculi conuelluntur & quia cerebrum admodum conſentit, delirat, & hoc non eſt, quia non excitetur, quia (ut dicebat Hippoc. ſecundo Aphor.) ubi ſunt duo dolores in eodem loco. Et Gal. in commento non modo in uno ſed in uarijs, minorem offuſcat maior, tùm quia dolentes aliqua parte corporis dolorem non ſentiunt his mens ægrotat, non inſurgit ergo uirtus non quia non excitetur uirtus expulſiua, & motiua, ut muſculos moueat, & excrementa omnia expellat, ſed quia intenta eſt aliis doloribus uirtus motiua, ideo retinetur, aliquando mingunt multam urinæ quantitatem incoctam, quia in tali conuulſione totius confertim ad renes aquoſitas tranſit, aliquando etiam ſanguis mingitur purus, quia fit expreßio illa, & dilatatio ſubita renum, & tunc ſanguis aquoſus excolatur, & antequàm fiat ſeparatio, & nutritio renum ita ſubito exprimitur propter conuulſionem totius, & illius partis ut excernatur ſanguis, Aliquando optime cõcoctæ minguntur, ut habetur à Galeno quarto de ratione uictus Acut. commento 88. & propterea ſignum ex urina non erit euidens, quia poteſt eſſe uaria, reliqua ſunt perpetuo

aßiſtentia ipſi conuulſioni, & hæc ſunt ſigna communia toti generi, licet ſint ſæuiora in una ſpecie, quàm in alia, ſi fuerit emproſthotonos erunt leuiora, ſi opiſthotonos quia acutißimus eſt, erunt etiam ſæuißima. Sunt etiam alia ſigna indicantia, quæ diſtinguunt genera generaliſſima quia dicebamus, quod quidam fit à repletione, quidam ab inanitione, primum ſignum eſt quod nullus ſpaſmus fit à ſiccitate ſubito, omnis autem, qui à repletione fit ſubito fit ideo ubi fiet ſubito, à repletione, ubi paulatim à ſiccitate proueniet, & ſic hoc ſignum diſtinctiuum eſt illius primi faſtigij. Quæ uerò diſtinguunt cauſas efficientes, fiunt pro modo cauſarum, & quantum ad repletionem attinet ſigna indicantia repletionem, & ſpecies puta propter inflammationem aderit ſanguinis inflammatio, propterea ſi ſanguis erit ſignum erit inflammationis, quæ dicitur phlegmon, ſi erit eryſipelas, erunt ſigna eryſipelatis, ſi ædema erunt ſigna ædematis, ſi fuerit à repletione ſine inflammatione, puta à pituita tenui occupante caput muſculi, uel cordam, ſigna tunc ſumentur ab intrinſeco & ab extrinſeco, ab intrinſeco quidem ideſt à propria natura humoris, ideo ſi erit pituita in corpore percipietur frigiditas ad tactum, pulſus erit tardus, urina craſſa, uel tenuis, uel albicans, Ab extrinſeco uero quæcunque generant humorem pituitoſum, ſi præceſſerunt puta otium, cibaria frigida & humida craſſa, lacticinia, quæ paſtilia dicuntur, piſces, qui degunt in paludibus, uina frigida & craſſa non multum potentia, item alij ſolent euomere pituitam, retinentur aliquando talia excrementa, & poſtea ex=

excernuntur tùm per uomitum tùm per egeſtiones. tēpe ratura, regio, anni tempus conſtitutio aeris, hæc omnia faciunt, ut cognoſcatis pituitam aggregatam. ſi ab inanitione præceſſerunt ſigna puta fluxus narium, inteſtinorum uomitus multus, uigiliæ, & corpus fuerit exiccatum, animi accidentia, febres colliquatiuæ, ſi uero fuerit ſpaſmus non proportionatus ad materiam bilis multitudo aggregata erit & à rebus extrinſecis & intrinſecis, Et hæc ſufficiant.

Sed unum deeſt circa ſigna, nam uideo apud medicos approbatos circa rectam cognitionem ſpaſmorum, & circa tetanum fieri maximos errores, & uidi anno elapſo, & diſputatum fuit de quodam nobili Veronenſe, qui collum habebat tenſum, ut in nullam partem poſſet moueri, niſi ſe totum uerteret, uolebant quod eſſet ſpaſmus, & propter ea cynicum appellant ſpaſmum, cum muſculus exempli gratia partis ſiniſtræ oris trahit reliquam partem oris dextram ad ſe, cum tamen curent affectum hunc eo modo, quo curatur paralyſis, appellant tamen cynicum ſpaſmũ, quia ſi recte intellexiſtis ea, quæ diximus, non poterit contingere error, quia oſtendi uobis formam ſpaſmi, & quid eſſet, & oſtendi quod erat morbus malus motus, modo hæ contractiones, & tenſiones muſculorum propter ſyrrhos, & ſpaſmata propter inciſiones fibrarum, et illæ paralyſes ſunt facilis cognitionis, quia iſta omnia ſunt ſine motu, ſpaſmus uero cum continuo motu, & cum dolore, illa ſine dolore, niſi quando cogunt ui quadam uertere caput, iſta habent materiam uiſcoſam in

musculis impactam ideo non possunt mouere caput, quia obstruuntur musculi à materia gypsea spasmus uero est affectus chordarum, & neruorum, & in omni paralysi, ubi una pars musculorum resoluitur, altera contrahitur ad membrum oppositum & sunt contractiones paralyticæ, quia musculus est resolutus, ideo ille, quem appellat spasmum cynicum est pura paralysis, præterea spasmata, quando fibræ neruorum sunt incisæ à uulnere, uel ab humore erodente, cõtrahitur membrum, sed sunt sine motu, & incurabiles affectiones, quia erosa, & incisa fibra, quid erit curandum, differunt autem ab illa contractione, quæ fit per resolutionem, quia & potest curari, spasmata minime, ideo caueatis ab his erroribus, hoc autem optime facietis, si distinxeritis rectum conceptum spasmi, & quicquid consideratur circa naturam spasmi, & circa differentias, & causas, & circa distinctionem ueri à falso, & circa cognitionem eorum, quæ fiunt per essentiam, & per consensum, & nunquid acuti sint nec ne, an lethales, uel ne. Omnis hæc consideratio facta est propter curationem ipsam, & tantum deuiabimus à recta curatione, quantum errabimus in recta cognitione eorum, quæ diximus. Aduertatis igitur circa rectam cognitionem spasmi, nos sumemus indicationes, quia non potest recte operari, nisi ratio operandi aliqua sit, quæ nascatur ab aliqua indicatione. Supponatis igitur illas uniuersales indicationes, de quibus iam diximus, quod quædam à sanitate, & causis eius, quædam à morbo, & causis eius sumuntur, quædam à communibus, de primo capite nostrum non erit

rit

rit agere, sed procedemus per indicationes, quæ sumuntur à rebus præter naturam, à morbo scilicet & à causis morbi, & quæ à medijs, & communibus sumuntur, sed quia indicationes curatiuæ illæ potissimæ sunt, quæ à morbo, & causis eius sumuntur, ab illis incipiemus, hæ autem partim ab ipsa natura morbi, partim à causis facientibus morbum oriuntur, quæ sumuntur à natura morbi, uel ab ipsa forma, & essentia sumuntur, quæ consistit, aut in complexione, aut in compositione, aut in solutione continui, & morbus iste uel simplex est, uel compositas, aut considerabitis morbum à termino, an scilicet uel factus sit, uel fiat, uel à symptomatibus, uel à motu morbi, uel à coctione, uel à cruditate, Ab his quinque debemus sumere indicationes curandi, & in his exercere sumpta indicatione à morbo, uel à natura eius, iam igitur debetis scire ex his quæ diximus quid sit spasmus, cuius naturæ, & cuius formæ, scitis enim quod est morbus in complexione per affluxum materiæ, uel per ariditatem, & in compositione, quia spasmus chordam, uel caput musculi abbreuiat, & propter hoc actio musculi læditur, & corripitur, ex natura huius rei, & ex cognitione formæ spasmi iam scitis incipere, & habere curationem, rationemq; operandi, quia est in complexione, scio quod est res præternaturam ergo debet remoueri, si fuerit arida, & sicca, scitis quod oportet per oppositum humectantibus procedendo occurrere. si ex repletione, & per affluxum materiæ, scitis quod est euacuanda materia, Quantum ad compositionem cum sit chorda illa breuior facta, debet reduci ad natura-

a Natura Morbi.

lem suam longitudinem, & docet natura morbi indicatione sumpta à forma morbi, secundum caput indicationum, quæ dant modum operandi à termino sumuntur, quia longe differt sumere indicationes à morbo cum iam factus est, & cum iam adhuc fiens est, si enim ad huc fiat, hæc duo sunt, ad quæ respicere debetis, primum est remouere iam factum, aliud prohibere id, quod futurum est, & sic duæ indicationes à termino morbi oriuntur, una, remouere quod factum est, secunda prohibere futurum ne fiat, & omnia hactenus sunt communia, duasq; indicationes, quæ à forma, & termino morbi sumuntur, didicistis, tertium caput à symptomatibus sumitur, Et multum refert, si uultis habere rectam cognitionem curandi ægritudines scire accidentia, quoniam quanta & quot afferat accidentia spasmus ipse sciunt, qui uiderunt ipsum, primo affert dolorem ita intensum, ut sit necessarium, ut sedetur, si spasmus sedari debet, præterea sæpe contingit, ut à spasmo sequatur alienatio, præterea si in musculis colli tetani fiant, aliquando etiam protenduntur usque ad musculos thoracis, & impeditur anhelitus, ut suffocentur, nisi succurratur illi symptomati, fiunt etiam syncopæ, quæ curari debent, igitur indicationes plurimæ sumuntur à symptomatibus, sic autem facietis cum symptoma ita sæuum erit, ut habeat actionem causarum idest nouum genus ægritudinis facere, & interficere, sicut in colico dolore fit, in quo etiam contrarijs ægritudini occurrimus, ut tollatur symptoma, si enim pituita fuerit causa phylonium exhibebitis, & opium, quæ tamen sunt contraria morbo, quia non cu

ratis

ratis ægritudinem, sed dolorem, & aliquando ita sæuum est symptoma, ut tota ratio curandi uertatur circa ipsum, & ita prius considerandum est, an in morbo sint symptomata, & hic tertius locus. quartus locus est cognoscere motum morbi ad rationem uictus instituendam, & ad exhibendum remedia, ut primo Aphor. & primo de crisi, & inde ratione uictus Acut. ubi ostendit, quantum referat scire an acuta sit ægritudo, nec ne, quia aliter non poteritis uictum instituere, & medicamenta exhibere. Quintus locus, & ultimus, qui sumitur à natura morbi est, ut cognoscatis cruditates, & concoctiones, quia si materia concocta est, & natura uicerit morbum, scitis quid agendum, quia concocta medicari, atque mouere &c. Si uero cruda, nisi turgeat, & acuties morbi cogat & symptomata, non quæretis euacuationem, sed concoctionem, & ita non parum refert scire coctiones, & in his quinque consistit tota ars curandi morbos quæ sumuntur à natura morbi, & diximus, quod indicationes partim sumuntur à natura morbi, & partim à causis, de his quæ à natura morbi sumuntur diximus esse quinque capita, nunc de indicationibus, quæ à causis morbi sumuntur. Causarum uero quædam sunt iutrinsecæ, quædam extrinsecæ, Extrinsecæ sunt aer, cibus, & potus &c. & hoc non modicam faciunt corpori alterationem, & ab his sumuntur indicationes, neque credatis illis, qui dicunt à causis primitiuis non sumi indicationes, uerum est, cum non adsunt, exempli gratia nos uolumus curare spasmum humidum uel siccum, si causæ extrinsecæ aduersantur spasmo, non erunt

a Motu morbi

a natura Morbi

Indicatio
nes desump
tae a Causis Morbi.

corrigendæ, & sic indicatio ab illis sumitur, ut permittantur, aliter non curabitis, si enim siccum spasmum curabitis indicatio ab extrinsecis causis sumpta indicat, ut cubiculum frigidum eligatis, in quo nulla sit exiccatio, & præparetur cum humidis & frigidis, indicatione à cibo sumpta, non debent sicca cibaria exhiberi, nec calida, sed frigida, & humida præter ea somni, & uigiliæ sunt moderandæ, & prouocare somnum cum opiatis etiam si aliter facere non poßitis. Circa motum, & quietem etiam sumuntur, ut humectantia, & refrigerantia sint, & breuiter omnia sint contraria morbo, ita quod si aduersantur morbo permittantur, si fouent corrigantur, si spasmus à causa frigida fuerit omnia exterius adhibenda, circa cibum et potum, & reliqua omnia calida & sicca erunt, ut etiam febris procuretur illis cum habent spasmum à pituita, A causis ergo extrinsecis alterantibus sumuntur indicationes tales, ut coorigantur cum non aduersantur morbo per oppositas qualitates, cum uero aduersantur permittuntur. Quæ autem sumuntur ab intrinsecis causis morbi multæ sunt & uariæ, sicuti causæ intrinsecæ sunt uariæ, quædam enim dicuntur coniunctæ, & proximæ morbo, quædam remotæ, & ita se habent in omnibus ferè morbis à materia, ut quædam materiæ sint, quæ actu faciunt morbum, ut in spasmo, paralysi, Apoplexia, & in absceßibus, quædam uero remotæ quæ fouere possunt morbum, & defluere ad locum, non tamen fluxerunt; Istæ causæ prout remotæ sunt, indicationes habent, & quæ sunt coniunctæ similiter habent suas indicationes, re

motæ

motæ quidem dant duas indicationes, prima, ut auertamus longe à loco affecto ipsas, quò ad fieri poßit, quia quanto remotiores faciemus eas à loco, locum securiorem redde mus, secunda, ut per oppositum euacuemus, Quantum attinet ad coniunctam duæ nascuntur indicationes, & omnes generales sunt hactenus, uel deriuamus materiam existentem in loco ad propinquum locum, uel locum ipsum affectum euacuamus, & istæ omnes deriuationes ad propinqua, euacuationes à loco, euacuationes ad oppositum ad longinqua auersiones sunt instrumenta ad euacuandam materiam in loco contentam, & quæ rationem habet suæ causæ remotæ. Sed dicetis omnia ista unde habent originem? Quantum ad species, & modum operandi determinatum sumuntur à causis particularibus, Si est materia remota ad oppositum & auersionem, & euacuationem facitis, Si coniuncta per deriuationem à loco propinquo, uel per locum ipsum quæ omnia si uobis erunt distincta, distinctæ etiam erunt indicationes, & rationes operandi, Ad modum igitur particularem operandi considerationem dirigamus, hic est spasmus à materia, iam habetis modum operandi particularem, sanguis peccans, uel sub forma causæ antecedentis, uel remotæ considera tur, idest prout nondum defluxus est, uel sub forma causæ coniunctæ, idest prout iam fluxus est. Cum enim non est fluxus, indicatio à causa sumitur remota, Modo quando sanguis indicat euacuationem, & diuersionem per conuenientem regionem, per sanguinis, scilicet mißionem eligemus euacuationem per phlebotomiam, & ideo cum cau

ſam remotam uolumus euacuare, eligimus conuenientem uenam, & tunc rectitudinem facere debemus, ſi uolumus retrahere, quia tunc eligimus rectam lineam, quæ citius, & melius euacuat, & diſtantiam conuenientem eligimus, & hoc eſt κατ' ἴξιν ſeruare, ideſt rectitudinem, et ita ſi in dextra parte fuerit, à parte dextra, ſi in ſiniſtra à ſiniſtra trahemus, ſi uero cauſam coniunctam uolumus euacuare habemus duo inſtrumenta, deriuationem, & quò ad hoc ſanguis docet, ut uenam eligatis proximam, et quæ colligantiam habeat cum loco affecto, præterea habemus à loco ipſo euacuationem, Et quantum attinet ad euacuationem à loco, ſi ſanguis fuerit exempli gratia in manu ab ipſa manu euacuari debet per ſcarificationem, & ſoluentia calida, & humida, leuia tamen, & caueatis tanquam à peſte ne foueatis locum ad euacuationem cum rebus calidioribus, & ſiccioribus, quia ſubtilioribus partibus reſolutis craßiores remanerent, quæ adurerentur, et ad cancros, & antraces deduceretis, Ideo non tranſeatis oleum liliorum alborum, & chamæmelinum, et ſi ſanguis ſit feruentior cum oleo roſaceo, uel uiolaceo, ut refrangatur calor, miſceatis, ita ergo facietis circa operationem à loco, ſi materia ſanguinea fuerit, ſi fuerit remota à loco, auertetis, & euacuabitis per phlebotomiam rectitudinē ſeruando, ſi coniunctam, deriuabimus per uenam proximam, ſi à loco cum fomentationibus iam dictis, & cum ſcarificationibus, ſi uero bilis fuerit, ut contingit in ſpaſmis non proportionatis ad materiam indicatione ſumpta à materia ſi conſideratur pro cauſa antecedente, ideſt non=

nondum fluxa indicat, ut diuertatur ad oppositum, & euacuetur, & hoc commune est omnibus materiebus, cum quibus autem instrumentis, non quidem cum phlebotomia cum hæc sanguini competat, sed cum his, quæ euacuant bilem, trahendo ad oppositum, sicut est inter simplicia aloe simplex, hyera simplex, caßia, manna, habetis præterea tamarindos, pruna, succum absinthij, succum lupulorum, quæ omnia sunt mitia, mirobalanos citrinos habetis, rhabarbarum, diagridium efficacius, elaterium adhuc efficacius, Composita sunt ellecterium de psyllio, de succo rosarum, ellecterium rosatum Mesue, pilulæ aureæ, ellecterium de sebesten, quod mitius est, habetis hæc omnia in antidotario, Et hæc quo ad euacuandam bilem, quò ad deriuationem à loco non utamini phlebotomia, quia bilis nõ indicat phlebotomiam, sed perligaturas, frictiones ad oppositum trahetis, faciendo leuem dolorem, calorem in parte opposita, ut materia subtilis defluat ad propinquũ, quo ad euacuationem à loco non utamini fomentationibus calidioribus, nec transeatis fomentum liliorum alborum, & chamæmelinum cum oleo rosaceo, uel uiolaceo, uel cũ modico aceti ad penetrationem, quia Galenus in secundo ad Glauconem, & in tertio Therap. admonet nos, ut à calidis fomentationibus abstineamus, immo & à frigidis cauere debemus, & ego curaui erysipelas, nec unquam uolui uti fomento aliquo, & optime curatum est, quia irritatur ab omni leui causa, Si frigida ad acerbitatem, Si calida ad ariditatem deducetis, Et ita habetis indicationes omnes sumptas à causis morbi intrinsecis, siue sub forma

cau=

Instrumenta

Simplicia

Composita

causæ antecedentis siue coniunctæ consideretur. Si uero pituita fuerit, indicationes habet cum alijs communes, si enim consideratur sub forma causæ antecedentis, indicat, ut ad oppositum retrahatur, & euacuetur, instrumenta autem simplicia sunt carthamus, cnycus apud Diosc. cuius medulla efficax est, terebinthina, decoctum mercurialis, quæ sunt leuia, flos caßiæ non minus pituitam quàm bilem educit, fortiora sunt agaricus, colocynthis, thimelæa, catapotia minora, & tithimalorum genera, turbith, si haberemus uerum; composita sunt hieræ magnæ, hieræ colocynthidos, Ruffi Archigenis, confectio Hamech, pilulæ cochiæ, & de hermodactilis. Quantum ad materiam coniunctam per deriuationem ad propinqua trahendo, & quia tollerat fortiora remedia, tollerat etiam cauterium circa aures, Si fuerit in cerebro materia phlegmatica, et caustica poteritis applicare ad uiolentam attractionem. Pro euacuatione autem materiæ actu à loco, cum iam fixa est, debetis aduertere, cum uultis euacuare à loco, ne à ualde aperientibus, & incidentibus incipiatis, quia subtile traheretis, & crassum remaneret ingypsiatum, ab emollientibus autem incipere debetis eligendo tantum calida & humida circa primum gradum, quoniam hæc maturantia, & emollientia sunt, sed quæ sunt calida & sicca ad secundum, ut anethum, myrrha, bdellium, ammoniacum, sagapenum, crocus, sunt efficacißima ad concoquendam materiam pituitosam præcipue bdellium, & ammoniacum, reliqua calidiora adurunt, facta concoctione ad calida & sicca accedetis in tertio gradu, quæ sunt cimi-

num,

num, fœniculum, calamentum, pulegium, maiorana, & si hæc non sufficiant, ad dropaces ueniatis, quæ trahent uiolenter à centro ad superficiem, errubificant, ut pyrethrũ, pix, opopanax, succus cyneraicus, quæ omnia complicationes à Latinis appellantur, & differunt à synapismis, quia non solum rubificant, & uesicant, sed etiam escaram inducunt, ut synapis thapsia, euphorbium, flammula Iouis, cuius maxima copia est ad Benaci lacum, quæ calidissima, et efficacissima est, præterea cantharides, buprestis, & totum illud genus, & ita habetis materiam commodam ad materiam pituitosam diuertendo, & euacuando, cùm sub forma causæ antecedentis, tùm deriuando à loco propinquo, & euacuando per locum, cum est sub forma causæ coniunctæ, Et hæc quantum attinet ad indicationes, quæ à causis sumuntur.

Reliquæ sunt modo duæ, quæ à loco affecto sumuntur, & quæ à uirtute indicationes, quæ à loco affecto sumuntur, octo capita habent, unde sumuntur particulares indicationes, membrum enim affectum consideratur primo quò ad subiectum, & ad modum substantiæ, à temperatura, à plasmate, à colligantia, à situ, à facilitate patiendi, & ab operationibus, hæc omnia faciunt diuersas indicationes, primo substantia aliter enim curamus membrum carneum, ubi uenæ, & arteriæ sunt, aliter curamus exangue membrum sicut est neruus, A modo substantiæ si membrum fuerit durum, uel molle, quia alia remedia patitur membrum durum, alia molle, A temperatura etiam longe diuersa adhibentur remedia calidæ siccæ, frigi=

gidæ, humidæq; temperaturæ, A plaſmate an habeat ca-uitates interius, an denſæ, uel laxæ ſubſtantiæ ſint, hæc e-nim ſunt conſideranda ad remedia inuenienda, A colli-gantia, an habeat cum principali membro colligantiam, A ſitu, an ſituatum ſit in profundo, uel in ſuperficie, A ſenſibilitate, an ualde ſenſibile ſit, uel parum, Ab operatio nibus, an obſeruiat toti, hæc omnia ſunt conſideranda in ſpaſmo ſumpta indicatione à loco affecto, Id quod affici-tur eſt corda, uel neruus, Eius ſubſtantia eſt exanguis, et dura, & quia ſitus eius eſt in profundo, indicatione ſum-pta à modo ſubſtantiæ, & à ſitu, ſcitis acuta remedia con-uenire, quæ poßint excutere materiam infiltratam, ut di-cunt Moderni infixam impactam in illo membro alioqui ſolido, Ideo oportet uiolēter extorquere eam, propterea bene dixit Paulus, Auic. & Raſis in litera, quod quantū attinet ad materiam coniunctam facientem ſpaſmum, ea-dem prorſus curatio eſt, ſicut curatio paralyſis, differt ſolum in hoc, quod in ſpaſmo acutioribus frictionibus fo-mentis, & linimentis utimur, indicatio autem, quia id fiat, à loco affecto ſumitur, licet iſti non dixerint, quia in para lyſi muſculus patitur. Ideo materia facilius excutitur à muſculis, Indicatio autem à materia ſumpta eadem pror ſus eſt, præterea indicatione à temperatura ſumpta, cum neruus ſit temperaturæ frigidæ & ſiccæ non debemus humectare multum, aut multum calefacere, ſed dicetis quare ergo acerrimos dropaces, & ſynapiſmos adhibe-mus in neruis, ſi acria non conueniunt? indicatione à ſitu ſumpta id facimus, quia in profundo ſitus eſt neruus, Ap pli-

plicamus talia, quia ſumus tuti, quod remedia cum ſua acrimonia non accedent ad locum, quia multum amittent in uia de acrimonia, & hoc dixit Gal. in ſecundo κατὰ γένη, & in alijs locis, Indicatione ſumpta à colligantia, maximam habent cum cerebro nerui, & cordæ colligantiã, Ideo ualde patitur cor, & fiunt ſyncopæ, cum ſtomacho etiam maximam habent colligantiam, Ideo cum curatis affectum neruorũ, cerebrum & cor curabitis, quia ſummopere compatiuntur cum odoratis præcipue corroborabitis, quia odorata corroborant ſpiritus, & calorem innatum, & hæc duo membra corroborantur propter corroborationem ſpirituum, immo cor eſt fons caloris innati, & ſpirituum. Ventriculus autem præter odorata modice aſtringentibus corroboratur. A facilitate patiendi, ſi uidebitis à quolibet nocumento extrinſeco membrum pati, ſicut neruus, qui ab omni re mordicante patitur, non ſunt ei applicanda mordicantia, Ideo à terebinthina cauet Gal. dummodo ſit ſpatium intermedium notabile, tunc utitur ea, neque debemus lædere neruum aliquo motu, qui excitat dolorem, Ideo Herculanus male dixit, ut in his ſpaſmis debeatis trahere morbus ad oppoſitum, quia ſi hoc faceretis morbus creſceret, & materia attraheretur multa, & magis creſceret affectio, ſed forte id accepit ab Auic. quem ſequitur, ſed non intelligit Auic. ipſe quidem docet, quod leniter, & blande reducatur membrum ad ſitum proprium, ſed non docet quando, quia mos eſt eius, ut nunquam tempora diſtinguat, Ideo Montagnana dicebat, quod duo erant infamantes mundum,

Dictum Montagnanæ

dum, Auer. qui philosophiam infamauit, Auic. medicinã, sed hoc poteritis agere cum iam causæ remotæ erunt, & dolor sedatus, & non prius, Non ergo uerum est, quod dicit Herculanus, cum aliquis est in paroxysmo trahatur membrum ad contrarium, immo situs est eligendus, ut minor fiat contractio, quia minora sequentur accidentia. Ab operationibus quò ad neruos attinet, sunt quidem magnæ operationes, quia sunt delegati ad motum, & ad sensum, non tamen deseruiunt alijs, igitur non multæ sumuntur indicationes ab operationibus, Ista sunt octo loca sumpta à loco affecto. Est modo uirtus, & hæc tria ita se habent, Morbus indicat quid agendum, Membrum affectum indicat qualiter, idest qualitatem agendi. Virtus usque ad quem terminum, & nihil aliud est uirtus, nisi ueluti Rex quidam in ciuitate obsessa ab hostibus, qui cum adsunt ad Regem pertinet, ne illos profliget, sed aliquando ita debilis est, ut si statim arma caperet, & pugnam iniret cum hostibus, periculum esset, ne captiuus fieret, Ideo tentare prius debet, nunquid poßit habere præsidiũ aliquod extrinsecus, immo etiam quadamtenus potens sit, non debet sumere iustum prælium, sed paulatim pugnare, & hoc fit, cum Medicus non debet aggredi totum morbum, quia uirtus non est potens, & ita fecit Gal. qui uirtutem Regi, & membra principalia arcibus, & corpus ciuitati, ægritudinem hostibus aßimilauit, Indicationes ergo, quæ à uirtute sumuntur, ita sumuntur, perpendendũ, scilicet est, an uirtus sufficere poßit, necne, Et ista sunt tria genera, unde sumere debetis indicationes, & aduertatis

Error Herculani.

Nota.

Pulcherrima Comparatio

tatis ista capita uniuersalia, ita debetis habere in mente fixa, ut semper sint uobis parata, quia inde oriuntur omnia, inde orietur Ars, & tunc habebitis artem exemplo illius, qui habet Artem canendi, & tantum offeruntur notulæ in chartis sex lineis depictis, quæ diuersa habent signa, & diuersas figuras, quæ figuræ indicant diuersum modum operandi, habentq; diuersos situs, qui indicant quo modo erigenda, & deprimenda sit uox, & hæc uniuersalia ita habet infixa in mente, ut statim quod ei offertur cãtilenam canit sic & uos habetis ex his capitibus, quæ pauca sunt, & facietis, si in animo fixa habebitis, ut uobis postea facillimum sit circa particularia sicut cantores faciunt illis sex lineis, & notulis exercere labor autem erit solum modo circa principia, in successu postea erunt facilia omnia. Sed iam habuistis illas uniuersales lineas, & notulas. Supponamus modo spasmum, & per illas omnes intentiones iam dictas discurramus totam rationem curandi, & supponamus aliquem nostrum medicum iam uocari ad aliquem conuulsum, ubi accesseritis ad talem, quid erit primo à nobis faciendum? primum quod facere debetis est notare, & diligenter considerare totam naturam morbi & formam, fiet facilis cum hominem quæritis ex figura & uultu cognoscetis ipsum, postea alloquimini ipsum, natura autem morbi, ut uos iam docui, consideratur, primo cognoscendum cuius generis sit, an in complexione, uel compositione, uel in solutione continui, secundo quam formam habeat iste motus conuulsionis, quam diximus esse contractionem inuoluntariam musculi ad suum

cipium, cum ergo accedetis ad conuulſionem, & uidebitis unum membrum, uel plura, aut etiam totum corpus contrahi conſiderabitis an iſte motus conuulſiuus ſit ad anteriora, uel ad poſteriora, uel Tetanus, in quo membra fle=ctuntur ad utranque partem, & fit extenſio quædam uiolenta, cum hanc formam uidebitis cognoſcetis ſpaſmum, et ultra cogitationem iſtam ſcietis, ſi contractio erit ad anteriora, quod erit leuis, ſi ad poſteriora grauior, ſi Tonicus eſt grauiſsimus, ſed ponamus quod fiat ſpaſmus medius in quo fiat contractio ad poſteriora, iam ſcitis ſpeciē, & quod eſt malus, ſed tamen non peſsimus omnium, iam conſiderauiſtis formam ſed hoc non ſufficit, ſed oportet conſiderare utrum ſit ab inanitione, uel repletione, & ſupponamus, quod inueniatis ſpaſmum à repletione eſſe per ſua ſigna, iam utamini habitu in mēte, & incipiatis uos diſcurrere per ueſtra loca, modo non ne ſunt alia conſideranda, cuius motus eſt, debet ne cito terminari, uel tarde. Eſt opiſthotonos ergo acutus, quia in 14. terminatur, ergo 14. diebus hæc omnia ſunt peragenda, diſcurratis etiam ulterius, non ne in conſideratione naturæ morbi ſymptomata ſunt perpendenda, & uideamus, quot accidentia ſint, & ſupponamus, quod habeat maximum dolorem, et uigilias, his ſymptomatibus oportebit occurrere, hucuſque ſciuiſtis, quod ſpaſmus, quem curare debetis eſt opiſthotonos à repletione, qui terminari debet in 14. die, & propter ea cum ſymptomatibus malis coniunctus, cum uigilijs ſcilicet & dolore, eſt ne aliud uidendum? utique, nunquid adſit ſignum uictoriæ naturæ contra morbum,

nec

nec ne, & supponamus, quod sit spasmus partim factus, partim fiens, & causam habeat antecedentem, & coniunctam, & fiat augendo, Ex his omnibus scitis quis morbus sit, & cuius naturæ, quid debetis aliud considerare? Restant adhuc alia, quia frustra consideraretis morbum, & naturam eius, nisi consideretis etiam, quis est ille qui patitur, & supponatis quod sit quadraginta annorũ, & tēperaturæ, in qua abundat humiditas, sit pinguis, nec magnus sit excessus in caliditate, & frigiditate sed in paßiuis tantum, tempus anni sit autumnus, & in regione frigida, quid debetis facere? Debetis scire, & proponere prognosticum, & considerare, an poßitis agere, nec ne, & opus uestrum perficere, si potestis, agendum est, si uidebitis id fieri non poße, cum protestatione ad opus accedetis, ægro tamen pollicemini sanitatem, & quod liberabitur, Astantibus uerò dicetis ægritudinem eße acutam cum sæuis accidentibus, & quod res est in discrimine, ut si aliter contingat, q̃ ipsi sperant, sit uitio ægritudinis. Hoc præfato aggredimini curationem, non quidem ex receptarijs, sed debetis uestras indicationes sumere, & habitum uestrum canendi, & dicere morbus iste est à repletione, & quia partim factus est. & partim fiens, ut diximus, ergo habet duas causas coniunctam, & antecedentem, oportet ergo remouere causas istas, modo à qua causa incipietis? A causa antecedenti, quia prius debet intercipi materia fluens postea, quæ fluxa est, aliter nunq̃ curaretis, sed debetis ne statim opus aggredi? quia iam sciuistis, quod est morbus acutus, & ideo cito agendum est, sed unum aliud est, quia

duo accidentia ſunt coniuncta, quæ ſi non tollantur, num=
quàm curaaitis, & ſunt dolor, & uigiliæ, ideo illis eſt oc
curendum, quia dicebat Auic. ubi purgare uolueris, dolo=
rem prius ſeda, cum ergo hic ſit dolor, ſi uultis quid boni
facere, debetis dolorem ſedare, & uigilias ipſas in ipſo
die, Et hæ duæ indicationes principaliter oriuntur, prima
ut tollatis materiam, & cauſam antecedentem, ſecunda ut
tollatis accidentia illa, cum ab his duabus eſt incipiendum.
Quantum ad indicationes, quæ ſumuntur ab ipſa antece=
denti cauſa uos habuiſtis regulas, quomodo ſit proceden=
dum, quas docuimus, cum docuimus curare paralyſin, pri=
mo cum his quæ pituitam euacuant, & quia non poteſt e=
uacuari niſi præparetur, ideo prius concoquenda eſt, de=
inde incidenda, & abſtergenda, & uiæ aperiendæ, deinde
euacuanda, Hæ ſunt generales regulæ ſemper obſeruan=
dæ indicatione ſumpta à materia, & à cauſa antecedenti,
ſed quia magna eſt differentia ab illa, et ab hac cauſa, cum
ibi non habeatis aliquid, quod deducat uos à recto trami=
te, Hic autem habetis morbum, qui præceps eſt & in 14.
terminandus, idcirco illis concoctionibus, & præparatio
nibus non poteritis uti, quibus commode in paralyſi uti po
teritis, cum ægritudo ſit, quæ dat indutias, præter ea ibi
non adſunt accidentia, hic uerò adſunt, & dolor, & ui=
giliæ tùm etiam quia in paralyſi uirtus permanet, hic au=
tem continue reſoluitur ob dolorem, & motum illum re=
ſoluentem, & propter uigilias, & ideo cura iſta differt
ab illa, ideo primo incipietis, à remotione cauſæ antece=
dentis hoc modo, ſimul etiam à remotione accidentium, &
ad

ad remedia accedetis, & in prima die si eritis uocati statim ante discessum uidebitis hæc duo fienda, ut anodinum accipiatis ad sedandum dolorem, & prius cum his, quæ à qualitatibus manifestis id facere possunt, & sine attractio ne cum motu facili, sicut est oleum chamæmelinum, oleum liliorum alborum, decoctum altheæ, butyrum recens, axũgia porcina, oleum sesaminũ, seu anethinum, uel de cherua, seu rieinum quod constat ex cataputia maiori ricinum appellatum, uel oleum maturum, & tandem omnia calida citra primum gradum & humida in eodem, ut leniant, & humectent suis qualitatibus manifestis, Quæ uero occultis agunt secundario offeruntur, primum renes nouiter extracti abagno, uel ueruece, aut ariete, & actu calidi circa principium neruorum, ubi fit contractio applicati dolorem sedant, præterea pro medicamento insigni à manifesta, & occulta qualitate sacculus salis circa nucham applicatus, summopere confert, & hoc rationem habet, si à capite descendat materia, quia exiccaretur, A stupefacientibus autem cauendum est, quia pertinacem faciunt ægritudinem, quia accidentia faciunt sæua, nimis recluderetis materiam, & inculcaretis ipsam, ubi hæc feceritis circa symptomata doloris, circa uigilias facietis decoctum anetinum, melinum, quæ faciunt ad causas, & ad somnum, cum modico croci, odoramentum ex eisdem facere poteritis, & capitis lotiones post cibum aliquid uini confert, et somnum inducet, Et hæc quò ad symptomata, ubi hæc ordinaueritis in prima uisitatione quò ad symptomata statim ad curationem causæ antecedentis accedetis, & primo

Prima die
Anodinum
Renes
arietini
+
+

uidebitis, ut recta instituatur uictus ratio subtiliata scilicet, si habere poteritis aues montanas, nihil præstantius, ideo primo circa cibum, & potum ita sit moderatus, ut sciatis in 14. die sufficere, ideo diæta media erit inter tenuem & crassam, & ideo uidebitis, ut duas, tresve auiculas, si fuerit assuetus plurimo cibo comedat, quæ condiuntur cum cynnamomo, nuce muscata, gariofilis cimino, aniso, apio, idest petroselino, & fiet iusculum cum his auiculis, & pane infuso utatur, panis autem fiat bene salitus, bene coctus, & si esset bis coctus esset melior, in quo sit anisum, cinnamomum, & aliquid tale, quod uim exiccandi, & attenuandi habet, circa potum uero abstineat à uino, sed loco eius utatur decocto conuenienti ex cinnamomo cum modico macis, uel gariofilorum & anisorum cum zuccaro, & gratissimus erit potus, & ad incidendũ efficacissimus, ita quod & cibus, & potus erunt illi remedia, circa aerem, si fuerit in aere frigido, & humido eligat aerem calidum & siccum cum suffumigijs calefacientibus et exiccantibus præparatum, ut exteriora omnia uergant ad caliditatem, & siccitatem, & fiat unum clystere in sero quod tale erit, Accipiatur anethum, chamæmelum, rutha, & in aqua decoquantur ad medietatem, deinde hemina accipiatur huius aquæ, in ea ponatur oleum ruthaceum chamæmeli aceti unc.iij. mellis rosati, & cum oleo, si uultis, fiat clystere. His præparatis, & ordinatis tùm quò ad symptomata doloris, & uigiliarum, & ad rationem uictus & cum attenuatione materiæ, & ad aluum, & ad præparandum materiam, His eritis contenti, &

sum=

abstineat à Vino

clistere

summo mane accedetis, & statim uisis uidendis, si erit in eodem symptomate, nolo, ut expectetis coctionem, sed faciatis ut Auicen. prima quarti de febre ephemera, exhibeatis medicinam fortem debilem, quam ita appellat Auicen. quoniam habet medicamentum, quod potenter euacuat, ideo fortem appellat, & quia in pauca qnantitate exhibetur, debilem nominat, sicut sunt pillulæ cochiæ, quæ in dosi sua, potenter euacuant, sed sunt in quantitate scrupu i. & sic est medicamentum forte debile, Ego uero utor medicina familiarissima, quæ accipit cassiæ drach. vi. agarici præparati drach. i. uel ad summum scrupu. iiij. & purgat pituitam crassam sine molestia, ideo eo mane iubeatis, ut statim sumat uel drach. s. pillularum cochiarum, uel de hermodactilis, uel hoc meum pharmacum & facta euacuatione pro eodem die, in uesperi loco illorum lenium anodinorum poteritis ea, quæ molliunt accipere, & iubebitis, ut ita fiat, accipietis oleum de fænugræco, uel anethinum, aut oleum de seminibus lini &c.

Vt sciretis recte discurrere ab uniuersalibus ad singularia, & in his uersari secundum artem, quod commune est omnium artium, quæ operantur secundum rationem, ut igitur omnia hæc necessaria inquam sciretis in materia de spasmo proposuimus exemplum, & docuimus quomodo curari debeat secundum ueras rationes ab uniuersalibus incipiendo, & deueniendo ad singularia, & hoc fecimus, postquàm causarum cognitionem & signorum docuimus, & morbi essentiam, & indicationes om-

nes, illasq́; , ut causis applicaretis , in istis uos exercuimus uniuersalibus , & dedimus regulas omnes , quæ requirebantur ad hoc , ut tandem ad particularia deueniretis, proposuimus autem exemplum de spasmo, & quia non explicuimus curam, nunc complebimus, proposuimus ergo conuulsum aliquem, ad quem essetis uocati, qui haberet conuulsionem illam, quæ opisthotonos appellatur, quæ fit cum trahuntur musculi, & extenduntur ad posteriorem partem, quæ ideo dicitur opisthotonos, quia difficilius curatur quàm illa, quæ emprosthotonos appellatur, & reddidimus causas, cur difficilior, & consulto elegimus hanc, quoniam media est inter emprosthotonon, & tetanum, supposuimus, quod à repletione penderet, quia distinguuntur spasmi quò ad causas in spasmum ex repletione, & inanitione, secundum formam uero in emprosthotonon, & opisthotonon, & tetanum, & diximus de eo, qui à repletione, et à materia pituitosa crassa prouenit neruos replente, ut distingueremus eum ab eo, qui fit à sanguine ex uulnere, supposuimus præter ea, quod causa non solum in loco affecto, sed in toto corpore erat, et quòd morbus partim erat factus, partim fiens, ideo causam antecedentem, et coniunctam habebat, proposuimus, quod accidentia habebat sæua annexa, et proposuimus, quod dolorem haberet acutum ualde , et uigilias, et quod patiens esset quadraaginta nnorum, et tempus autumni, et præter ea quò ad concoctionem, et cruditatem, quod materia illa esset cruda, iste fuit totus casus, primum quod debetis facere, cum proponitur talis uel simi-

milis casus, est ut cognoscatis, quæ sit illa, ægritudo supposito autem quod cognoscatis eam talem esse, qualem diximus, poteritis curare eam, & quamcunque aliam triplici uia, uno modo empirice, sicut ferè omnes nostra ætate faciunt, qui non habent, nisi signa quædam distinguentia ægritudines, ex signis extrinsecis hoc habito habent libros distinctos loquentes de singulis ægritudinibus per capita, habent Sauonarolam, Gattinariam, Phylonium, Isti qui utuntur hac uia, cum sciunt spasmũ esse, currunt ad Phylonium, uel ad Sauonarolam, qui plura remedia describunt, & incipiunt remedia illa exhibere, quæ descripta sunt, siue conueniant, siue non, Est item aliud genus intermedium Medicorum, qui participant methodum Galeni, & declinant secundum unam partem ad empiricos, & secundum aliam ad Dogmaticos, & isti non procedunt nec ex commentario, sed habent intentiones suas, & sic discurrunt, Est mihi procedendum in spasmo, qui habet materiam antecedentem, & coniunctam, & accidentia, hac uia: & debent duo facere, unum quod dirigitur ad symptoma, alterum quod dirigitur ad causam antecedentem, tertium ad causam coniunctam, & postea quartum addunt, cum non habeant ueram artem, quod superfluum est, ut ostendam, & dicunt oportet, ut ponamus rectam curationem in sex rebus non naturalibus. quintum addunt, impoßibile est quod dicunt isti, quod ubi est fluxus materiæ, & non fecerit temperaturam malam in membro & factum sit imbecille, Ideo remota ægritudine debet corroborari membrum, & ita sibi quinque proponunt in=

tentiones, prima, quod euacuanda est materia antecedens, secunda coniuncta, tertia remouenda sunt symptomata, et corrigenda accidentia, quarta ponendum est regimen in sex rebus non naturalibus, quinta corroboranda sunt membra debilitata propter affluxum materiæ. tertium genus Medicorum nolunt, neque primum, immo contemnunt ipsum uti uulgarißimum, nec secundum, quia imperfectum, & accedunt ad tertiam uiam, quam Gal. inuenit, quam etiam uoluerunt isti medij assequi, sed non potuerunt, Genus istud non proponit intentiones, quia nisi fundentur in re stabili istæ intentiones, sæpe faceretis superfluas, sæpe diminutas, ideo debitam rationem operandi non possunt assequi, nisi habeant fundamentum, & indicationes certißimas sumptas à natura rei, & tot erunt, quot sunt necessariæ, nec abundabunt in superfluis, Isti non habent duas intentiones, Nos uero per indicationes inueniemus earum radices, quæ erunt necessariæ, & superfluas uidebitis, Volumus medicari spasmum secundum Galeni uiam à natura rei sic procedemus, Hic est opisthotonos, si consideratur pro forma symptomatis nullam dat intentionem, quia est actio læsa musculi, quæ deberet protendere membrum, secundum uoluntatis imperium, sed non potest, istud accidens est remouendum, & nullam facit notiorem indicationem, & quia dolor adest alia insurgit indicatio, & cito terminatur, cito peragenda sunt omnia remedia, & hoc indicat natura symptomatis. Natura uero morbi, quem diximus esse malam temperiem per affluxum materiæ, dat aliam indicationem, quia ma=

mala temperies debet remoueri, sed hæc indicatio uniuersalis est, & quia est materia, debemus euacuare eam, A morbo ergo nascitur hæc indicatio, ut materia euacuetur, & quia in natura morbi non solum formam, & genus, sed terminum morbi consideramus, an materia sit fluxa iam perfecte, an uerò adhuc fluat, & sit materia redundans in toto, sic duæ oriuntur indicationes, una à materia fluxa, quæ coniuncta est, quæ indicat, ut tollatur, & remoueatur, alia à materia fluxura, quæ dicitur causa antecedens, & istæ duæ indicationes, intentiones pariunt, primo, ut coniunctam causam euacuemus, secundo, ut euacuemus causam antecedentem, & ita istæ duæ indicationes numeratæ habent causam intentionum, & hæc erant ab ipsis dicenda, & in his conuenimus cum medijs, Vidistis præterea in nostris uniuersalibus in consideratione naturæ morbi, ut symptomata consideretis, et proposuimus duo, unum erat dolor, aliud erant uigiliæ, Symptomata aliquando dant indicationem operandi, quandoque non, Ideo non est semper uerum, quod intentio ad symptoma dirigatur. Ideo non sunt dandæ hæ quinque intentiones, quia intentio symptomatum non est semper uera, nec trahunt ad se curam, nisi raro, & tunc trahunt sicut dicit Gal. in duodecimo Methodi, cum habent rationem causæ, quid autem uoluit dicere Gal. symptomata habere rationem causæ? uoluit dicere, quod symptomata aliquando talia sunt, quod possunt facere deteriorem ægritudinem, ut in febre à bile syncera dependente cum syncopa, ex defluxu materiæ in principio paroxysmi ad os uentri=

Simptomata aliquando dat indicationem operandi aliquando vero non. Quando dat

triculi ratione mordicationis facit ſyncopam, talis ſyncopa facit, ut uertamus nos ad ipſam neglecta ægritudine, quia habet rationem cauſæ, aliter uirtus periret, quia ſyncopa, & febris cum ſint affectiones ambæ cordis, tolleretur cordis robur, & periret animal, Ideo ubi uidebitis ſymptomata debetis conſiderare, an poßint facere incommodum uel maius præſenti, uel æquale, uel poßint augere ægritudinem, quam habetis præ manibus, Et tunc in iſto caſu una ex intentionibus erit directa ad ſymptomata, aliter uacaret iſta intentio, ut ſi leues erunt dolores pendentes à morbo, non debetis occupari in ipſis, quia tolluntur ſublata ægritudine, in caſu igitur noſtro uenati ſumus duas indicationes, & duas intentiones à cauſa faciente morbum, & coniuncta, & à cauſa antecedente, una indicat, ut tollatur cauſa antecedens, altera ut tollatur coniuncta, tertia, ut tollantur ſymptomata, quia niſi ſedabitis dolorem uehementem, traheretur noua materia, augeretis ſpaſmnm, & dolor adhuc augeretur, & fieret circulus, quouſque deduceret ægrum ad interitum, Si etiam uigiliæ fuerint pertinaces, & non dormiat, tolletis eas, licet uigiliæ uideantur pendere à dolore, Ideo non ita curabitis uigilias, ſicut dolorem, quia dependent à dolore, & ita in caſu noſtro habetis tres indicationes, prima à cauſa coniuncta, ſecunda à cauſa antecedente, tertia à ſymptomatibus, ſunt ne aliæ? minime, ſed conſequuntur iſtas, In natura morbi habemus duo alia, motum, & coctionem, ſiue cruditatem, A motu ergo ſumitur indicatio, nulla ſumitur, quæ indicet quid agendum ſit, quia ſcitis, quod

Tres saltem Indicationes

quod morbus est citi motus, & acutus, & quod cito terminatur, uel ad mortem, uel ad salutem, Ideo hæc indicatio modum indicat, ut cito agamus, indicatio uero, quæ sumitur à cruditate. quæ est quintus locus talis cruditas indicat nihil agendum esse, nisi concoquatur materia, celeritas indicat, ut statim agamus, & ita duæ indicationes sunt contrariæ, quid ergo faciendum est in contrarijs indicationibus? facere debetis, quod Gal. in nono, & decimo Therap. docet impendere, scilicet secundum dignitatem harum indicationum, & quid continget, nos uidemus, quod nisi cito agamus animal peribit, Habemus ex alia parte Hip. præceptum concocta medicari, &c. si uero non euacuamus, imminet periculum, & mors animalis, uia media est eligenda, paulatim euacuare, non confertim neque totam, sed partem ex materia, quæ concocta est, reliquum paulatim concoquere, & hæc omnino faciamus, & ita constat, quomodo hæ duæ indicationes cum sint contrariæ permistæ dant talem modum operandi, ut paulatim euacuemus, paulatim concoquamus, & sic à natura morbi habuimus has indicationes, quid sit agendum, quomodo sit agendum indicattionũ, tres quidem indicãt quid agendum, quarum una à materia fluxa, alia à materia fluente, tertia à symptomatibus, reliquæ duæ à motu, & cruditate indicant quomodo agendum, Isti uero medij posuerunt quinque intentiones agendi, suppositis his nos accedimus ad ægrum, & uolumus operari, & hic est materia fluxa, & fluenda, & dolor, in prima uisitatione, cum habemus dolorem, cui occurrendum est, illi primo

In contrarijs indicationibus quid agendum

Media via incedendum

Quid agendum.

prima die agendum

oc=

occurrimus, & primo ordinabimus ſomentum pro loco dolenti, multæ autem ſunt materiæ, ſed præ omnibus ſtudere debetis, ne ſedantia dolorem nouam attrahant materiam, ut, ſcilicet non tranſeant primum gradum caliditatis, ſicut eſt liliorum alborum oleum, oleum chamæmelinum, oleum amygdalarum dulcium, Aſſungia porcina, butyrum recens decoctum altheæ, chamæmeli, liliorum alborum, Sed notetis modum operandi, quia accidens ſæuum eſt, nec una fomentatione indigetis, Ideo iubeatis, ut habeat oleum, & fomentum continue, & foueant diutius, et inſideant in illo, ut materia poßit reſolui, & membrum redire ad ſitum proprium, Ideo bene Auic. & Moderni imaginati ſunt, ut perpetuo ſit lana ſuper locum, quæ perpetuo foueatur, & illiniatur ex iſtis oleis, ut perpetuo fiat fomentum, & licet decedat, nouum ponatur, ex hac enim illinitione continua fit leuis reſolutio, & hæc quò ad modum operandi circa ſymptomata, quibus occurrendum eſt, & hæc ſunt primo præparanda, ſecundo debetis ſcire, ut fiat clyſter ad deponendas materias in inteſtinis inferioribus, indicatio autem iſta naſcitur ab uniuerſali quadam, à cauſa ſcilicet antecedente remouenda, quia uultis remouere pituitam ſub forma, uel ſub ratione cauſæ antecedentis, & incipitis à clyſteribus, quia primo materias præparatas non debetis euacuare, hæ autem ſunt maxime paratæ, ideo ab illis incipietis cum leuibus, ne fiat attractio materierum crudarum, & accipiatis anethum, chamæmelum, lilium, furfures, & omnia in aqua coquantur, uſque ad conſumptionem medietatis, &

una

una hemina huius decocti accipiatur, in qua ponatur oleũ liliorum alborum, chamæmelinum, anetinum, mellis rosati, unc. iij. & fiat clyster commodus ad attrahendam pituitam contentam in intestinis craßioribus, Et hoc est præceptum Galeni, & Hip. secundo de ratione uictus acut. qui iußit, ne detur cibus patienti acutas ægritudines, nisi prius euacuaretur uenter cum balano uel glande, illis maxime qui non possunt tollerare clysterem, & fiant ex re aliqua acuta, ut egerat, & adiuuet primam indicationem indicantem, ut euacuetis causam antecedentem, præterea adiuuat etiam, quia ubi euacuaueritis ex intestinis craßis materias ibi contentas per succeßionem, materia in stomacho descendit, & magis uacuus fit stomachus, & cum traditis cibum melius concoquitur, neque computrescit cum materia, quæ ibi erat, & hoc ad mentem Hip. erit faciendum, Vbi iusseritis in prima uisitatione, hæc duo fieri, fomenta, scilicet pro dolore indicatione sumpta à symptomate, & ut fiat clyster ad materiam antecedentem paratam in intestinis craßioribus. Ad rationem uictus accedetis, & hic est punctus, Vnde sumam indicationem circa uictus rationem, quia isti ponunt istam intentionem ab alijs separatam. nec tamen à morbo, nec à materia morbi, nec ab alia re sumitur, sed consequitur, nec est particularis intentio, nec indicatio, primo necessarium est, ut nutriatis ægrum, ut poßit uiuere, sed de ratione cibi, quem debemus eligere, non est indicatio aliqua sumpta à re aliqua, quia quò ad quantitatem sumimus à motu, si uelox est motus, parum cibamus,

si

ſi tardus, copioſe, ut primo Aph. duodecimo, ut primo de Criſi, & Reg. acut. primo habetur, & ita non eſt indicatio per ſe, quæ quantitatem cibi indicet, ſed conſequitur à motu. Circa uero electionem ciborum, utrum demus cibaria calida, attenuantia incidentia, uel emplaſtica, an frigida craſſefacientia, indicatio ſumitur à cauſa faciente morbum, & tandem iſtæ ſex res non naturales ſunt inſtrumenta, & materiæ medicinales, quæ ſumuntur, & uariantur, prout uariantur cauſæ facientes ægritudinem, Ideo conſeruant, cum ſunt contraria ægritudini, & dicuntur tunc præſidia, Cum uero aduerſantur naturæ, & augent morbum, dicuntur nocumenta, Exemplum habemus in ſpaſmo, qui eſt uelocis motus, quò ad quantitatem parum indicat, quò ad qualitatem calida & ſicca ſunt exhibenda indicatione ſumpta à cauſa faciente morbum, quæ pituita eſt, Ideo indicat, ut attenuemus, quia craſſa eſt, & abſtergimus, & mundificamus, ut commode euacuemus eam, Ecce ergo quod tantum tres indicationes, una à ſymptomate, alia à cauſa antecedente, tertia à cauſa coniuncta, Cauſa autem antecedens peperit ſibi modum quendam operandi, quia craſſa eſt, indiget calefacientibus, & incidentibus, ut incidatur, ita talem elegimus cibationem, ſimiliter aerem eligimus calidum ſiccum, & talem præparamus cum ſuffumigijs calidis, & ſiccis, Sunt ergo ſex res non naturales inſtrumenta parata ſecundum indicationes, quæ à cauſa ſumuntur, & ideo non erant ponenda inter principales intẽtiones, quæ ſequuntur ad cauſas, Erat alia intentio Modernorum, corroboratio membrorum,

rum, hæc non potest esse certa, quia si propter affluxum materiæ aliquod delictum erit in membro, puta deprauatio caloris innati, tunc agimus, & corroboramus, sin minus non agimus, & ideo ista intentio quandoque est necessaria, quandoque non, solum sunt necessariæ illæ tres indicationes, de quibus diximus, postq̃ ergo feceritis clysterem, & rectam ordinaueritis rationem uictus, attenuantia scilicet cibaria, & calida, & incidentia, iubeatis, ut à uino abstineat, quia distribueretis materias crudiores ad locum, & augeretis affectum, ideo prius debet educi materia, quo facto poteritis exhibere uinum, quia deducit materiam ad urinam, potus autem erit attenuans ex cinnamomo, aniso, & zuccaro, quia habebit uim incidendi, & attenuandi, cibaria erunt paruæ aues, ac hædinæ, carnes uituli etiam lactantis, sed aues sunt præferendæ & pulli iuniores præparando eos cum radice puta petroselini, & seminibus, ut est anisum, & fæniculum, piper, & gariofili, cinnamomum, hæc omnia habent uim incidendi, ptisana etiam ad incidendam materiam crassam pituitosam confectam cum pipere commodissima est, His peractis in prima die, in secunda postq̃ statim accesseritis, licet non sit præparata materia, ut euacuetur uentriculus à materia pituitosa, & ea quæ in uenis meseraicis est ægro exhibebitis medicinam fortem debilem, fortem, ut educat crassos humores, debilem, ut non trahat à longinquo exempli gratia exhibeatis cochias in parua quantitate, & si eius dosis integra est drach. i. uel scrup. iiij. drach. s. uel scrup. ij. exhibeatis, aut florem cassiæ cum modico agarici præpara-

Cur a vino abstinendum.

ptisana

2da Die quid agendum

ti & hoc pharmacū habebitis ut recip. floris caßiæ drac. vi. agarici præparati drach. i. ex hoc pharmaco habebitis eductionem materierum crassarum, & à primis uenis, et hoc est maxime necessarium, si uultis exhibere syrupos in sequenti die, quia existentibus illis materiebus in uentriculo, & in primis uenis deducerent materiam illam ad loca neruorum, & fieret deterior ægritudo, quando postea ecesseritis in uesperi uisa commoda euacuatione tunc augebitis fomenta, & sicut in prima die apposuistis tantum fomenta scilicet oleum chamæmelinum, liliorum alborum, Anethinum, addetis, quod efficatius est ad resoluendam materiam facientem spasmum, & est neruis opportunum ex uirtute exiccante, quam habet, quia accedit ferè ad costinum, & hoc addetis permixtum tamen cum oleo chamæmelino, in eodem uesperi ordinabitis syrupum, & habebit eandem intentionem, sicuti de cibo diximus, & ab illismet sumptam, & uidebitis ut ciminum, ameos, carui, fæniculum, piper, zingiber, omnia hæc in aqua aliqua coquantur, & fiat decoctum ualidum ad incidendum, in quo ponetis syrupum de stæcados, simplicem uel compositum, de betonica, de hyssopo, mel rosatum, oxymel compositum iuliani tantum in his leuioribus essem contentus, Et ita perseuerabitis quousque quadragesimā pertransibitis semper perseuerando in lenientibus, unctionibus, clysteribus, & ratione uictus, nunq̃ autem clysteres dimittetis, & in hora quietis iubebitis, ut fiant pro eductione, transacta quadragesima die, si perdurabit accidens, in quinta die euacuabitis, & dabitis duos syrupos singulo die indicatione à mo

tu

Siruppus duos singulis diebus.

Quinta die Euacuandum.

tu morbi sumpta, ut faciatis ueclociorem coctionem. His factis dabitis pillulas cochias in dosi scrup. iiij. uel drac. i. secundum quod corpus tollerat, uel hieram logodionis dra. iiij. uel Ruffi in eadem dosi, uel hieram colocynthidos in dosi drac. iij. confectionis hamech drach. iiij. non transibitis hæc sunt instrumenta, & doses, quibus poteritis crassam materiam peccantem euacuare, facta hac euacuatione in sexta die pro causa antecedenti non amplius eritis contenti localibus, iã adhibitis, & quoniam nisi ad oleum chamæmelinum accessistis iu prima euacuatione, in secunda ad anetinum, facta hac, tertia ad oleum costinum de euforbio, & ad nardinum compositum accedetis, quoniam potissime resoluunt, quia in his oleis ingrediuntur multa, quæ magnam uim habent incidendi, ubi transacta fuerit hæc euacuatio, tunc ad oxymel scilliticum, & iuliani poteritis accedere cum illis decoctis; & ita concoquetis materiam cum acrioribus usque ad nonum uel decimum & transacta xi. si uideatis naturam deficere, nec appareat crisis non transibitis xiij. sed dabitis tertium pharmacum efficatius, quia materiæ erunt magis præparatæ, & dabitis hieram logodij colocynthidos audacius, quia in ipsa est maxima uis educendi materias crassiores, Addatis trociscos de alhandal, pillulis cochijs, quia efficaciores erunt, & à longissimis educetis, & ita ante 14. habebitis causæ antecedentis euacuationem, & ad coniunctam accedetis, in primisq; à dropacismis incipietis, quæ rubificant, magnum corium, uel linteum accipietis, ut super ipsum extendatis picem mistã cum galbano, in quibus ponetis aliquid, quod incidat, ab-

 ster-

ſtergat, & trahat à profundo, ut naſturtium, euphorbium, & ſynapis, & cum locus erit rubefactus oleo miti lenietis illum cum oleo ſcilicet liliorum alborum chamæmelino, uel anetino, & ubi deſierit rubor, poſt tres horas ponetis iterum ſuper locum, ut attrahatis nouam materiam, & rurſus illinietis, neque deficietis, quouſque materia deuenerit ad cutim, ubi uero poſt hos dropaciſmos materia pertinacior adhæſerit, ſynapiſmos adhibebitis, ut faciatis non ſolum rubificationem, ſed etiam ueſicas. His factis, ubi defecerit ſymptoma, & perſeueret imbecillitas puta frigiditas inducta, his corroborantibus utamini, ponetis hominem in tina, in qua chamæmelum, anethum, maiorana, fœniculum, ſtæchas, & alia ſint decocta, & totus maneat in tina: Sed quæreret fortaſſe aliquis cũ de dropacibus locuti ſimus & de ſynapiſmis & quomodo corroboranda ſint membra, ut rem hãc exquiſite tractaremus, quibus ſic interrogantibus ut ſatisfaciamus, opportunum duximus de his tribus rebus exquiſitiſsime loqui, & primum de dropaciſmis. Itaque circa dropaciſmos primo debetis ſcire quid nominis, ſecundo quid rei, tertio quis ſit eorum effectus, quarto ad quem uſum, & quotuplex ſit eorum uſus, quinto dicemus quæ ſit materia, ex qua conficiuntur, ſexto quomodo conficiantur, ſeptimo tempus applicandi, octauo modum applicationis ideſt quãtum tempus debeãt pmanere. Quantũ ad primũ attinet ſcilicet quid nominis, hoc nomen dropax Græcũ eſt ἀπὸ τοῦ δρωπακίζεσθαι ideſt à carpendo, & trahẽdo, ob quem tractum materia à centro ad circunferentiam trahitur, apud Modernos uerò

rò picationes, quia cum pice plerunque fiunt. Quò ad quid rei, ut habeatis originem, debetis ſcire dropacem eſſe ſpeciem acoporum, acopa autem apud antiquos dicebantur, quæ leniendo, & ſædando dolorem commoda ſunt, quæ laſſitudines curāt, copum ipſi laßitudinem appellant, Et quia rudis illa medicina neſciebat res diſtinctas, illa appellarūt acopa, quæ nos anodina dicimus, & doloris ſedatiua, cum uerò ars exquiſitior fieret, illa appellabant acopa, quæ cō maturant, concoquunt, diſcutiunt, & per halitum diſflant, & hæc molientia ſunt, poſtq̄ exquiſitiſsima medicina facta fuit illa acopa appellarunt, quæ traherent à profundo, & quia remouent dolores, ideſt laßitudines in periostio, & membrana contingente oſſa oſtocopea dixerunt, primum genus acoporum ſedatiuum lenitiuum, calefactiuum, ideſt thermanticum, & huius plurima eſt materia, ſecūdum genus emollitiuum dictum apud Græcos malacticon à Paulo, & Aetio appellatur, tertium genus amyſticon ideſt lancinatiuum indicantes uiolentiam appellarunt, & hoc tertium genus cōuenit cnm materia in profundo pertinaciſsime adhæret, & habet eundem uſum, quem habent dropaces, & nulla eſt differentia inter acopos iſtos, & dropaces, hoc diximus, ut intelligeretis ipſum dicentem hoc eſt acopum, & aliquando erit calidum in primo, aliquādo in ſecūdo, aliquando in tertio, aliquādo in quarto gradu, erunt quidē acopa, quia ſunt tria genera acoporum, primum ſedatiuum doloris, ſecundum emollitiuum, & malacticon ideſt mollitiuum dicitur, tertium amyſticon ideſt uiolenter tractiuum, & ita tria genera aco-

porum distincta habetis, illud tertium genus acoporum est dropax apud nos. Effectus eius est trahere materiam à centro ad circunferentiam, & ita habetis quid per hoc nomen, & quid sit in re, & inter quæ sint cõnumerandi. Vsus uero dropacnm duplex est apud Antiquos, & apud nos primus est, ut trahat calorem à centro ad circunferentiam non materiam, quia aliqua membra, & corpora etiã ita affecta sunt ob ægritudinem, uel frigiditatem extrinsecam, & ita fiunt debilia, ut ad atrophiam, & ueluti ad syderationem, & tandem syderationem, nisi occurratur deueniant, & ideo nutritione egent, non possunt nutriri, quia calor non est ad circunferentiam, sed paucus tantum est in profundo, ideo non potest attrahi ratione frigiditatis, & remanent sine nutritione, ideo instrumenta inuenerunt quæ attrahunt à profundo ad circunferentiam calorem, & iste est unus usus ratione cuius ducti ad hunc scopum utuntur drapacismis, secundus usus est cum uolumus non calorem trahere, nec ut membrum nutriatur, sed ut materia uiscida in profuudo impacta uiolenter à centro ad circunferentiam attrahatur, & ita habemus duplicem usum, qui faciet uos cautos, quando sunt applicandi & ad quem usum. quintus est, ut dicamus ex qua materia conficiuntur. Debetis scire, quod unumquodque medicamentum sumitur, et uariatur penes indicationes, quæ à natura morbi, & à loco affecto sumuntur, ideo uoluimus prius, ad quem usum faciant determinare, anteq̃ de materia loquamur, ut haberemus rectam methodum de usu, quis sit diximus, ut fieret attractio à centro ad circunferentiam talis

autem attractio à caliditate, & à dolore attrahente fit, & à uacuo, cum igitur à caliditate fieri debeat, oportet, ut materia ex qua conficiuntur calida sit, sed cum scimus trahendam eße rem, uel calorem, uel materiam à centro ad circumferentiam ex distantia attractionis oportet, ut sint calida potenter, quia non attraherent eam per tantam distantiam ideo oportet, ut sit materia taliter calida, quæ tertium gradum caliditatis attingat, ut docuit Gal. tertio de simpl. medic. in fine, quia quæ sunt calida in secundo indigent, ut percipiantur, an sint calida, quæ uero in tertio pungunt, & adurunt, modo notetis non sufficit, ut sit calida in tertio, quia multa talia sunt quæ licet sint calida in tertio sunt tamen tenuis substantiæ, illa caliditas cito exolescit, nisi aliquid adsit, quod retineat caliditatem, & quia in casu debemus habere materiam, quæ attrahat à profundo, ut moram faciat, oportet, quia motus fit in tempore, & quanto maior resistentia est tanto plus de tempore requiritur, si ergo indigemus tempore, calida, & sicca cum tenui substantia non conueniunt, quia exolescunt cito, ideo medicamenta calida & sicca debent esse cum subiecto apto nato ad retinendum diu calorem, sed quod erit istud subiectum? Nos diximus in nostra Methodo simplicium, quod si calor acris debet retineri in medicina retinetur quia subiectum stipticum, terrestre abstergens habet, ut calchantum idest uitriolum, auripigmentum, calcitis, cadmia, in illis est caliditas in tertio, & quia fundatur in terrestri substantia ita pertinaciter adhæret, ut cum calefactum fuerit non desinat calefacere, donec comburat, & hoc est unum ex ca=

Calcanthum .i. Vitriolum.

lefacientibus pertinacißimis, ſed iſte calor non facit ad rē noſtram, quia nolumus comburere, nec facere eſcharam, ſed tantum rubificare locum, ideo ſi calcantho uteremur, uel altero iſtarum adurente non ſolum calefaceremus ſuperficiem, ſed faceremus ulcus, & eſcharas, oportet igitur quod ſit alia materia ſecundum ſubiectum caloris pertinaciter adhærentis, in quo humiditas excrementitia ſit, in qua adhæret calor, & ambitur, & non reſoluitur, ſed pertinaciter adhæret, & hoc facit pro nobis, materia autem horum eſt pyrrethrum, piper longum zingiber naſturtium, non ſicut caſtoreum, & cinnamomum, quæ ſicca ſunt exquiſite ſine humiditate excrementitia, debemus ergo calida, & ſicca in tertio cum humiditate excrementitia ſumere, ſed quoniam huiuſmodi ſubſtantiæ ſunt ſiccæ friabiles ſunt, & ad puluerem facile deueniunt, & puluis nō poteſt commode exhiberi ubi uolumus trahere à cētro ad circunferentiā, quia nō adhæret minus oleū ex his, minus decoctum, quia omnia hæc defluunt propter nimiā humiditatem, ideo debemus hanc materiam præparare ut minutißime conteratur, quia quanto minutius erit contuſa, facilius actuabitur & melius penetrabit, & poſteaq̄ cōtriueritis corpulentum aliquod, ut retineat pulueres accipietis, & tale eligetis, ut non fiat ſolidum durum, & ceratum, quia ſi conficeretis ceratum ex pice, galbano, ſerapino, non adhæreret omni parti, ſed cōprimeret, & faceret uiolentiam, & non commode traheret, nec ita liquida facere debetis, ſicut ungētum Gal. pro renibus, nec ſicut unguētum roſatum Meſue, quia non adhæret. oportet ergo, q̄d ha=

habeat formam, ac si esset pasta obediens ad illiniendum, & ut facile extendatur super corium, quia facile actuabitur, Ideo Paulus recte dixit cum dixit, ita conficiantur dropaces, ut sint medij inter cerata, & emplastra, Appellant Græci emplastra, quæ nos cerata, quæ conficiuntur in Magdaleones longos, Cerata uero linimenta mollia apud nos, quale est unguentum Galeni, ex quatuor partibus olei, & una ceræ, Ita quod ceratum apud Græcos est res mollis, Et ita habetis, quantum ad dropaces, quid sint, suos effectus, usus, ex qua materia conficiantur, cuius substantiæ debent esse, Quo ad modum componendi cum uultis facere dropacem, ita facietis, Recipe Galbani, uel picis, uel sagapeni, uel plurium istorum, hæc autem uariatio fit pro uariatione corporum, quibus occurritis, si enim occurretis corpori iuniori, uel molli in regione calida ad picem accedetis, quia galbanum uiolentius est, & calidius, quàm pix, unc.i. olei nardini, quoniam oleum oportet calidißimum esse ad aperiendum, & disponendum ad attractionem, unc.i. si conficiatur simul, & ponantur ad ignem, & misceantur, & buliant, usque ad consistentiam, non quidem usque ad formam ceroti, quæ est donec manus non inquinetur, & dum bullierint duabus, uel tribus ebullitionibus, & hæc duo fuerint incorporata, ponatis pulueres, prius tamen remoueatur ab igne, quoniam pulueres isti non admittunt coctionem exempli gratia, ubi hæc ebullierint cum tali consistentia, Recipe pulueris zinziberis pyrethri nasturtij, uel seminum nasturtij an.unc.i. & omnia postq̃ fuerint incorporata exten=

datur totum hoc super corium, & iste est modus conficiendi. Est modo uidendum tempus applicandi, Dico quod tunc debetis applicare maxime cum uultis calefacere membrum, ut nutriatur, non ut trahatur materia nulla præparatione facta, sed tantum in balneo ponatis aquæ calidæ dulcis corpus, uel membrum, donec intumescat quadamtenus cutis, ut attenuetur, & ubi ponetis dropacem statim trahetur ad actum, & calefaciet, & in hoc casu debetis cauere, ne teneatis dropacem supra locum, nisi tantum, quantum rubuerit, & intumuerit cutis, Ideo stabit aliquis, qui cum hoc uidebit, remouere statim debeat eum, & sæpe remoueat, quia si diutius permaneret, faceret oppositum, quia calor attractus resolueretur, et remaneret frigidius membrum, & cum fuerit remotus illinire locum, cum aliquo oleo emplastico, puta oleo chamæmeli, in quo tragachanta, & gumi dissoluatur, ut retineant calorem attractum, & poros claudant, & iterum apponere, & iterum ammouere, & illinire, sed cum uultis attrahere materiam impactam in neruo ad circumferentiam, sicuti superius diximus cum uolumus resoluere materiam spasmi in neruo pro causa coniuncta debetis abluere, & fricare diu locum cum re calida, antequam applicetis dropacem, & cum applicueritis, permittetis, quousque rubuerit, & postea amouere, & apponere oleum resoluens id, quod est attractum in superficie, sicut est oleum de costo, quia finis non est rubificare tantum, non tamen dimittetis diu, quia si dimitteretis fierent escharæ, & uesicæ, & uos non uultis escharas, Et iam habetis de

dropace quid haberi poßit: De synapismis breuiores erimus, quia habent eadem cap. & ex eisdem cognoscimus, nec differunt à dropacibus, nisi secundum maius, & minus, habent eundem scopum, & non uidetur aliud dropax, nisi præparatio ad synapismos, ita Oribasius, ita Paulus & Aetius, & certe quantum ad effectum idem sunt prorsus, trahunt enim à centro ad circumferentiam tàm dropaces, quàm synapismi, differunt in hoc, quia in dropacibus applicandis non semper materiæ attractio quæritur, In synapismo autem semper materiæ attractionem quærimus, & magis uiolente, quàm per dropacem, quia finis eius est rubificatio, finis synapismi inductio escharæ, & uesicæ, & uesicatorius est, Quantum attinet ad materiam, ex qua fit synapismus eandem habet in genere, non in specie, sicut in dropace materia calida requiritur in substantia humida, excrementosa, fundata cum tenuitate substantiæ, ut retineatur calor, ita etiam synapismus requirit, sed differunt quia calida uolunt in tertio dropaces, quia tantum rubificare uolumus, sed cum non solum rubificationem uolumus & requirimus, sed quandam ueluti adustionem in synapismo, Ideo calida in quarto adhibemus cum substantiæ tenuitate, quemadmodum dropacismi requirunt, & cum humiditate excrementitia, sicut synapi, & pyrethrum, Est enim pyrethrum in tertio calidum, synapi in quarto, Habemus præterea euphorbium maxime recens, quia cum iam inueterascit caret hac facultate, quam quærimus, Nos de recenti loquimur, quod tantæ adustionis est, ut etiam uapor adurat, nostrum autem

tem poteſt commode teneri in ore, quia exoleuit propter uetuſtatem, & in anno exoleſcit, habemus præterea cantharides, & bupreſtes, flammulam Iouis, quomodo à Dioſc. appelletur non habeo quid uobis promittere debeam, ſed eſt uirgulta, & ſarmentoſa, habens folia oblonga, & flores purpureos, ueluti uiola cum appendiculo longiori, ſicut aquilegia, Vatrachion etiam habet eandem uim, ſtercus columbinum putrefactum, ſpiratæ, pillulæ caprarũ, Sed in iſtis qui ſunt iuniores conueniunt ſpirata, in robuſtiori non faciunt multum, iſta eſt materia ſynapiſmorum. Modus conficiendi eſt diuerſus à modo conficiendi dropaces, in dropacibus habemus quid lentũ, quia uolumus extendere ipſum, ut occupet totum membrum, Sed in ſynapiſmis uolumus partem membri tantum occupare, & uolumus quantitatem puta mocenigi, quia uſus iſte eſt efficacior. Ideo non indigemus materia tàm extenſibili, ſed quæ rarefaciat cutim, & attrahat, et præparet, ut facilius poßit agere, & inuenerunt Moderni duo inſtrumenta, quæ admiſcentur pulueribus, & eligimus alterum duorum, uel ficus aridas & pingues, & in aqua ponimus, & contundimus, facimusq́; ueluti paſtã, expreſſa aqua ponimus puluerem uel flammulæ Iouis, uel cantharidum, & pondus non eſt æquale, ſed aliquando caricarum drach. ij. pulueris ſynapis, uel cantharidũ, drach. i. Aliquando cantharidum drach. ij. caricarum, drach. i. ponimus, & eas facimus differentias pro modo maioris, uel minoris aduſtionis, In ruſtico plus de adurente ponimus, quàm de materia, cui aſſociatur res adurens,

rens, alia materia est imponere fermentum, præterea facit alium effectum, quod pulueres adhærent, utrunque est commodißimum, quod quantum ualeat ad attrahendum uideatis Gal. in cap. de fomento, Accipiatis ergo uel tertiam partem, uel duas, uel partem æqualem caricarum, uel fermenti, & ponetis cum una parte synapis, uel cantharidum, uel alterius comburentis in puluerem, & perpetuo aßistat aliquis, quia corpora aliqua nimis aduruntur, & minus imprimitur in aliquo corpore, & eius finis est, ut remoueatur, cum cutis pallida est, primo enim rubescit, & cum incipit pallere remoueatis, quia signum est, quod resoluitur materia, & iam est ad superficiem, sed antequam admoueatis, fricandus est locus cũ nitro, uel scilla, quia ex huius modi frictione dilatatur locus, superficies attenuatur, & hæc maxime faciunt ad faciendam uesicam, & deinde calefit locus & rarefit, & hæc faciunt ad attractionem, est tertia pars de corroboratione membrorum.

De Corroboratione Membrorum

Circa quam debetis hic esse diligentes, quia breuibus docebimus methodum, qua scietis quicquid sciri potest circa membrorum corroborationem. Corroboratio membri, ut incipiamus à notione nominis, & rei, quia ibi incipit methodus, nil aliud representat, nisi, ut membro quod nec forte est, nec robur habet addamus illi robur, ita quod quò ad nomen, nihil aliud est, nisi dare robur, dicitur autem membrum habere robur, cum ad proprias operationes ualidum est, & tunc ualide facit, cum secundum propriam naturam membri facit, nec deficit in operi=

ri=

ribus, nec excedit, si ergo hoc est ualidum esse membrum nihil aliud erit corroboratio nisi reductio membri ad naturalem habitum, ut faciat functiones accommodatas, uel sic corroboratio est reductio membri ad naturalem habitum proprijs functionibus accommodatum. Oportet modo uidere causas roboris, & causas cur deficiant, quia si deficit robur, deficit propter defectum causarum, Ideo oportet uidere, in quibus consistat, & conseruetur, & ubi defecerit, quæ causæ id possunt efficere, & tria inuenietis facere robur, cum non adest, & conseruare cum adest, primum est spiritus, & calor innatus illius membri secundum sanguis, & alimentum proprium nutriens membrum, tertiũ membra solida, quia ex istis constat tota animalis substantia, & membri, hæc tria cum fuerint conseruata, ut inquit Gal. duodecimo Therap. uigor, & tonus, & robur conseruabuntur, ubi defecerit alterum istorum trium deficiet robur, siquidem spiritus, & calor innatus stante sanguine, & alimento, & recta ratione in solidis membris tam compositionis, quàm complexionis labor erit facilis, quia spiritus, & calor perpetuo emanat, & superfluit, ut Gal. sexto, & septimo de Placitis, & tunc facile restaurabitis, deficit autem propter labores, uigilias, animi accidentia, & ab his, quæ possunt ephemeram causare, & spiritum offendere, & quia spiritus offenduntur, non credatis, quod etiam calori nocumentum non communicetur, quia calor innatus ille est qui operatur, & non agit nisi cum spiritu, nec potest agere sine suo tono, & extensione hoc est, quod dicebat Arist.

tunc

tunc demum membrum fit maxime robuſtum, cum continetur anhelitus, & fortius operatur, quia calor naturalis tunc habet maiorem tonum, & fortior eſt ad operationes, Ideo ſpiritus maxime facit ad operationes. Vbi ergo deficiunt ſpiritus & calor innatus, deficit primum inſtrumentum, & faciunt debile membrum, ſecunda cauſa, quæ facit imbecillitatem membri eſt alimentum proprium, et ſanguis, quid, ubi deficit ſanguis dupliciter membrum debile fit, primo deficit alimentum, & calor innatus, & ſpiritus tandem deficiunt, quoniam à ſanguine nutriuntur, & generantur, & hæc eſt prima cauſa, ſecunda propter humorem influentem, Ideo dicebat Hip. ubi fames, laborare non poſſumus, quia ubi calor, & ſpiritus deficiunt, ſi conſeruatur ſubſtantia ſolidorum membrorum, et alimentum facile fiet reſtauratio, et corroboratio, ſed ubi hoc alimentum deficiat maior moles reſtaurari debet, eam tùm reſtaurabitis modo remaneant ſolida in temperatura, & compoſitione, ſed non ſine difficultate, tertia, quod quando non tantum ſanguis et humor influens, et ſpiritus, et calor innatus, ſed ſolida etiam membra deficiunt, et intelligo per ſolida membra non ſolum ſpermatica, ſed omnia, quæ diſtinguuntur contra ſpiritus, calorem innatum, et humorem influentem, et carnem intelligimus, ubi igitur erit defectus aliquis in omnibus membris ſolidis, æqualiter tunc erit imbecillitas uirtutum omnium, et maior erit moles ad reſtaurandum, poteſt autem membrum ſolidum deficere ex tribus. Primo ex mala temperatura, quæ erit uel calida, uel frigida, &c.

uel

Quando deficit secundum instrumentum

Quando solida membra deficiunt

Trifariam deficit solidum membrum

Ubi fames laborare non possumus

uel ex his composita, ratione cuius corrumpantur operationes, & deteriores fiant. Secundo potest contingere defectus ratione compositionis, quia sit laxius factũ, uel densius, uel uias obstructas habeat, & ob hanc causam non possit & debite operari, quia nocumentum est in compositione. Tertia, quia sit facta solutio continui, quia ibi fuerit ulcus in loco aliquo, ubi est imbecillitas membri, & deficit non modo in motiuis, sed etiam in naturalibus operationibus, & ita uidetis quomodo imbecillitas in omni membro tripliciter potest contingere, et ex natura rei ita concepta facile uidebitis modum curationis, nam ubi fit defectus in spiritu, & calore innato stante alimento quærimus spiritus uitales, & animales, & innatum calorem recreare, & hoc cum odoribus, & aeris purissimi attractione, et cum alimento tenui, et cum modico uini aromatici, cum quietudine, & nulla superflua motione, nec egestione superflua, et sic nutriatur cibis facilis concoctionis, sed ubi defecerit etiam alimentum proprium, sicut contingit propter aliquam excretionem superfluam humorum, uel propter fluxum sanguinis narium immodicum, uel menstruorum, uel ob multum coitum, uel ob superfluum fluorem alui, ut non solum calor innatus, et spiritus, sed etiam alimentum deficiat, tunc maior moles est, quia sanguis, et alimentum debet restaurari, Ideo si perseueret excretio superflua, cõprimatur, nec per istam imbecillitatem membri, uel corporis debetis cum re extrinsecus applicata corroborare, cum hic non adsit membri solidi defectus, nec intemperatura, nec

incompoſitione, nec in ſolutione continui, igitur ſi exterius applicatis corroborantia, male facitis, quia id, quod applicatis, uel calidum erit, uel frigidum, ſi calidum maiorem imbecillitatem facietis, quia euacuabitis per halitum modicum calorem membri, & alimentum, & tanto magis cum alimentum euacuatur abſumitur & calor, & ſpiritus fiet laxior, & augebitis affectum, ſi frigidum erit, extinguetis calorem, conſtipabitis poros, nec poterit peruenire alimentum ad membrum, quo indiget, quia indicationes operandi ſumuntur à morbo, & à loco affecto, cum ergo indigentia ſit caloris, & ſpiritus, nec patiatur membrum in complexione, nec in ſolutione continui, nec in compoſitione, ideo tantum debetis corroborare alendo, & nutriendo, regenerando ſanguinem deperditum, & tunc omnia reſtaurabuntur, Quomodo autem debeamus reſtaurare membrum hoc, uel corpus, ubi nacti erimus tale corpus imbecille factum ratione priuationis ſanguinis, caloris innati, & ſpiritus, nutritionem quærimus, quæ cum non poßit confertim fieri paulatim debetis procedere, ut docet Gal. & uices ſpargere, & paulatim nutrire pro ſingulis uicibus, & exhibere ea quæ ſunt plurimi alimenti, & facilis concoctionis, ſicut uinum aromaticum modice ſumptum, contuſum pulli, perdicum, quæ ſunt paruæ molis, & facillimæ concoctionis, hæc eſt uia corroborandi membrum priuatiue imbecille factum ex defectu ſanguinis, caloris, & ſpirituum, bene uerum eſt, q̃d conſecutiue, ſi hepar, aut uentriculus ſit factus ex defectu ſpirituum, ſanguinis, & caloris innati imbecillis uti mode

rate calidis, & astringentibus commodum erit, quia adiuuabitis concoctionem retinendo calorem membri, & seruando tonum, & quod non sit tale ratione temperaturæ, sed ut melius amplectatur, & concoquat, & calorem diminutum ob priuationem spiritus & sanguinis adiuuat, fitq; calor immoderatus extrinsecus ille, tanq̃ uicarius caloris innati; nulla autem erit indicatio ad corroborandum membrum exterius, & si ellectuaria calefacientia membrum, & emplastra exhibebitis, & applicabitis damnum non paruum facietis membro, & absque ratione aliqua id facietis, sed tantum casu, quia corroborabitis membrum, quod non indiget corroborari indicatione autem sumpta à membro solido, ubi erit uitium, & defectus in illo alio modo curabitis, ideo si fuerit imbecillitas in membro solido, ut puta mala temperies relicta ab ægritudine, uel etiã facta, ratione cuius membrum non poßit exercere proprias operationes, uel ubi in compositione sit uitium, hoc opus hic labor est, in quo casu si recte procedetis, res bene succedet, si uero male, & sine methodo uitium erit artificis, non artis, ubi ergo erit uitium in substantia membri operationes diminuentur, quia frustra tendit alimentum ad membrum, in quo est mala temperatura, quemadmodum, si lux illustrans corpus transiret per membra affecta mala temperatura, uel mala compositione non illustraret membra illa, sicut nec lux solis transiens per medium fuliginosum potest actuare, neq; illustrare, ita quod si se habent taliter affecta, non recipiunt calorem nec alimentum ipsis delatum, quia si alimentum, ut nutriat debet

quomodo membra solida corroboranda.

aßi-

aßimilari propriæ ſubſtantiæ,ſi erit affecta, non conuer=
tet,ſicut debet,ſed pro ſanguine humores deprauati ge=
nerabuntur,& ad malum habitum deduceretur corpus,
puta ad cachexiam,uel in alium malum habitum,igitur ubi
membrum eſt affectum neceſſario & calor, & ſpiritus
euaneſcent, & conſequenter erit defectus in calore, &
ſpiritu,ſi ergo fuerit mala temperies frigida iam habui=
ſtis modum reducendi ad propriam temperaturam ſcili=
cet per contrarium calefacietis, ſi erit cum materia eua=
cuabitis eam,ſecundo calefacietis membrum, ut docuimus
de membro, quod paſſum ſit paralyſin facta euacuatio=
ne humoris frigidi ad calefacientia accedetis, quæ inducũt
bonam temperiem,ad hunc uſum dropax primus uſum ha
bet,ſi uero fuerit uitium quia intemperies ſit nimis calida
ad temperiem propriam reducere debetis membrum per
ſuum oppoſitum.Et ita facietis in omni alia, ſi fuerit ſim=
plex,aut compoſita cum materia,uel ſine, ſi fuerit cum ma
teria,eam euacuabitis,ſi ſine per oppoſitum occurretis, ſi
incompoſitione erit uitium & obſtructio fuerit, uel rela=
xatio,uel condenſatio nimia,ſi denſa moderate dilatando,
ſi nimis rara conſtringendo,donec ad debitum habitum de
ueniat ſi fuerit ſolutio continui corrigetis eam cum moti=
bus contrarijs,quia reducetis membrum ad naturalem ha
bitum,& tunc reddetis ipſum propriis functionibus ac=
commodatum,& ſic patet,quomodo ex dictis omnibus cõ
cluſum ſit corroborationem nihil aliud eſſe,niſi reductio=
nem ad naturalem habitum proprijs functionibus accom=
modatum,quod fuit primum propoſitum,& hæc ſint ſa=

Corrobora: tio quid.

tis quo ad corroborationem. Vnum est uidendum adhuc, nos uidemus, quod pariter artifices tuendæ sanitatis, & curatiuæ, quales nos sumus exercent hunc actum corroborandi sicut facit Gal. in lib. de Tuend. San. qui corroborat uentriculum, hepar, cerebrum, iam Gymnastæ, & pedotribæ idem faciunt, hinc nascitur dubitatio non inutilis, an corroboratio cum attineat tùm ad artificem tuendæ sanitatis, tum ad Gymnastam, & artificem curatiuum attineat propter eosdem scopos, & an habeat diuersos, quia istæ tres artes non habent eosdem scopos, sed diuersos, quia ars tuendæ sanitatis circa conseruationem uersatur curatiua circa ablationem ægritudinis, Gymnastica circa hominem sanum cum fuerit naturaliter imbecillum, ergo cum istæ artes habeant diuersum scopum, & in principijs diuersificentur, uidetur esse, quod diuersificentur in corroboratione: Dico, quod omnes artifices habent eundem scopum diuersimode consideratum, & circa illa tria uersantur, circa calorem, & spiritus, circa sanguinem, & alimentum, & circa solida, sed aliter singuli, illi qui uersantur circa artem præseruatiuam sanitatis indicationes, sumuntur, ut conseruentur illa cum adsunt, cum uero incipiunt labefactari, & nondum fuerint remota, quia illa esset ægritudo, ut præseruetur, ne actu ægrotet, curatiuus autem non præuidet ista, sed cum facta est ægritudo, tollit eam, & ita differunt secundum finem, Gymnasta ab utrisque differt, quia ipse non quærit remouere ægritudinem, nec præseruare, ne fiat, sed corpus sanum imbecille ad Hectorem, uel Milonem comparatum, ut reddat forte,
quod

quod, cum ſit ſanum habens duos gradus ſanitatis, ut faciat ualidum, & robuſtum, ideo aliud eſt eſſe ſanum quo ad operationes, & aliud quo ad fortitudinem, & quo ad Atletham, Hanc Gymnaſtæ quærunt ſanitatem, Et ita habetis quomodo ars corroborandi membra ſemper uerſatur circa illa tria, circa calorem, & ſpiritum, & circa alimentum, et cira ſolida.

DE EPILEPSIA
CAPVT VII.



Ccedo modo ad Epilepſiam. Circa hunc tra= ctatum debetis ſcire, quod nos, ita procede= mus, declarabimus naturam Epilepſiæ, & cau ſas, & ſigna quæremus, quæ indicant, cauſas, & naturam & indicationes omnes, quibus omnis ſpecies Epilepſiæ cu rabitur, & ſecundum naturæ diuerſitatem remedia diuer ſa inquiremus, & incipiemus à natura rei, ſed prius de no mine dicamus, nam apud illos rudes Græcos hoc nomen ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνεσθαι dictum eſt, quia credebant illi homines, quod dæmon aliquis corriperet, ex qua cor= reptione concuteretur, ideo Epilepſiam. i. correptionem appellarunt, idcirco Hipp. compoſuit lib. ad remouendam opinionem illorum, ut non crederent à dæmone proueni= re, ſed à cauſis, in quo libro multa ponit eorum figmenta, dicebant enim cum quis cadens plorat, ut uocem capræ e= mittat, quod à Marte Deorum eſſet correptus, ſi uero ſo= num equi ingentis à Neptuno, ſi ex compreſſione muſcu= lorum uentris ſuper inteſtina ſtercus emitterent ab Apol line paſtore gregis eſſe correptos dicebant idcirco ſter= cus bouinum apparebat, ſi emitterent ſpumam, & cal= citrarent à Marte, ſi interrores aliquos inciderent à Pro ſerpina, & Hecate & illa erat opinio antiquorum, ideo ta les appellabant epilepticos alio nomine hieranoſus appel labatur ideſt ſacer morbus tùm propter rationem dictam, tum, ut dicit arretheus, quia tales ſolent corripi per perio dos

dos Lunæ, & cum uideantur habere tales periodos, uiden tur etiam habere comertium cum Cælo, cum motu scilicet Lunæ, ideo sacer dicitur, Appellatur etiam comitialis, quia siquis in comtijs incideret in paroxysmum comitia differebantur, & interrumpebantur, quia uitiata erat dies morbo illo. Quantum ad cognitionem essentiæ, & causa= rum epilepsiæ uolo alia uia deducere uos in hanc cognitio nem, quæ habebit eundem scopum sicut prima, & forte uos magis delectabit, & per nouem principia deducam uos in talem cognitionem primo uidebitis quid nominis, & hoc sit primum secundum quid sit symptoma hoc, quod curari debet, tertio ex quo est symptoma, cuius loci sit, an huius membri uel alterius, & quid sit in illo, & quomodo fiat, & cur, quarto cum sit actio læsa, quæ sit an naturalis, an animalis, & an sit actio læsa unius uirtutis, uel plurium, & si plurium, quæ sint, & quot sint, præterea an uirtutes illæ tollantur, uel minuantur, uel corrumpantur, quinto cum sit actio læsa, & pendeat à morbo immediate, uidebi mus quæ sit ægritudo, sexto ex quo morbus est, qui præ= cedit symptoma, & iam ostendimus symptoma esse in mem bro, in quo sit, & an sit morbus ipse necessario in membro in quo est symptoma, ut non separetur morbus à sympto= mate, & si ostendimus symptoma esse in cerebro, an mor bus cũ sit annexus symptomati sit in cerebro an uero sym ptoma semper sit in cerebro, sed non semper morbus, & illud membrum quod habet morbum an faciat pati cere= brum, ut separetur morbus à symptomate, & loco ita ut morbus sit in pede, symptoma uero in capite, septimo quæ

sint causæ facientes morbum, & tam de intrinsecis, & ex trinsecis loquemur, & de intrinsecis, quæ uerè efficientes, & quæ aptitudinē facientes sint, de extrinsecis uero, quæ
8 sint conseruantes, & quæ alterantes, octauo qui mores,
9 qui motus, & quis terminus, nono quæremus, quæ sit differentia huius morbi cum spasmo, & Apoplexia, & in quibus conueniat, & in quibus differat his habitis habebimus exquisitißimam notitiam epilepsiæ, iam habuistis primum
2 caput, secundum est, cum sit hoc accidens res præter naturam, sub quo genere debeat collocari, tria sunt præter naturam, unum habet rationem causæ, aliud morbi, aliud symptomatis, quid dicimus esse epilepsiam? Est ne morbus uel causa, an uero symptoma certe ex his, quæ apparent uidetis hominem cadere in terram, concuti, & amittere sensum, & motum, talem epilepticum appellamus, ergo non morbo, nec causæ morbi, sed symptomati attribuitur hoc nomē, ergo epilepsia nomen est symptomatis, ergo nominibus uti debemus, sicuti à maioribus accepimus. Cum er
3 go sit symptoma, quærēdum est in quo membro sit, ex quo omnia membra concuti uidentur æqualiter, non apparet tamen, in quo membro principaliter inueniatur. Nos autem ponimus hanc conclusionem, necessario hoc symptoma in cerebro reperitur, & probatur hoc modo, totum corpus æqualiter priuatur sensu, & motu ergo principaliter in cerebro est, Antecedens est manifestū sensui, consequētia probatur, nā si non esset in cerebro, et in principio sensus, & motus, non esset in toto quia saltem principiū esset immune, sed principiū patitur, & hoc est caput apud me

dicos

dicos ergo in cerebro est hoc symptoma, sed quoniã in cerebro sunt plures partes nõ inuenimus adhuc subiectum propium, põt.n.esse in substantia cerebri, uel in mẽbranis uel in uasis, aut in uentriculis, Vbi dicemus esse? Si nos consideramus tam repentinam inuasionem, & excusionem erit in membro parato ad hoc, tale autem amplum, & laxum est, & nil est tam amplum, & quod habeat uias, & receptacula, & uasa, quæ possint recipere, & excutere excrementa, sicuti sunt uentriculi cerebri, ergo in uentriculis erit, ergo optime Galenus tum in tertio de loc.aff.quarto cap.dixit huius modi affectum esse uentriculorum.

Quia contrahuntur, & concutiuntur motione inuoluntaria facta à causa aliqua præter naturam, quod autem talis contractio, & concusio fiat, uideatis omnes antiquos Hip. & Galenum loquentes de hoc, tùm ex his etiam, quæ apparent, id manifesto patet, quia nunquam uidetis Epilepsiam sine contractione illa omnium membrorum, neruorum, & musculorum, qui cum habeant chordas, & uillos à neruis productos, & nerui à nuca, & nuca à cerebro, quædam continuitas fit, ita quod cum nerui æqualiter conuellantur, principij neruorum est huius modi concusio, Ex his ergo, quæ apparent, dixerunt contractionem esse cerebri argumento sumpto ex hoc, quia nerui omnes patiuntur, & nullum habent affectum in se, sed consensum tantum à suo principio, Cum ergo conuellantur, eodem modo conuellitur cerebrum siue principium exemplo cathenæ habentis caudices multos, si mo=

ueritis principium ad motum primi caudicis, omnes mo=uerentur, ita ad motum cerebri ſequitur motus omnium neruorum, ſed in hoc aduertatis, ut diſtinguatis ſpaſmum ab Epilepſia, quod non eſt ratio æqualis contractionis cum attrahitur motu epileptico, & quando fit ſpaſmus, loquor autem de ſpaſmo, qui fit ab inanitione, uel à repletione, non autem de non proportionatis ad materiam, Quia cum fit ſpaſmus uerus, neceſſaria eſt illa contractio neruorum nihil operante uoluntate, ſiue abbreuietur longitudo, & dilatetur latitudo, ſiue utrunque abbreuietur, ſed in contractione cerebri concurrit aliquo modo uoluntas, nec pure inuoluntarius eſt motus iſte, ſed irritatur uoluntas cum percipit oppilationem, & nocumentum in uentriculis, ut materiam excutiat, ita quod materiam habet præter naturam, & miſtus motus eſt participans uiolenti, & uoluntarij, quia coguntur uentriculi ad expellendum, & uoluntas contrahit, cum irritatur, contrahit inquam uentriculos ad expellendum. Motus uero ſpaſmi ueri inuoluntarius eſt, Iam ergo uidetis ſymptoma hoc eſſe in cerebro, & uentriculis, & ſimiliter, quid ſit, & cur fiat, quia finis huius contractionis eſt intentus à natura, ut expellat illud nocumẽtum. Quartum caput erat, ex quo eſt actio læſa, uidendum eſt cuius uirtutis, & nemini dubium eſt, quod eſt actio læſa omnium uirtutum, quæcunque à cerebro emanant, In cerebro ſunt duæ uirtutes ſenſitiua, & motiua, & utraque læditur, & ideo eſt, quia in uentriculis eſt obſtructio, & nocumentum, in quibus ſunt ſpiritus & uirtus animalis,

quæ

quæ uirtus ſpiritibus uti proprijs inſtrumentis impeditis utitur: obſtructis illis uentriculis non poteſt uirtus tranſmitti, & neceſſario priuatur ſenſu, & motu animal, & hoc patet, quia uidemus, quod animal cadit, ex conſequenti priuatur motu uoluntario, quod etiam ſenſibus priuetur patet, quia non uidet, nec ſentit ſenſu tactus, Ideo ſenſibus extrinſecis priuatur, Quòd etiam intrinſecis, ideſt diſcurſu, Imaginatione & memoria priuetur patet, quia tranſacto paroxyſmo, quid diſcurrit, quid imaginatus fuerit, neſcit, ac ſi eſſet lignum, ſecus autem contingit in ſomno, licet extrinſeci ſenſus ligentur, interiores non ligantur, immo recordantur, quid imaginati fuerint in ſomnijs. Et hæ ſunt uirtutes, quæ læduntur ſenſitiua, et motiua uirtus, ſenſitiua dico tã interior, quàm exterior, ſed ſi interrogati eritis quomodo læduntur, quia poſſunt auferri, diminui, & corrumpi, reſpondeatis diuerſum eſſe modum læſionis, quia uirtus motiua corrupte læditur, quia mouetur motu præter naturam, & non uoluntarie, & quando moueri non debeat, ſenſitiua uero non corrupte, ſed ablate, quia ſenſus prorſus aufertur, non enim parum, nec corrupte ſentit, ſed nihil omnino, Ideo quo ad ſenſus ablati ſunt, motus corrupti, Et ita habetis in quo membro ſit ſymptoma, quod ſit, quomodo & cur fiat, & cum ſit actio læſa, quarum uirtutum ſit actio læſa, ac præterea quomodo lædantur, Relinquitur ergo caput perſcrutandum, ex quo eſt actio læſa, & omnis actio læſa fiat ratione morbi, à quo immediate procedunt impedimenta operationum, inueniendus eſt morbus, qui faciat

hanc

Diversimo de lędunt

Virtus motiua corrupte lędit

Sensitiua ab lata.

5

Quae sit Aegritudo

Et Complexio mala:

hanc operationem læsam, & sine dubio erit, uel mala temperatura, uel mala compositio, uel solutio continui, quod non sit solutio continui ex motu ipsius patet, quia confestim inuadit symptoma hoc & confestim recedit, sed solutio cõtinui subito non recedit, licet subito accedat omnino est dicendum quod sit complexio mala, quia iam habuistis, quod omnis mala temperies cerebri, quæcunque sit, alia symptomata facit, si enim fuerit frigiditas iuncta humiditati cataphorã facit, et si augeatur fit caros, siue subet, Si frigiditas siccitati iuncta fuerit, facit catochon, Si fuerit materia frigida cum frigiditate & humiditate putrefacta, facit lethargiam, Si frigiditas siccitati iuncta fuerit, & anteriores partes cerebri o ccupauerit stultitiam & maniam, si cum materia melancholica &c. Igitur hæ intemperies nunquam faciunt epilepsiam. Erit enim in compositione, sed patet quod non in numero, quia nihil est auctum, nec additum, nec in quantitate, quia nulla quantitas addita est, nec in situ, quia situs non est mutatus, non est in figura, nec in forma, ergo est in meatibus, uel cauitatibus, non in ductibus, nec in uijs quia non apparet, ergo in uentriculis erit per sufficientem enumerationem, ergo ista contractio uentriculorum cerebri, quod est symptoma, facta est propter unam ægritudinem, idest obstructionem euenientem in uentriculis, & ille motus conuulsiuus est symptoma, idest epilepsia habens talem causam, obstructionem, scilicet uentriculorum, Et iam habetis quid sit morbus faciens epilepsiam, scilicet obstructio cerebri, qui est morbus in compositione, Videndum modo

Epilepsia [illegible] sit morbus

do

do est, ex quo obstructio uentriculorum est causa, à qua immediate pendet hoc symptoma, idest epilepsia, an possit contingere aliquo tempore, ut ægritudo sit in una parte, & symptoma in cerebro. Aduertatis hic, & dicatis, quod in epilepsia, non loquor nunc de aliquibus symptomatibus, in quibus contingit, ut ægritudo sit in una parte corporis, in alia sit symptoma, ut in fluxu quem isti hepaticum uocant, symptoma est in intestinis, quia non retinent, sed ægritudo est in hepate frigida, & humida intemperies, propterea non dico generale esse, sed quod in epilepsia nunquam possit contingere casus, in quo sit symptoma in cerebro, & ægritudo in alio loco, quia semper ægritudo est obstructio cerebri, si debet esse epilepsia, sed statim insurgerent hic ingeniosi & exercitati dicentes, si ægritudo debet esse essentialiter in cerebro, quid dixit Gal. tres esse species epilepsiæ, aliqua per essentiam in capite, alia per consensum uentriculi, alia ab aliquo alio loco, qualis illa adolescentis qui sciebat referre sentire se auram frigidam ascendere ad cerebrum, Quid ergo dicendum est in hoc loco? Dico quod ista distinctio est uera, sed adhuc stat ueritas nostra, quia siue fit per essentiam, siue per communicantium alicuius qualitatis, semper sequitur obstructio cerebri, ergo uos infertis, nunquam erit per cõsensum? Nego consequentiam, quia ut fit per consensum, uel per essentiam in cerebro, hoc non facit obstructio illa subito ueniens, sed dispositio fixa in cerebro, ratione cuius materia semper fit parata, ita quod ægritudo semper est in capite, ratione cuius aduenit

nit paroxyſmus, & propter hanc cauſam dicitur per eſ ſentiam, ſi uero ab extrinſeco à membro inferiori adue= niat aliquid, quod obſtruat uentriculos dicitur per conſen ſum, quia tranſmittitur aliquid cerebro, ratione cuius rei tranſmiſſæ obſtruuntur uentriculi, Diceret aliquis, cum aſcendit uapor ad caput hoc aßimilatur ſuffuſioni, quæ fit à uentriculo, Et hoc poteſt contingere, & erit per conſenſum, ſed quid dices de illa, quæ fit à pura qualita= te, fiet ne obſtructio? utique, ſed ut didiciſti in primo de differentijs morborum loquens Gal. de obſtructione di= xit plura eſſe genera obſtructionis, inter quæ duo poſuit obſtructionum genera primum, cum obſtruitur meatus, uel cauitas ab humoribus, uel à uaporibus craßis, et hæc facit ad rem noſtram, Aliud genus cum parietes cir= cumſtantes uaſis contrahuntur, & anguſtant locum, non quia materia ibi ſit, ſed quia parietes adhærent, & hæc aliquando eſt naturalis, & à natura intenta, & cum uen triculus amplectitur cibum, conſtringitur ad quamlibet dimenſionem, idem facit uterus circa fœtum, aliquando fit à motibus uiolentis, cum fit contractio pulmonis, & mu ſculorum thoracis, aliquando ob ægritudinem, cum mem= brum læſionem percipit, conſtringitur, ut expellatur, in qua conſtrictione fit fortior expulſio, ita in cerebro con tingit, & in ſpaſmis non proportionatis cum chorda à mordaci qualitate, uel humore læditur cõſtringitur, per quam conſtrictionem quandam expulſionem acquirit, ita uentriculi faciunt, licet non ſit humor, uel uapor, ſed qua litas extranea, uel occulta, uel manifeſta, quæ aſcendat ad cere=

obiectio.

Obstructionum duo genera

cerebrum, tunc constringuntur, ut expellant nocumentum à re, illa constrictio est opillatio uentriculorum, quia æque bene impeditur uia: ne materia pertranseat, ac si materia ibi esset, Ideo semper est obstructio ibi, si debet fieri conuulsio epileptica sine materia, siue sit qualitas adueniens, quia fit illa species conuulsionis, cum parietes constringuntur ad expellendum, Hic notetis quod in hac obstructione notauit Gal. differentiam. Nam ubicunque fiat, cum adest materia obstruens, non desinit cerebrum concuti, & conuelli, ut expellat corpulentum humorem, sed ubi non adest corpulentus humor constringitur, ut uniantur uirtutes, et calidius fiat, ut expellat, quia sæpe frigida qualitas adest, ut de illo, qui dicebat auram frigidam, se sentire, quæ ascendebat, Igitur unitur cerebrum, ut ex tali unione calor, & uirtus corroborentur ad expellendum, cuius signum est, quia Galenus tertio de locis affectis, cap. septimo, dicit, quod in ista tertia specie non fiunt accessiones illæ, nisi per longa interualla, quia contingit à mala qualitate stimulante, ut notauit Galenus 8. κατὰ τόπους. Igitur huius modi conuulsio raro fit, quia sibi potius conuenit propria quies, quàm motus, & fiunt ferè sine conuulsione, ut Auic. prima tertij cap. de epilepsia inquit, habetis ergo rationes, quomodo nunquam poßit esse symptoma istud, quod epilepsiam appellamus, sine cerebri obstructione, ex consequenti sine ægritudine in capite existente, & cum hoc stat quod aliqua sit per essentiam dispositio in capite, & apta ad paroxysmum faciendum, sed posset adhuc aliquis dicere, ad hoc obiectio

hc=

habeo dubium. Tu dixisti à qualitate simplici fieri epilepsiam, Galenus tamen dicit, quod necesse est, ut fiat per præsentiam materiæ, quia fit subito, & subito recedit, mala autem temperatura non fit subito, intellexit Galenus per intemperiem illam, quæ aduenit substantiæ membri, Exempli gratia non posse fieri refrigerationem in cerebro, uel uentriculis æqualiter diffusam, uel calidam, ex taliq; si paroxysmus fiat, quia huius modi intemperies cum non poßit fieri subito, nec subito recedere, ideo non fit paroxysmus quia si intemperies fixa fuerit, semper esset paroxysmus, Igitur Galenus de intemperie æqualiter in toto diffusa, non de qualitate subito aduenienté, et lædente intellexit, licet etiam eius sententia sit intelligenda sano modo, quia, & si uerum sit, quod non poßit fieri epilepsia per intemperiem existentem in cerebro, falsum esset de causa disponente, quia in omnibus epilepsijs in cerebro ex mala temperatura frigida, & humida aggregatur pituita, quæ facit epilepsiam, igitur quo ad causas præparantes ad epilepsiam est mala temperies in cerebro, quæ facit materiam, quæ actu facit epilepsiam, bene non potest fieri à mala intemperie sine materia, & hæc de sexto capite. Septimum caput est omnium utilißimum de causis. Ad indagandas igitur causas epilepsiæ scire debetis, quod causarum quædam intrinsecæ, quædam extrinsecæ sunt, intrinsecarum, quædam sunt efficientes epilepsiam, quædam præparantes, idest præbentes aptitudinem, ut fiat, Et istarum efficientium quædam efficiunt per essentiam, quædam per consensum, per essentiam tot quidem

dem possunt esse, quot sunt humores, possumus enim imaginari à tot humoribus, quot generantur in corpore posse contractionem hanc fieri ratione huius obstructionis, & licet possibilitas sit admittenda, in re tamē tantum duæ causæ sunt efficientes, pituita, & humor melancholicus, pituita quidem, quia est peculiarissimus humor in cerebro in quo multiplicatur ratione symboli à natura, quia cerebrum frigidum & humidum est, pituita frigida & humida est, propter ea plus quia est in toto corpore, præter ea nullam mordacitatem habet, nec facit, ut facile aggregetur habet crassitudinem, ut non facile dilabatur, ac præter ea ubi aggregata est, propter mollitiem suam facile excutitur, nisi fuerit uiscosa, sed ubi esset materia talis, faceret sæuiora accidentia, isti autem motus fiunt à pituita, quæ non est uiscida, præter pituitam humor melancholicus est aptissimus, quia ille humor generatur multùs in capite propter discursus multos & cogitationes maximas, aduritur enim sanguis ex illis cogitationibus, cuius signum est, quod plurimi sapientes in hunc morbum inciderunt ut inquit Arist. tertio Probl. primo, ubi dixit Herculem maxime ꝑpessum esse hunc morbum, quia cogitabundus, & melancholicus erat, ideo morbus Herculeus & sacer appellatur quia pro Deo habebatur idem dicitur etiam de Cæsare, qui propter cogitationes hoc morbo angebatur, quia cogitabundus erat, & forte non propter aliam rationem Franciscus Petrarcha incidit in hunc morbum q̃ propter studia, quia adurantur humores, ideo ab humore melancholico æque bene fit, sicut à pituita, ideo dixit Hippoc. si cau-

Causæ ep[ilep]siæ [illegible]

quomodo Melancholia generetur in capite

Hercules

Cæsar

Petrarcha

sa faciens Epilepsiam corpus occupat Epilepticus morbus fit, si mentem melancholicam intellexit, ut optime exponit Gal. de ea specie, quæ fit ab humore melancholico. A sanguine autem rarò fit, quia raro exit uenas, et si exit: & obstruat uentriculos cerebri, fiunt sæuißima accidentia, quia ibi corrumpitur, & spiritus corrumpuntur, & animal penitus priuatur sensu, & motu, & nisi sanguis ille exeat, moritur animal, Et ideo si ex sanguine obstruuntur uentriculi fiunt sæuiora accidentia, similiter humor biliosus est subtilior, q̃ quod occupet membra laxiora, ut Gal. in quarto de causis pulsum asserit, quia facile effluit ex laxo membro, ratione suæ tenuitatis, sed alium occupat locum, membranam scilicet & tunc aliæ ægritudines fiunt, ideo rarò iste humor facit Epilepsiam, Et hæc de causis facientibus Epilepsiam per essentiam in capite.

Causæ uerò efficientes Epilepsiam per cõsensum duæ sunt, uel uapor, uel qualitas ascendens ad cerebrum, siue à stomacho, siue ab aliqua alia parte, in qua fit ægritudo, eleuetur, sed anteq̃ ueniamus ad has qualitates facientes Epilepsiam oportet primo quædam præmittere, & nos primo dicemus quid sit consensus, & quot modis fiat, ut cognoscatis in hac ægritudine, & cõsimilibus quomodo fiat, deinde, quoniam est aliqua Epilepsia, quæ fit per contagiũ, de illa loquemur, circa quam materiam forte nemo uestrũ aliquem unq̃ audiuit hactenus de materia contagij loquentem, & ita breuißime de consensu, & contagio loquemur, q̃ poterimus, Quantum ad consensum attinet, debetis scire consensum Latine appellari, à Græcis autem melius

lius συμπάθιαν hoc est condolentiã, & compaßionẽ, membrum autem tunc compati dicimus, ut rectius loquamur, quando in se non est ægritudo, sed cum sit in alio, illud aliud transmittit nocumentum illi, ratione cuius patitur, non quod in illo sit ægritudo, iste consensus, siue cõpaßio est ueluti analogum, siue æquiuocum nomen, nec habet eandem rationem in omnibus, dicimus quoddam membrum pati per consensum, quando contingit, & membrũ sit eterogeneũ ex pluribus partibus compositum, ut crus habet os iuncturam, in qua fit motus, musculos, chordasq; trahentes, & mouentes, ubi fit ægritudo in altero istorũ membrorum, uel in cute etiam & per consensum motus ambulationis impediatur, uel in osse, aut in iuncturis, quia principalis pars est musculus, reliquæ cooperantur, ubi in quam affectus fuerit in aliqua istarum partium, & reliquæ compatiantur, unus est modus ægritudinis per consensum exempli gratia si fuerit luxatum os, et ambulatio fieri non poterit, reliquarum partium consensus est, quia musculi non sunt affecti, sed impeditur actio propter sympathiam, iste est unus modus per consensum, cum quo stat ægritudo per essentiam, quia dicimus in crure esse ægritudinem per essentiam cum iunctura patiatur, & reliquæ partes compatiantur, ita fit Epilepsia cum uentriculi compatiuntur, ægritudo quidem in cerebro, cum materia generatur in cerebro. Vnde stat quod fiat consensus hoc modo, & ægritudo sit per essentiam in membro, ut in exemplo cruris, & in oculo, & in reliquis partibus, & membris, quæ constituuntur ex diuersis partibus eterogeneis,

Compati quid

alius consensus dicitur cum membrum diuersum situ, & loco ab alio patitur, & alterum compatitur, ut cum uentriculus patitur, & propter ascensum uaporum occupetur spatium, quod est inter corneam, & crystallinum, fiũt suffusiones, uel cum ad cerebrum ascendunt, & fiunt uertigines, & Epilepsiæ, diuersi isti affectus propter uapores ascendentes sunt per consensum ab affectu uentriculi dependentes, & iste modus est ille, de quo loquimur, & de quo loquuntur omnes, qui de consensu sermonem faciunt, & talis duplex est, uel unum membrum alteri compatitur, quia defertur ei, quod transferri non debet, uel non defertur ei, quod deferri deberet, transfertur autem id quod non debet, cum à stomacho eleuantur uapores ad cerebrum, & impediuntur operationes cerebri, non trãsmittitur autem, quod transmitti deberet cum propter læsionem factam in principijs neruorum puta circa spondiles colli ratione cuius læsionis non potest transmitti uirtus à cerebro transmissa ad membrum, & ita impeditur membrum à motu, quia non transmittitur, quod debebat transmitti, & in utroque extremo, membroq; potest esse uapor, uel qualitas, exemplum primi membri cum defertur, & transmittitur id quod non debet transmitti, potest esse materia ascendens ad cerebrum, & qualitas etiam mala, uel frigida, uel occulta à membro, eleuata, quia Galen. tertio de locis affectis cap. septimo facit tres species Epilepsiæ, prima est, quæ per essentiam fit, & de ista locuti fuimus, secunda fit per consensum ex ascensu uaporum, cum materia corporaliter, ut ita dicam opplet uentriculos,

Tres species Epilepsie G[illegible]

los, & facit ſecundam ſpeciem Epilepſiæ quam dicit Gal. aſsimilari ſuffuſioni, quia ſicut uapores aſcendentes à ſtomacho obſtruunt ſpatium inter corneam, & cryſtallinum, ita uapores aſcendentes ad cerebrum obſtruunt uentriculos, & impediunt animalem uirtutem, ne ad totum corpus tranſmittatur, & procedat, & det ſenſum, & motum, ſicut uapores illi aſcendentes inter corneam, & cryſtallinum impedient uirtutem uiſiuam & uiſionem, Alia ſpecies cum qualitas pura aſcendit, ut de puero, & adoleſcente, qui à crure ſentiebat malam qualitatem per interualla aſcendere ad cerebrum, donec amitteret ſenſum, & motum, & hæc eſt tertia ſpecies, cum tranſmittitur, quod non deberet tranſmitti ad caput ſub forma uaporis, uel ſub forma qualitatis tantum, idem in alio membro contingit, cum non tranſmittitur, quod tranſmitti deberet, & cum intercipitur qualitas, ut de uirtute, irradiante membra, cum impeditur, ne tranſeat ad irradiandum, aliquando materia intercipitur, cum muſculi inter coſtales facientes ex ſufflationem, ex qua fit uox, reſoluuntur, nec faciunt actus proprios, & non poteſt fieri ex ſufflatio pro uoce, & uox amittitur, quia materia, quæ debebat tranſmitti ad ligulam non tranſmittitur, & hæc de utroque conſenſu ſufficiant, & ita habetis, ex diſtinctione conſenſus illas duas ſpecies Epilepſiæ Galen. per conſenſum, conſenſus qualitatis eſt quodam modo contagium quia membrum ab illa mala qualitate occulta accipit contagium, uidendum eſt, quid ſit contagium, quomodo fiat hæc impreſsio, & talis affectus, Et pro huius rei cognitione quinque proponemus primo de

Quomodo fiat Contagium

Nota Distinctiones

nomine, & diffinitione quid sit contagium uidebimus, secundo causam in diffinitione contagij uidebimus esse impressionem cuiusdam qualitatis, uidebimus quæ sit illa qualitas delata de uno membro ad aliud, an sit intentionalis, uel spiritualis qualitas, uel corporea sequens corpus, uel formam substantialem coniunctam corpori, tertio si nos uiderimus quòd sit qualitas naturalis sequens naturam corporis, erit uidendum, an sit qualitas de primo genere idest an caliditas, frigiditas, siccitas, aut humiditas, uel orta sit ex secundis, uel sit occulta consequens formam substantialem alicuius corporis, quarto uidebimus utrum hoc contagiū fiat per contactum necessario, an fiat sicut in attractione magnetis sine contactu, cum attrahit ferrum, talis enim attractio fit non tangendo ferrum, & sicut medicina quæ humorem attrahit absque eo, quod contangat ipsum, quinto & ultimo uidebimus, unde est quod quædam ægritudines sunt contagiosæ, quædam uerò non: Quantum ad primum attinet, quid sit contagium, Latini contagium appellant, cum labes aliqua, aut macula transit de uno subiecto ad aliud per debitam approximationem, & refertur modo ad corporeas res modo ad animales, & etiam ad mores, ideo dicebat Seneca corrumpunt bonos mores colloquia mala, Et propterea si uolumus recte uenari diffinitionem dicemus, contagium est impreßio alicuius qualitatis præter naturam transeuntis de opposito ad oppositum, hanc diffinitionem si uellemus uenari per sua principia deberemus librum componere, sed consideremus id quod possumus uenari per conclusionem, posuimus loco generis,

quod

quod contagium est impreßio ad differentiam rei pertrã seuntis, quæ deberet facere contagium, sed ita leuiter approximatur, ut non faciat contagium, nec impreßionem, ut si anhelitum contraherem contagiosi, & pestilentis, nec imprimeretur, non laborarem illa ægritudine contagiosa, ideo oportet ut fiat impreßio. Addidimus, alicuius malæ qualitatis, quia non est corpus id quod transit de parte ad partem, Diximus præter naturam, quia si esset secundum naturam propriam non faceret contagium immo perfectionem adderet, quia ubi qualitas similis temperaturæ propriæ aduenit, conseruat potius, quàm faciat maculam, Additur transeuntis de opposito ad oppositum, necessaria est particula hæc, quia si transiret de simili ad simile fieret simplex alteratio, ut de uirtute magnetis ad ferrum, non fit in tali transitu contagium ferri, quia intrinseca illa est similitudo, ideo oportet ut unum sit oppositum alteri, & sic diffinitio hæc bona est, quia conuertitur cum suo diffinito, quam probaremus per sua principia, si uellemus multum immorari, sed hæc sufficiant per capita collecta, Secundum caput quærebat an ista qualitas sit de genere qualitatum, quæ dicuntur spirituales ab Aristot. septimo Physicorum, & quæ intentionales dicuntur, sicut sunt species coloris in medio & obiecta, quæ repræsentantur animæ, an potius sit de genere qualitatum corporearum, Et notetis nos loqui de contagio, quod fit in corpore, non de eo quod fit in anima quia secundum medicos loquimur. Dicimus igitur salua pace multorum ex amicis qui de hac re scripserunt opinantium contagium posse

fieri propter impreßionem malæ qualitatis de genere qualitatum intentionalium, tùm quia multiplicantur in medio, tum quia unus, qui habet pestilentiam unica uice multos inficere potest, sed hæc sunt leuia, Ego autem pono hanc conclusionem, non solum non esse qualitatem intentionalem, immo nec esse poßibile, ut sit de genere qualitatum intentionalium, probatur conclusio hæc ratione, & authoritate, ratione quidem, Nulla qualitas seu alteratio spiritualis alterat per se corpus alteratione propriè dicta, ergo nullum contagium est per intentionalem alterationem, & spiritualem, quo ad maiorem attinet, scire debetis pro declaratione eius, quod quando dicimus, nulla qualitas intentionalis alterat per se corpus, ponderate illud per se quia potest contingere, quod qualitas intentionalis alteret corpus non per se, sicut accidentia & molestiæ animi faciunt, alterant quidem corpus trahendo calorem innatum, uel spiritum intensum, & extensum, ex quo tractu uiolento alteratur corpus, sed non per se, sed per aliud, quia alteratur spiritus, calor, & sanguis, & propter ea refrigeratur corpus, sed statim dicerent aliqui, sufficit, ut dicatur per se dum modo causæ se inuicem habeant, bene non sunt primo, & per se causa alterationis animi accidentia, sed per se erunt, quæ fit per succeßionem causarum, sicut si ego mouerem lapidem, & ille lapis alium, Ego quidem per se moueo rem illam, licet non primo. Dico quod non est similis casus, causæ hæ non sunt uniuocæ, quia accidentia animi mouent tanquam obiectum, sanguis, & spiritus

ritus

ritus alterant, & mouent per se, & ut causa efficiens, non autem sicut obiectum, Ideo non est idem casus & discursus causarum, & ordo idem, nec causatio uniuoca, Ideo nulla causa intentionalis potest alterare corpus per se, Additum est, proprie dicta alteratione, quia causa intentionalis manifeste alterat, sicut species coloris alterat oculum, qui est corpus, sed non alterat alteratione proprie dicta, quia non alterat ad qualitatem corpoream, sed dicetis Gal. in secundo de locis affectis, dicit, obiectum uisibile potest alterare alteratione faciente dolorē uerum, immo quod facit solutionem continui, similiter obiecta aliorum sensuum nimis impetuose addita idem faciunt, ergo alterat corporaliter. Hic est fallacia, quia illa qualitas, uel species non alterat corpus per se, uel alteratione proprie dicta, sed lumen, & corpus diaphanum, & qualitas corporea, quæ nimis impetuose allata est, oculo dilatat oculum, & facit solutionem continui, & dolorem uerum, & ita corporeum quod est alterat, nec species, nec forma illa intentionalis est, quæ soluat continuum, sed aer confertim allatus ad organum uisus, quia ille motus impetuosus dißipat organum, Ideo nulla qualitas intentionalis per se alterat corpus alteratione proprie dicta, nisi adueniat aliquod corporeum, & ita maior est ue rißima, Minor etiam est manifesta, quæ erat quod omne contagium alterat corpus per se alteratione proprie dicta, hoc patet in ægritudinibus per contagium, ut in lepra, scabie, pestilentia, in illis fit alteratio naturalis, & corporalis, non spiritualis, præter ea uidemus, quod mu=

lier menstruosa, si inspiciat speculum, maculam suscipit, & contagium non intentionale, sicut suscipit formam, et macula illi fit similis sanguini, Ideo omne contagium facit alterationem per se, & per se alterat corpus alteratione proprie dicta, præterea Arist. in lib. de insomnijs inquit, Vnde est quod mulier inspiciens specula maculantur habens menstrua, ait, quod realiter fit tale cōtagium, si ergo maior, & minor uera est, necessario sequitur conclusio, quod scilicet contagium fit per qualitatem corpoream, non quæ habeat corpus, quia omnis qualitas est incorporea, sed quia sequitur naturam corporis naturalis, siue formam coniunctam specifice, uel materiam, sicut sunt qualitates primæ, & omnes aliæ, quæ à coniuncta procedunt omnes corporeæ appellantur, & hoc est secundum caput. Tertium caput erat, si uerum est, quod hæc sit qualitas, ex qualitatibus corporeis, quænam est? An prima qualitas, uel secunda, uel qualitas occulta consequens formam specificam, dico quod potest esse de primarum genere, secundarum, & de genere qualitatum sequentium formam specificam, quod poßit esse de genere primarum qualitatum patet ex toto discursu lib. epid. ubi per alterationem in caliditate, humiditate, siccitate, & frigiditate, maxime cum caliditas & humiditas in aere copulantur fit contagium, & contagiosæ ægritudines fiūt, & in lib. Aph. nonne ostendit Hip. quod ex qualitatibus primis fiunt contagia per alterationem aeris. Quod per secundas fiat habetis Galenum primo de differentiis febrium, ubi ait, quod putredo facit contagium, ut in febre

febre pestilentiali ex multa putredine, si ex anhelitu at=
tracto incidant homines in eam ægritudinem est per con
tagium secundæ qualitatis, quia quarto Meth. putredo
est secunda qualitas, ab excessu primarum facta, ubi hu=
miditas abundat supra caliditatem innatam, calor non po
test regere humorem, Ideo putredo sic secunda qualitas
est, ideo ex primis, & secundis qualitatibus prouenit con
tagium, quod etiam proueniat ex qualitatibus sequenti=
bus formam specificam patet, quia re uera à forma ope=
rantur, & ex eis labescit corpus, & interficitur etiam,
immo ex morsu minimi animalis fit contagium à qualita
te specifica sequente formam, & ex illo minimo morsu
moritur animal ex qualitate illa, quæ corporea est pro=
cedens ex natura corporea, & sic qualitas consequens
formam coniunctam tali materiæ sub ratione formæ spe=
cificæ causat contagium, sed sciatis quod in tali contagio
non est eadem forma, Ideo insunt in primis duabus, quia
in duabus primis moles multa reperitur, ut fiat conta=
gium, sed in tertia in minima quantitate potest fieri con=
tagium, quia formam consequitur, non materiam, & for
ma non habet uim respectu materiei, sed ratione sui, ideo
non requiritur multa moles, si qualitas illa sequens for=
mam esset in plurima materia magis operaretur, non
quod acquireret uim à materia, sed à forma magis exten
sa in mole maiori materiæ, ut exempli gratia in paruo
igne est eadem uis calefaciendi, sicut in magno, sed ma=
gis calefacit in maiori materia, Habetis hactenus circa
materiam de contagio, primo quid sit contagium, secundo
quod

quod ſit per qualitatem corpoream procedentem ab ali= qua qualitate, quæ conſequitur formam ſpecificam, uel quæ ſe tenet ex parte materiæ, uel ex parte formæ con= iunctæ ſemper, tertio quod talis qualitas poteſt eſſe ex ge nere primarum, ſecundarum, & ex genere illarum, quæ conſequuntur formam ſpecificam. Reſtat quartum, quod erat, utrum ad hoc, ut qualitas hæc imprimatur in id, quod ſuſcipit contagium, ſit neceſſario contactus, an in debita diſtantia poſsit fieri ſine contactu, Dico tamen per coniecturam ſumptam à nomine, quod neceſſario fit per contactum, ideſt dicitur contagium, quaſi quod ſe con= tangant imprimens, & impreſſum, tam etiam propter rationem, quia contagium eſt alteratio proprie dicta, ſed omne alterans debet eſſe contangens alteratum, aliter nõ fieret alteratio, ſeptimo phyſ. Cum ergo hæc alteratio ſit proprie dicta, debet eſſe contactus, immo Ariſt. cum de contagio loquitur in lib. de inſomnijs, loquens de men ſtruata inficiente ſpeculum, dat cauſam, quomodo fiat, & inquit, quod alteratur aer ſucceſsiue, quouſque aer alte= ratus habens uapores, qui ab oculis mulieris procedunt, & ipſe iam infictus tranſiens ad ſpeculum per motum continuum, inueniensq́; corpus leuigatum, & terſum ra= tione ſuæ terſitudinis imprimetur, & apparet in ſpecu= lo, tanquam in re terminata, quæ tamen non apparebat in aere, ita de putredine contingit, illa primo inficit aerem, aer affectus attrahitur per anhelitum, & ita fit per con= tactum, in qua non tantum hoc eſt uerum in qualitatibus, quæ ſequuntur materiam, & formam coniunctam, ſed e= tiam

tiam in tertijs, quæ se tenent ex parte formæ potius, quàm materiæ, quas appellant occultas, ut Auer. septimo phys. 10. & in octauo com. 35. qui ait, quod Magnes non attrahit ferrum, nisi alteret aerem, & uirtute magnetis attrahit, & successiue fit iste motus, quousque ad magnetem ferrum deueniat, Et ita semper fit per contactum, Et ita regula hæc semper uera est, Et ita habetis quod contagium semper fit per contactum, Vltimo quæritur unde sit, quod quædam ægritudines sunt contagiosæ, quædam non? Si debet fieri contagium oportet, ut adsit dispositio ex parte passi, & ex parte agentis, & medij, aliter impressio fieri non poterit, & hoc est necessarium in omni alteratione, ut Galenus primo de differentijs febrium docuit, ubi dicit, quod nisi dispositio imprimentis, & passi requireretur, non posset reddi causa cur in tempore pestilentiæ omnes nõ incidant in pestilentiã, Igitur ex parte passi requiritur dispositio, ut corpus sit paratum, causa imprimens fortis, & medium dispositum, & quia habuistis, quod contagium fieri potest in primis qualitatibus, ut de ueris constitutionibus patet, & in secundis sicut de putredine diximus, & tertijs, quæ occultæ qualitates appellantur, si de primis qualitatibus loquamur, dicimus, quod non potest fieri contagium, nisi qualitates primæ, & causæ imprimentes sint fortissimæ, & maximæ, nisi fuerit magna imbecillitas passi, & debita medij dispositio, quoniã in corpore humano si sit etiã intensissima, siue caliditas, siue frigiditas, siue siccitas, siue humiditas, siue frigiditas cũ siccitate, sine materia, siue cũ materia,

Quomodo Magnes attrahat ferrum.

teria, ideo nulla ægritudo ab his qualitatibus dependens, erit contagiosa, in quantũ sit ex parte sui, & ex sui natura, siue fuerit febris ardentißima, siue hectica, de simplici loquor, non de coniuncta cum phthisi, quæ est ægritudo contagiosa, Minus etiam temperies frigida, & humida, cum materia contagiosa est, sicut est hydrops, malus habitus, ut καχεξια, Atrophia, stupor, tremor, & omnes aliæ, quæcunque sint pendentes à mala temperatura, quantum enim est in seipsis nulla est contagiosa, bene addimus, quantum est in seipsis, sæpe enim contingit, ut fiant contagiosæ propter aliud, scilicet uel maxima dispositione paßi, sicut ego sæpe uidi aliquos ita imbecilles, qui cum tantum accumberent prope tertiana febre laborantem, inciderunt in eam, & infecti sunt, sed illi non adest hoc ex natura febris, sed ex dispositione paßi, Ideo illi qui sunt debilium uirium, & modicæ resistentiæ, si approximentur alicui habenti talem ægritudinem inficiuntur, non ex natura morbi, sed ex dispositione paßi, Et hæc est una conditio, quæ se tenet ex parte corporis debilis, ut patiatur à quolibet extrinseco. Potest hoc contingere secundo ex parte medij, quod ita sit præparatum, ut ægritudines fiant contagiosæ, quia in aere potest esse talis constitutio, ut disponat, & præparet corpora, & faciat ægritudines epidemicas, sicut Venetijs contigit Anno, M. D. XXXII. Eo enim anno cum essem Venetijs fuerunt anginæ, & pleuritides ita contagiosæ propter aeris dispositionem, ut præpararet corpora ad suscipiendas tales ægritudines, ea autem quæ cacochyma erant, magis

præ

præparata erant ad ægritudines illas, & ideo contingũt etiam tales ægritudines epidemicæ ſine approximatione etiam patiẽtis contagium, incurrunt in tales ægritudines reſpectu medij, quomodo alia corpora, quæ non ſunt præparata ex ſeipſis, quæ tamen ab aere ſolo præparantur, ut poſtea à quacunque leui occaſione incidant in ægritudines tales, exemplo folliculi lucernæ præparati ad ignem ſuſcipiendum, ſi ad aerem calidum accedat ſtatim inflammatur, ex diſpoſitione, quam aliunde acquiſiuit, ita corpora ab aere ſic præparata ſunt ad pleuritidem, quod cum accedat ad pleuriticum, ſtatim uapores tranſmiſsi, & caliditas illa à corpore patientis ad tale diſpoſitum, contagium faciunt, & incurrunt, in talem ægritudinem contagioſam, non quod pleuritis talis ſit ex ſui natura, ſed ex diſpoſitione corporis ab aere præparati, in quam non incidiſſet, niſi habuiſſet ab aere talem præparationem, Et hinc ſequitur ueluti corollarium, quomodo poſsimus iudicare illam quæſtionem, quæ uentilatur apud multos pertinaciſsimos, an pleuritis, & aliæ ægritudines ſint contagioſæ, An uero ſint eædem ſpecie, ita quod pleuritis cum eſt contagioſa nunquid differat ſpecie cum ſeipſa, cum non eſt epidemica, & nunquid ſit idẽ modus curandi, Ex neceſſarijs dictis determinabitis quæſtionem, quod ſunt eiuſdem ſpeciei, nec differunt, quia in propria natura non ſunt contagioſæ, ſed efficiuntur tales reſpectu paſsi maxime diſpoſiti uel medij, quoniam aer diſponit corpora, bene poteſt eſſe benignior, et malignior, ſed intenſiones, & remiſsiones morborum non uariant Quæstio

ſpe=

ſpeciem, ideo non differunt, ſed ſunt eiuſdem naturæ, Habetis ergo quod circa qualitates primas debetis intelligere, et circa ægritudines pendentes à qualitatibus primis, & debetis dicere non eſſe contagioſas ex ſe, ſed ex alio, uel quia corpora præparata inueniunt, uel aer præparat corpora ad ſuſcipiendum contagium, Hoc ſatis ſit de primis qualitatibus, Quò ad ſecundam qualitatem, quæ qualitas putreſcit, dico, quod hæc medio modo ſe habet cum primis, & cum tertijs, quas occultas qualitates appellamus, putredo enim adueniens corpori ſine tanta præparatione, qua indigent primæ, facit contagium, dummodo corpus ſit paratum aliquo modo, ſufficit, ſed non quælibet putredo id facit, ſed maxima, & inſignis, ſicut in peſtilentialibus febribus, & in peſtilentia, ſcabie, lepra, phthiſi contingit, in quibus putredo maxima eſt, & inſignis, moderata uerò non imprimit, niſi in corpore præparato admodum, ideo tertiana, quartana, inflammationes, bubones, Epilepſia non ſunt contagioſæ, niſi eſſet corpus præparatum ad modum ex ſe. Sed poſſet aliquis dicere, ophthalmia nonne eſt morbus contagioſus, & tamen eſt inflammatio, nec plus habet putredinis, quàm aliæ inflammationes, & tamen inflammatio omnis in corpore exiſtens non eſt contagioſa, in oculis autem ſecus eſt. Dico hæc eſſe ex diſpoſitione loci, quia uapores ex oculo inflammato prodeuntes tenuiores fiunt, quàm ſint uapores ab aliquo alio loco inflammato prodeuntes, & ideo in aere facilius imprimuntur, & ad ſanum oculum peruenientes, inuenientesq; membrum ra-

rum

rum aptum ad suscipiendum nocumentum, habens etiam planitiem, ratione cuius facillime recipit impreßionem factam ab aere, ideo impreßio fit ratione dispositionis passi in ophthalmia, ratione autem sui ipsius, non est magis contagiosa, q̃ aliæ inflammationes, sed quia uapores transmißi ab inflammatione ad oculum pertingentes præparatum faciunt contagium. Dicimus ergo quod putredo leuis de se non facit contagium in corpore, nisi in admodum parato, sed hoc raro contingit, sed ubi insignis est, ut in pestilentialibus febribus, quæ non differunt ab alijs febribus, nec alia de causa maligniores sunt, nisi ratione putredinis maximæ, & in pestilentia potißimum, quia facit putrescere sanguinem, & putredo ad cor contingens confirmatur in substantia cordis, & cadunt subito uirtutes omnes, igitur putredo insignis facit pestilentiales febres esse contagiosas, quia putredo per totum corpus existens per respirationem & transpirationem corporis, quæ sunt à natura factæ ad exhalandum fuliginosa excrementa, Hæc duo adiuuant mirum in modum ad contagium, ut etiam habentes uestes pestilentia inficiant, quoniam huiusmodi uestes sunt plenæ uaporibus putridis per transpirationem, & respirationem exhalantibus, & cum à pulmone respiratur aer in proximum, statim eandem dispositionem facit, quia de natura putredinis est, ut faciat contagium per contactum. Et ideo quando magna est in corpore sine medio aeris facit contagium, hoc in pestilentijs apparet, in phthisi autem cum pulmo ulceratur, plurima putredo in pulmone fit, quia raram habet substantiam, &

Cur pestilentia contagiosa

excrementis abundat, ac præterea calidæ & humidæ substantiæ est, ideo putrescit facile, & concipit maximam putredinem, sicut ex sectione nonnullorum, qui hac dispositione interierunt, uidimus aliquos ita affectum habere pulmonem, ut ne minima quidem pars esset sana, & immunis à putredine, facta autem insigni putredine in pulmone per halitum concipiunt contagium, immo cũ phthisici expuũt, expuunt saniem illam putrefactam à pulmone, ita insedit putredo in illo, ut siquis pedibus nudis ambulauerit super ipsum fient phthisici, & aliqui uoluerunt odorare sputum tale, & tali habitu inciderunt in phthisim, & hæc omnia à putredine ueniunt, & omnes ægritudines contagiosæ fiũt ex putredine, ut recte dici posset putredinem esse causam formalem, cur sit contagiosa, cum est insignis sola putredo, lepra etiam ipsa contagiosa est, quia duo conueniunt, primo maxima putredo, quæ tanta est in corpore, ut ossa, caro, nerui decidant putrefacti, & amittunt formam, & figuram, & tot ægritudinibus afficiuntur, ut si daretur quarta ægritudo in leprosis reperiretur, & propter ea tanto magis efficitur contagiosa, quia est in superficie, & exhalat, & facit maiores exhalationes, q̃ faciant aliæ ægritudines contagiosæ, ideo merito, delegantur leprosi, et leprosos intelligo elephantiasi laborantes, quod non contingit in scabie contagiosa & ipsa est. sed ideo & multa putredine fit contagiosa, ideo per contactum, & mutuam fricationem, & cum dormiunt simul, aut cum habent comertium, facit contagium, Et si non esset talis putredo in superficie, non esset contagiosa, sed ideo contagiosa est,

quia

Nota Phthisici

Cur lepra contagiosa

quia, est in superficie, De morbo gallico quid dicendum? Morbus Gallicus
Vlcera morbi gallici non sunt admodum contagiosa, & hoc ideo quia pendet à materia adusta melancholica, & huius signum est, quia sunt ostracosa dura, & in radice tuberculum durum habent rebelle concoctioni, ideo faciunt ulcera, quæ habent crustam, & escharam maximum adustionis signum, & si faciunt putredinem, non est uera putredo sed uirulentia, tenuis, & acris, idcirco facile inficiuntur, quia sunt sicca, & melancholica, & oppositum contingit morbo gallico, quod lepræ, licet utrunque à materia putrida dependeat, ulcera lepræ sunt putrefacta, morbi uero gallici non, cancri etiam licet ulcerosi sint non sunt contagiosi, quia pendent à materia adusta non putrefacta, ita quod sit semper putredo causa, & quia in morbo Gallico in ulcere licet sit putredo non est tanta, ut faciat contagium, nisi in corpore admodum præparato, sed in coitu facillime imprimitur, tum quia ubi sunt ulcuscula ex parte mulieris uel uiri ex fricatione incalescunt corpora, currunt spiritus, & humores, & sic inficiuntur, præter ea humores in ulcere, & uapores ex tali fricatione magis attenuantur, & facile penetrant in corpus rarefactum, tum propter delectationem, & uoluptatem, tũ etiam propter fricationem, ideo difficillime, & raro contingit, ut non fiat contagiũ ex tali fricatione, & titillatione, si uero non fiat talis fricatio non sequitur contagium, quia materia terrestris est, nec eleuantur uapores ab illa, quoniam dicebat Arist. in lib. de insomnijs, quod in melancholicis non fiunt euaporationes, quia humor frigidus & siccus est, Ideo nõ

In Coitu facillime Imprimitur.

In Melancholicis non fiunt euaporationes.

facile fiet cōtagiū, ut de lepra diximus, ideo insignis putredo in corpore causa est contagij, ideo omnis ægritudo ex sui natura contagiosa est talis ex putredine, quod si postea ex parte medij sit etiam putredo puta in medio si putredo est, ut contagium fiat, & ex parte corporis affecti, & ex parte aeris fiunt pestilentiæ, de quibus Thucidides loquitur, & tales quales descripsit Lucretius in quinto libro. Et tandem sequentur pestilentiæ, quæ tollunt homines etiam quod non sint parata corpora, & hæc de secūdis qualitatibus, tertia qualitas, quam diximus facere contagium est illa, quæ consequitur formam, ut de ictu scorpionis, & phalangij, & de illa specie Epilepsiæ ex mala qualitate uenenosa & delibutoria, quæ tanquàm aura ascendebat, quam Calenus, Neque Pelops præceptor sciebat exprimere, quæ esset, quæ cum occupabat cerebrum, faciebat ipsum constringere, & Epilepsiam causabat, & hæc qualitas ex aliqua re prouenit, quæ humano corpori aduersatur, Et hæc non solum potest esse in corpore, sed etiam generari in corpore, ut inquit Galenus in quinto de locis affectis, in quo loco asserit uenena posse generari in corpore, nec mirum cum fiant tot adustiones tot putrefactiones cibariorum, tot accidentia animi, ex tot mixturis, & tot putrefactionibus diuersorum humorum fiunt uenena, Et empirici ex diuersis putredinibus faciunt uenena admodum lethalia, ita etiam in corpore humano ex putredinibus diuersis fieri possunt similia uenena, Siue ergo extrinsecus siue intrinsecus fuerit uenenum cum aliqua mala qualitas innominata à forma specifica humo-

ris,

Tertia Qualitas

Venena possint generari in Corpore.

ris, uel animalis, per contactum alterat partem post partem, ut ascendat ad cerebrum facit maxima, & sæuissima accidentia, Epilepsiam, syncopam, & interficit pro natura malorum morum, & humorum, de his contagijs dicemus, quoniam efficacissimum est tale contagium, minusq; requirit dispositionem corporis, diximus ergo primas qualitates ex sui natura non facere contagium, etiam quòd maximæ sint, hæc autem licet sit minima facit, putredo uerò medio modo se habet, sufficit quod sit in multa quantitate, & Galenus admiratur de hac qualitate ita minima, nec reddit rationem, cur id faciat, & recte quia nescimus reddere causas, quoniam nescimus, neque cognoscimus, ideo non possumus cognoscere unde fiant tam efficaces operationes, Videmus tamen ex minimo ueneno scorpionis & phalangij, & ex eo puero, de quo Gal. meminit, à cuius pedis pollice eleuabatur tenuis aura, & Epilepsiam faciebat, quantula materia creditis quod esset in pollice pedis pueri, in quo nullus timor apparebat, tamen tanta uis delibatoria eleuabatur, ideo in minima portione facit contagium, quod à primis qualitatibus tàm illud quod à putredine fit alterat medium, medium autem infert putredinem ad corpus, & facit contagium, sed ista talis qualitas non transit de uno opposito ad aliud, nisi se contangat, & ueluti iaculetur, & hoc euenit, quia qualitas illa occulta existit in materia, à qua est inseparabilis, quia sequitur formam specificam, quæ non multiplicatur in medio, sic facit intentionaliter, sed hæc non alterat realiter, ideo cum non pos-

Primæ qualitates ex sui[2] natura non faciunt Contagium.

 sit

Magnes

ſit alterare aerem inficit per contactum, ſed dicetis quid de magnete dicis, quæ ab occulta qualitate operatur? poſſum dicere ex Auer. quod alterat aerem, & ſtatim aer alteratus alterat ferrum, & attrahit hoc pacto, qualis ſit autem alteratio illa hoc loco non eſt diſcutienda, immo ſi uellemus Auer. ſequi dicemus contagium hoc factum ab occulta qualitate fieri alterando medium ſicuti ipſe ponit exemplum de uirgine illa, quæ Napellum comedit, quæ interficiebat homines ſolo aſpectu, ut dicitur etiam de Baſiliſco, qui ſolo intuitu interficit, ſi hoc uerum eſt poſſem dicere fieri per alterationem medij, ſed de uenenis noſtris, & de animalibus noſtris delibutorijs non poteſt fieri contagium ex aeris infectione, Licet dicat Apianus in irigono marino talem eſſe uim delibutoriam, ut ſi haſta tangatur, per haſtam tranſit uis illa ad carnem, & tandem corrodat carnem, & dicitur apud Turchas fieri uenena quæ contagiunt ſellam, & ex ſolo contactu de ſella ad ueſtes, de ueſtibus ad carnes, & tandem ad membra principalia pertranſeunt, ſi hoc eſſet uerum, poſſemus dicere, quod per aerem alteret, & ita de magnete poſſemus dicere, Et hæc ſufficiant de contagio, Duo uerba dicemus de cauſis Epilepſiæ, iam ſatisfecimus omnibus cauſis efficientibus Epilepſiam tàm per eſſentiam, quàm per conſenſum, Reliquum erat, ut de facientibus præparationem, & de diſponentibus corpora ut facile ſuſciperent, ageremus, hæ autem ſunt duæ, temperatura ſcilicet & ætas quia dicebat Galenus & Hippocr. familiariſſima ſenibus, & pueris eſt Epilepſia tàm in tertio Aphor.

In Turcia fiunt venena quæ contagiunt sellam

Causa Epilepsiæ [illegible]

Epilepsia familiariss. senibus et pueris

phor. quàm in lib. de locis affectis, ſenibus quidem pro=pter imbecillitatem cerebri, & propter multas crudita=tes, quas generant, pueris autem, quia habent humiditatem copioſam, tùm etiam propter mollitiem, quam habent, & propter ingluuiem, ac neruorum & cerebri debilitatem, ideo facillime patiuntur conuulſionem, & Epilepſiam ſed pueri ſanari poſſunt propter conuenientem temperatu=ram calidam, & ſiccam, ſænes uero, quanto ſeniores fi=unt, tanto ſicciores efficiuntur, & ideo commoriuntur cum ea. Quò ad temperaturam humida, & calida etiam quod caliditas iuncta abundat plurima humiditate ex con=ſequenti plurimam aggregat pituitam, quia caliditas cum hnmiditate aſſociata non eſt potens, cum uero caliditas ſu=perat habent illi, qui habent talem temperaturam pluri=mum, & optimum ſanguinem et minus pituitæ, ideo iſti, quos ſanguineos appellatis ſunt calidi, & humidi, ideo abundant pituita, & facile incidunt in Epilepſiam, illi au=tem ſanguinei ſunt, qui habent plurimum ſanguinem, ca=lidi uero & humidi ſunt ſicut fæminæ & uenas habent tenues, Et ita habetis cauſas præparantes intrinſecas cau=ſæ uerò extrinſecæ, quæ efficiunt Epilepſiam ſunt ſex res non naturales, ſed aer maxime, ut in tertio Aphor. Vbi Hippocr. ponit conſtitutiones aeris quæ ſunt paratæ ad Epilepſiam, maxime frigida & humida, & inæqualis ſi=cut eſt autumnus, & dicebat Hippocr. & Gal. in primo Aphor. illud eſſe tempus commodum, cum eadem die calor & frigus ſit. Cibus & potus, qui generant excrementa multa, flatuoſa, duræ coctionis, ut ſunt paſtilia, lacticinia,

Senibus

Pueris.

Causae Extrinsecae

Aer

Cibus et potus

piſces magni, quia generant pituitam, uina turbida, & craſſa, ingluuies crapulæ, ſomnus profundus, maxime meridianus, quia replet caput, præter ea nimius coitus, quia debilitat cerebrum, Excrementa ſolita excerni retenta, ut hæmorrhoides retentæ, menſtrua, & ſemen, maxime in mulieribus uiduis, quæ ſolitæ erant excernere, & tandem omne excrementum retentum præter naturam, ſunt etiã quædam cibaria, quæ à proprietate operantur, & dicunt iſti de Apio, ſed apud Dioſcor. nihil dictum eſt de Apio, Auicen. tamen dicit, quod habet proprietatem prouocandi Epilepſiam, bene poteſt una ratio eſſe, quia omnes herbæ calidæ cum multo flatu, & humiditate excrementoſa, ut naſturtium, apium, Rapæ, omnes illæ per regulam generalem, quia replent caput poſſunt generare Epilepſiã, ergo credẽdũ Aui. ergo Gal. dixit nugas, et tot ſapiẽtiſſimi Græci. Aduertẽdũ eſt ut defendamus utroſq;, quoniã tpe Gal. non utebantur Apio, quali nos utimur.

Et Arabes intelligunt de Apio quod à Græcis non appellatur abſolute apium, ſed hippoſelinon apium, quaſi magnum apium dixeris multas enim herbas appellabant Hyppos. i. magnas, licet ſmirnium quod apium dicitur nõ differat magnitudine ab Hyppoſelino, illud uero quod noſtri petroſelinum, apium dicitur, apium à Græcis abſolute appellatur, modo id quod nos petroſelinum uocamus non habet excrementitiam humiditatem, nec craſſiſſima folia, ſicut apium habet, propter ea non eſt ita in apio Antiquorum, quod nos petroſelinum appellamus, ideo poteſt concedi id quod Arabes dicunt de apio

apio, quod scilicet excitet epilepsiam, Credo ego quod Apium à qualitatibus manifestis id faciat, scilicet sua excrementitia humiditate, & flatulentia, ut nasturtium etiam, & omnes illæ herbæ, in quibus, & caliditas, & humiditas excrementitia, sunt etiam alia quæ à qualitate dicuntur excitare epilepsiam, sed habent manifestas qualitates. Paulus quædam enumerat sicut, asphaltum, idest bitumen gagates lapis, cornucaprinum suffitum, & comestum, hepar hyrcinum, aut odor iocinoris assati, aut cocti, quæ omnia adiuuant ad sciendum an sit aliquis epilepticus. Ista sunt signa ad deprehendendum epilepticum suffumigio eorum, uel si in cibo dentur, Addit Auic. myrrham, galbanum, immo etiam castoreum, & mirum est, quod maxima pars horum faciat epilepsiam, & cum hoc etiam sunt signa ostendentia, quando adest, & quando nõ adest, & inter ista Paulus enumerat Asphaltum, quod excitat epilepsiam, ac inter facientia paroxysmum, & ita operationes efficit diuersas, huius rei facilis est solutio. Excitat quidem, quia euaporatiuum est bitumen ueluti lachrima quædam, nasciturq; in Babilonia, & in nostris partibus prope Romã sunt quædam loca, in quibus odor huius bituminis sentitur, fœtidum est, & teterrimum habet odorem, & calidos facit uapores, propterea cũ quis habeat causam per essentiam, idest humores pituitosos in cerebro, uapores illi excitant, & attenuant humorem quietum, & faciunt, ut præcipitetur ad uentriculos, & fit paroxysmus, existente paroxysmo, si fiat suffitus, uapores iterum attenuant illum humorem, & eundem ef-

Nasturtiums

NOTA

8

Asphaltum

Circa Neapolim

Quomodo idem causet et solvat Epilepsia

fectum faciunt, sed ratione diuersitatis locorum fit excitatio, quia attenuatis humoribus fiunt apti ad expulsionem, & ideo deprehendentia signa sunt epilepsiæ, & sunt efficientia extrinseca, & habent rationem signorũ, quia ex eis deprehenditur, an sit epilepticus, Ideo Paulus, & Auic. ponunt hæc inter signa, & causas efficientes, quoniam habent rationem utriusque. Hæc de causis tàm intrinsecis, quàm extrinsecis, tàm præparantibus, quàm efficientibus, Restabant alia duo capita proposita uidenda, Qui scilicet mores sint, qui motus, quis terminus huius affectionis, & quomodo differat ab alijs con tingentibus morbis. Mores sunt peßimi, & inter cacoetha, idest inter habentes peßimos mores enumerantur, non solum cum adest paroxysmus, quia cum adest nõ potest imaginari aliquid turpius uisu, quia tanquam tonitru percußi cadunt, habent & peßimos mores per dilucida interualla, fiunt impotentes, uisu horribiles aspectu, cum prius autem essent pulchri, habent oculos tortos, malarum cogitationum fiunt, malorum morum, immundi fiunt, ut sues, imprudentes, & tandem efficiuntur, ut Arretheus inquit ἐξάνθροποι γίγνονται, idest extra hominum mores, propterea morbus iste est peßimorum morum, qui afficit homines in paroxysmo, & in interuallis. Quò ad motum in paroxysmo, motus citißimus est, quò ad interualla peßimus, ut tandem interficiat, Vnde quò ad causam morbi diutinus est, quò ad paroxysmum & morbum peracutum: Quantum ad terminum in pueris, siue per essentiam, siue per consen-

sum

sum fuerit, sanari possunt, Si habuerint bonum medicum in adultis qui est per consensum, si inuenerint bonum medicum curantur siue ab utero, siue à stomacho, siue ab hepate, siue ab aliquo alio loco, & si ab aliqua aura prouenerit. Curantur autem omnes per consensum in adultis, non autem per essentiam, quia cum transeunt uigesimumquintum annum, moriuntur cum ea, si quadragesimum, multo magis, & aliquando ad melancholiam terminatur, si hebetior fuerit crassus, & melancholicus, aliquando etiam ad paralysim, & notate hic contradictionem maximam inter Galenum, & Auic. tertio de locis affectis, inquit Gal. differre epilepsiam ab apoplexia, quia epilepsia non terminatur ad paralysim, Auic. autem dicit, quod terminatur. Dico quod Galenus uerum dicit paroxysmum epilepsiæ non terminari ad paralysim, bene paroxysmum apoplexiæ, quomodo? quid obstat cum paralysis pendeat ab eadem causa, sicut epilepsia, quod causa antecedens in cerebro existens, quæ non actu facit obstructionem non descendat ad iuncturas, & ad membra, & fiat paralysis? potest fieri, hoc licet nunquam uidi, sed esto, quod mutetur ad paralysim, dico quod nulla erit differentia inter Galenum, & Auic. quia Galenus de paroxysmo, Auic. de causa antecedente loquitur, Quantum attinet ad ultimum caput, ut sciatis differētiam inter ipsam, & alios congeneres morbos, ut Apoplexia et spasmus, Dico quod differt ab apoplexia, quia epilepsia non est perfecta obstructio uentriculorum cerebri. Epilepsia ideo est cum motu conuulsiuo, Apoplexia uero est perfe-

cta

Contradictio Magna

Differentia inter Apoplexiam et Epilepsiam prima

cta obstructio uentriculorum, Ideo longe acutior est, & uel ad paralysim, uel ad mortem terminatur, A minori enim materia fit epilepsia, differt secundo termino, quia paroxysmus apoplexiæ terminatur ad paralysim epilepsia non differt à spasmo, quia licet epilepsia sit semper à motu spasmoso, eam dico, quæ per essentiam est, licet ea, quæ per essentiam sit, non semper sit cum motu continuo, sed aliud est esse conuulsionem, & esse cum conuulsione, Paulus & nonnulli alij dicunt epilepsiam, & spasmum, idem esse, sed improprie, loquendo autem propriè non est spasmus, sed cum spasmo, quia morbus faciẽs hanc epilepsiam, est obstructio uentriculorum cerebri, Symptoma est contractio uentriculorum, non tamen sicut contractio spasmi, quia contractio ueri spasmi est, quoniam cordæ nerui corripiuntur, sed contractio cerebri, & uentriculorum fit à natura, ut expellat nocumentum, Ideo non est motus uiolentus, sed habet rationem etiam spontaneæ actionis, quia natura eligit motum, ut aggrediatur opus, & faciat expulsionem, Spasmus autem uerus inuoluntarius est bene affinitatem habet cum spasmo non proportionato ad materiam, præter ea, quod nõ sit spasmus, patet ex hoc quia aliquæ sunt sine spasmo, secundum Galenum, & Auic. Et hæc sufficiant ad naturam indagandam epilepsiæ, Nunc modo aggrediamur notitiam signorum. Quantum attinet ad signa iam scitis capita, quæ non est opus, ut amplius recenseantur, si uultis habere loca, de signis autem quæ faciunt ad rem nostram quædam sunt portendentia futuram ægritudinem, quædam

dam

dam indicantia præsentem, Ista duo membra, accipiamus, portendentia, & consideremus primo, quia in magnis ægritudinibus, qualis est epilepsia, debetis curare, ut non eueniat, quia cum affuerit multoties est uana Medici operatio, oportet ergo, ut cognoscatis eas, antequam eueniant, Signa igitur portendentia, quædam portendunt epilepsiam per essentiam, quædam per consensum, Portendentium sunt nouem, genera, & communia signa, & licet sint communia pluribus cum sunt unita, fiunt tamē pathognomonica, primum signum est commune, dolor capitis aggrauatiuus, nec scit reddere causam, imminet inditium, quod materiæ istæ frigidæ confirmantur in capite, propter malam temperaturam existentem ibi, secundum quod præter grauitatem illam dum crescunt causæ præparantes à qualibet leui causa repletur caput sensibiliter, maxime cum irascitur, quia signum est, quod caput imbecille est, & à leui causa repletur, & excrementa aliorum membrorum ad ipsum transmittuntur, & cum irascitur à calore eleuantur uapores, & ascendunt ad caput, & ideo repletur. Tertium signum accedit, & maior suspitio, incipit in nocte somniare somnia horrenda, & imaginationes plurimæ uidentur, uidentur quod imagines illæ adoriantur ipsum, et cogunt ipsum uti pondus, ut non poßit moueri, & si uult clamare, non potest, & hoc nihil aliud est nisi epilepsia, quæ fit in somnijs, de qua intellexit Arist. in de somno, & uigilia, quæ à nostris incubus appellatur. Quartum signum apparet statim in constantia mentis, & morum animi, & cordis,

&

& iam non ſolum in mente apparet inconſtantia, ſed etiam in toto corpore, mouent manus, & pedes, & nullam habent conſtantiam, immo etiam ſecundum omnes animales operationes inconſtantes ſunt, & hoc ſignum eſt, quod res accedit ad augmentum propter multitudinem uaporum aſcendentium, & operationes animæ non ſunt amplius claræ, ſed turbulentæ à malis uaporibus.
5 Quintum ſignum eſt triſtitia animi, & mœſtitia ſine cauſa, non poſſunt lætari, fugiunt conuerſationes hominum, cantilenas quoque, immo ab eis offenduntur, & neſciunt, quæ ſit cauſa, Signum eſt, quod materiæ iſtæ turbulentæ obſident ſpiritus, nec fiunt amplius clari, & illis accidit, ac ſi quis in tenebris ambulet, qui non poteſt lætari propter tenebras, quando enim primo occurrunt tenebræ, triſtatur animal, ac ſi tenebræ interiores eſſent, ita etiam cum uapores turbulenti obſident cerebrum, ſpiritus tenebroſi fiunt, ac ſi in tenebris eſſent, Ideo illi perpetuo cruciantur terrore, ſiue humor melancholicus, ſiue pituitoſus fuerit, nec uerum dicit Herculanus, & alij Moderni, quod ſignum hoc ſequatur humorem melancholicum, ſed pituitoſum etiam, quia ambo obtenebrant ſpiritus. Et hoc uoluit Galenus tertio de locis affectis, cum de hypocundriaca diſpoſitione loquitur, quæ eſt tertium melancholiæ genus, & contra Dioclem diſputans, inquit Dioclem prætermiſiſſe cauſam, cur in ea diſpoſitione, in qua uapores eleuantur à pituitoſo humore, & bilioſo fiant imaginationes melancholicæ, dixit hoc eſſe, quia turbantur ſpiritus à uaporibus craßis, ideo non eſt ma-

maior ratio, quod turbētur ab alio humore potius, quàm à pituitoſo, maxime cum uideamus à re humida & frigi= da eleuari uapores in medio, & tenebras inducere. Sex= tum ubi inualeſcunt hæc, fiunt ita obliuioſi, ut obliuiſcan= tur res præſentes, ac etiam proprium nomen, ac tunc iam appropinquatur ipſi ſymptomati. Septimum ſignum, iam propter confirmationem frigiditatis in cerebro inci pit exterius apparere, pallor, color ſubniger, quod eſt ſi= gnum frigiditatis. Octauum additur à Modernis, & eſt rationale uiriditas uenarum exiſtentium ſub lingua apparet, quia ſtante craßitudine in cerebro, in lingua ap= paret, quia laxum membrum eſt, Ideo in icterico, & in febrienti in lingua, & in oculis apparet affectio, quæ eſt in corpore, Ideo uenæ apparent ſubuirides, quia refrige= ſcit cerebrum, & amittit ſplendorem, & tunc etiam in= dicatur, quod ex frigiditate in cerebro, eſt ſanguis con= gelatus. Addit Auic. ſignum, quod credo corruptum, & inquit apparere citrinitatem in lingua, non eſt ratio= nale ſignum, ita credo quod acceperit à Paulo, qui dicit ochotis in facie, ideſt pallor, & linguæ inordinatus mo= tus, retulit pallorem, Paulus ad faciem, non ad linguam, Credidit autem Auic. quod uoluerit dicere pallor faciei, & linguæ. Nonum ſignum quod in lingua apparet, hoc eſt, quod ſit inconſtans in loquendo, & incipit balbu tire, & mordere linguam, & iam incipit eſſe ſpaſmus, & paroxyſmus, Et ita deueniemus ad unum ſignum, quod eſt proximum admodum, omnia autem pendent à mala temperatura, & à repletione malorum humorum cor=

rum=

rumpentium operationes sensitiuas tàm interiores, quàm exteriores. Signa portendentia epilepsiam per consensum, eam, scilicet quæ à stomacho fit, primo apparet in stomacho palpitatio, & saltus, & morsus, est in uentriculo, deinde prouocatur ad nauseam, & si tollerat ieiunium fit paroxysmus, Ideo debet statim illi offerri cibus, tremit cor, & tunc statim paroxysmus accedit, Hæc omnia signa si considerabitis maxime mordicationem, scilicet palpitationem: & intollerantiam ieiunij, & quæ dicit Gal. tertio de locis affectis, in cap. de epilepsia, quod hæc similitudinem habet cum spasmo non proportionato ad materiam, cum neruus mordicatur à re acri, uidebitis expresse Galenum, uelle, quod ab humore calido, & erodente fiat, quia non tollerat ieiunium, & statim post cibum assumptum cessat, & quod fiat mordicatio, & ob talem mordicationem uentriculorum cerebri excitentur ad expellendum, sicut in singultu accidit, in quem Gal. dicit sæpe incidisse, si quando piperis immodicam quantitatem ingesserit, attestantur hæc omnia non fieri à uaporibus obstruentibus, sed mordicantibus, ita quod non sufficiant ad epilepsiam à stomacho prouenientem reliqua omnia, nisi adsit mordicatio, & tunc omnia ista indicant epilepsiam per consensum à stomacho factam ab humore acri corrodente, Ea autem species, quam Galenus fieri dixit à mala qualitate raro contingit, quia raro aura frigida, ascendit ad caput, sed cum hæc fuerit fiet paroxysmus, Alia signa sunt quæ indicant præsentem ægritudinē, primo est ille casus repentinus in terram, secundo conuellun=

luntur propter consensum contractionis cerebri, ista duo semper sequuntur, tertium signum sequitur in pluribus, & est mugitus, & boatus quidam extraneus, & hoc est propter indebitam expirationem aeris, quia musculi inter costales facientes expirationem conuelluntur, ac si tibiam haberetis, & foramina sine arte clauderetis, fieret sonus sine harmonia, similiter si fistulam ex uesica cogeretis fieret mugitus quidem uastus. quartum in pluribus quidem apparet & est emißio inuoluntaria stercoris, et urinæ, & seminis, & causa est, quia musculi in collo uesicæ & in ultima parte intestini recti à natura facti ad cõtinendum, cum spasmantur aperiuntur & præter rationem expellitur materia, urina scilicet & feces, & irritatur uirtus uesicæ & intestinorum ex conuulsione; ita etiam semen excutitur, licet sit motus naturalis quia irritatur uirtus expulsiua propter indebitum illum motum, sicut Gal. tertio de locis affectis de pipere ingesto, à quo excitabatur singultus asserit, ultimo apparet spuma circa os, & hoc est unum insigne præcæteris, & maxime proprium Epilepsiæ, sed circa hoc notete, quia Moderni dicunt, cum finitur paroxysmus, & emittitur spuma bonũ signum esse, sed in principio, malum hoc nunquàm dictum fuit ab Antiquis, quod sit bonum signum, quia si erit spuma non uera erit commune signum, quia nos poßumus nomine spumæ duo intelligere, uno modo proprie, alio modo improprie, spuma proprie dicta est, cum tenuis, & uiscida humiditas permiscetur cum spiritu, & aere, et ita permiscetur, ut exagitatione caloris, minimum unius

ſit cum minimo alterius, ut non poßint inuicem ſeparari, facta autem ſpuma illud corpus ſeparatur, et licet à re humida naſcatur, ſeparatur tamen ab illa, & portatur, ut ſpuma maris, quæ adhæret ſaxis, & parietibus, & ubi apparet talis ſpuma mors ſequitur, ſiue ſit in Apoplexia, ſiue in Epilepſia, quia ſignificat aerem fuiſſe retentum propter prohibitionem anhelandi in pulmone, ut incaluerit pulmo, & partes omnes in præcordiis, ut aliquid tamen ſit de ſubſtantia pulmonis, & permiſtum ſpiritui permiſtione inſeparabili, & ex ultimo conatu facto à natura emiſſam eſſe, Et hoc eſt quod Hippoc. dixit, ſtrangulati, ubi ſpuma apparuerit non referuntur. Modo eſt alia ſpuma non proprie, ſed habet tantum ſimilitudinem cum uera, quæ pendet à miſtione humoris tenuis uiſcidi cum flatu, ſed hæc non eſt permiſtio minimi unius cum minimo alterius, ſed talis, qualis apparet in uinis in urinis, & in ſaliua, illæ ampullæ non poſſunt ſeparari à ſaliua, & ſi uultis eas ſeparare, euaneſcunt, & talis ſpuma non eſt malum ſignum quia non eſt mirum, ſi ſaliua in ore agitetur propter motum illum, & ampullæ appareant circa os, quia non fit à ualida cauſa, & forti, & de hac intelligit Paulus, & alij, quæ non eſt uera, ſed ſaliua ſpumeſcens facta ex multa agitatione. Eſt modo aliud ſignum indicans Epilepſiam per conſenſum ab Epilepſia per eſſentiam, & eſt, cum aliquis Epilepticus habet raras concußiones, & uir conuellitur, & per interualla, ſicut fit in ſingultu, illa non eſt per eſſentiam, ſed per conſenſum, hoc ſignum annotauit Gal. in cap. de Epilepſia, & aßimilauit eam ſingultui,

Spuma non proprie [illegible]

Aliud signum

tui, quia Epilepsia per consensum aßimilatur spasmo non proportionato ad materiam, & singultui, ideo per interualla fiunt, sunt modo signa indicantia causas, an à pituita, uel ab humore melancholico fiat, recurratis ad signa attestantia dominium pituitæ, & melancholicæ.

DE CATARRHO
CAPVT VIII.



IN explanatione ægritudinum à capite usque ad pedes proposito ordine à Rasi deuenimus ad Epilepsiam, cuius caput ita tractauimus, ut omnes causas, & signa executi fuerimus, deerant indicationes, & curatio, indicationes & curatio in uirtute in aliis cōsimilibus curationibus elicitæ sunt, deinde ut magis utilia eligerem, quia utilitati uestræ consulo, (sequebatur, enim post caput de Epilepsia caput de melancholia) omisi illud, quia uolo tractatum de catarrho aggredi longe magis proficuum, quod quidem ita utile est, ut longe melius fuisset in principio de ipso egisse, quia ab ipso tanq̃ à fonte emanant omnes illæ ægritudines materiales. Circa igitur materiam de catarrho primo proponemus more nostro quid importetur per hoc nomen catarrhi, & nota tu digna scietis. Circa nomen igitur nemini dubium est quod græca uox est, & quia importat fluxionem, dicitur catarrhus ἀπὸ τοῦ καταῤῥεῖν idest defluere, ac si dicerem defluxum, ideo bene Latini destillationem uerterunt, aliter autem Antiqui tempore Hippocr. & qui post ipsum fuere, aliter à Gal. usurpatum est, qui fuerunt tempore Hippocr. sub hoc nomine quamcunque distillationem à cerebro ad partes inferiores decumbentem uno nomine catarrhum acceperunt, & hoc in tertio Apho. 12. ostendit Hippoc. ibi, ubi loquitur de catarrhis senum, sed expreßius in libello de glandulis, & in alio libello de locis

in

hominem, in utroque illorum ſub nomine catarrhi omnem deſtillationem à capite appellat ad ſubiectas partes decũbentem, & ſeptem ſpecies ponit, quas declarabimus Galenus uero, & recentiores aliter ſumpſerunt, & dum proprie loqui uellent ut Gal. tertio Aphor. 12. dixerunt catarrhum deſtillationem eſſe, quæ à thorace ad pulmonem tendit, & forte nomine generis hanc ſpeciem appellarũt, quia peßima eſt, & frequentißima, ubi uero catarrhus ad nares deſcendit coryza, Latini uerterunt grauedinem, ἀπὸ τοῦ κορύζειν ideſt lacerare, & mordicare, & quia catarrhus deſcendens ad nares, ut docet Galen. ſecundo Prognoſt. 49. 44. tenuis eſt & mordax, ideo ubi catarrhus ad nares deſcendit mordicat, & inflammantur partes, ut non poßitis tangere naſum, ideo coryzam appellarunt, quia uidetur uellicare partes, Vbi uero ad fauces deſcendit Græci branchum, Latini raucedinem dicunt, dicitur autem branchus ἀπὸ τοῦ βραγχᾶν ideſt raueſcere & iſtas diſtinctiones habetis à Gal. in fine ſexti de cauſis ſymptomatum, & in ſecundo Prognoſt. 49. nihilominus etiam Gal. affert diuerſa nomina, prout occupat diuerſas partes faucium, cum ergo non fauces, ſed gurgulionem occupat ſtaphili ideſt uuam appellat, cum ad adenes decumbit, & ad glanduloſas antiadas appellat, Alij columellam, ubi uero partes intermedias inter gurgulionem, & adenas pariſthmia appellauit, ſicut de angina dicitur quæ modo cynanche dicitur, modo paracynanche, prout occupat muſculos laryngis diuerſos, diuerſa etiam ſortitur nomina, catarrhus prout occupat diuerſas partes, Hæc dano=

Gal. et Recen.
Catarrhus
κόρυζα grauedo
βράγχος Raucedo
σταφυλή
ἀντιάδας
παρίσθμια

nomine dicta sint. Circa essentiam uero catarrhi oportet quinque uidere primum quid sit catarrhus, & quæ sit sua definitio, secundo distinctiones uidendæ sunt, & quomodo per loca, & per materias, & causas efficientes distinguũtur tertio cur potissime in cerebro generetur, non in alia parte, quarto quomodo concoquitur, & qui crudus dicatur, qui concoctus, & quomodo concoquatur, quinto an sit uerum dictum Hippocr. Qui corripiuntur à catarrho hi non sunt lienosi, & si uerum sit utrum causa sit ea, quam Galenus in commento illius Aphor. assignauit, an potius causa ab Auic. assignata, an uero neutra sit uera, & tertia quærenda magis consona rationi, ista sunt pertractanda circa considerationem catarrhi, Quantum ad primum attinet, circa speculationem definitionis constat apud omnes catarrhum, esse fluxionem alicuius humoris à cerebro ad subiectas partes, in qua diffinitione habemus hanc fluxionem, & quia definitio debet dari per notiora, cum illa sit, quæ explicet definitum, frustra catarrhum fluxionem dicerent, nisi scirent quid esset fluxio, & forte hæc uox fluxio ignota est magis, quàm sit catarrhus ideo definitio hæc melius debet explicari, ut habeamus definitionem rectam fluxionis, & hoc eò libentius faciam, quia ex recta definitione, & declaratione fluxionum plurima utilia habebitis ad omnem medicinam, circa igitur istam fluxionem est uidendum primo quid sit fluxio, & definire eam, quia cognitio, & tractatus debet esse & incipere à definitione, quia ex conceptu recte cognito definitionis habebimus cognitionem omnium passionum, quia defi=

definitio ſubiecti non paßionis eſt medium in omni demon ſtratione, ideo bene dicebat Galenus noſtram cognitionem incipere à recta cognitione rei, ſecundo uidendum eſt cur, & quomodo fiat fluxio, tertio quas cauſas habeat tam materiales, quàm efficientes quarto quo terminetur unaquæque fluxio naturaliter, & neceſſario, quinto utrũ in fluxione locus ſit affectus ille, unde incipit fluxio, an ubi deſinit, ſexto oportet uidere utrum unde incipit fluere materia ſit neceſſarium quod ibi adſit aliquid præter naturam in eo ſcilicet membro, puta aliqua intemperies, aut affectus alius, an uero poßit fluere ſine membri illius affectu aliquo, ideo utrum non fluente amplius humore dum fluxus ſit in aliqua parte humor, an ſit ſub fluxionum genere ponendus, Quantum attinet ad definitionem fluxionum, ne erretis in æquiuoco nos uocamus fluxionem, quod Græci Rheuma, nos autem intelligimus, de ea, quæ eſt præter naturam prorſus, & ſub hoc conceptu definiendo dicimus, fluxionem eſſe expulſionem præter naturam alicuius excrementi de uno membro ad aliud, & tota natura explicata eſt in eo conceptu, & quia diximus, fluxionem eſſe expulſionem, circa hoc genus debetis ſcire nos dicere expulſionem præter naturam, quia non omnis eſt præter naturam, quia cum uentriculus expellit excrementa ſua ad inteſtina, & hepar ſpumoſam illam partem ſanguinis ad chyſtim fellis, & ſeroſam humiditatem ad renes non dicitur fluxio, nulla ergo expulſio naturalis membri ſui excrementi dicitur fluxio, bene ergo, eſt additum expulſio præter naturam quomodo ergo co=

gnoscemus expulsionem præter naturam ab ea, quæ est secundum naturam? Debetis scire expulsionem præter naturam in quatuor consistere, & oportet ut alteram habeat istarum quatuor conditionum, uel duas, uel plures, aut omnes, primo quod id quod expellitur habeat quantitatem non conuenientem naturali quantitati, uel qualitatem non conuenientem tertio in tempore non debito, quarto uel per loca non conuenientia materiæ expellatur, ubi ergo hæc omnia, uel plura, uel unum affuerit, sufficiet, ut expulsio sit præter naturam & de genere fluxionum, si enim omnia adsint secundum naturam, & in hac sit peccatum, quod expellatur plus, quàm expelli debeat, erit fluxio, puta uentriculus expellit superfluitates ad intestina, si expellit plus quàm debeat, ut in quantitate sit peccatum, erit fluxio, licet omnia alia sint secundum naturam, quia exeedit quantitas mensuram sanitatis, & dicitur fluxio, quia habet unam conditionem requisitam, & quod de uentriculo diximus idem de renibus, & capite dicatis, si enim saliua ab ore, & mucus ab ipsis naribus conueniens expellatur, non erit fluxio, sed ubi excedit in quantitate erit fluxio, secunda conditio est, quod si peccet qualitate tantum, erit fluxio, exempli gratia si ad intestina biliosus humor, uel pituitosus expellatur nimiũ acris, uel mordax erodens, & habeat qualitatem non naturalem ista expulsio dicetur fluxio, & erit præter naturam, tertia conditio si fiat non suo debito tempore, ut si habeat, quis fluxum, etiam quod parum, uel nihil egerat, sed continue expellat & habeat irritamentum, ap=

appellatur fluxio, ut in tenasmo, etiamsi nihil egeratur, quia in temporibus non debitis egeritur, dicitur fluxio, quarta quod non euacuatur per loca conuenientia, & si nec quantitate, nec qualitate, nec tempore peccet, sed mutatur locus debitus, exempli gratia, si tantilla lachrimula per oculum defluat, quæ ad nares deberet expelli, erit fluxio, quia locus mutatur, nec factus est à natura, ut expellantur inde excrementa cerebri igitur sufficit quælibet istarum conditionum, ut sit præter naturam fluxio, si postea duæ, uel tres conueniant, uel omnes non tantum fluxio præter naturam erit, sed deterrima, & quanto plures habebit, tam deterior erit, & ita uidebitis, quomodo recte in definitione fluxionis posuimus, expulsionem præter naturam excrementi, scilicet quia & si uentriculus expellat chylum naturaliter dispositum ad uenas meseraicas, dicitur expulsio excrementi, quia excrementum est ratione uentriculi, Ideo debet fieri expulsio alicuius excrementi, reliqua clara sunt. Secundum caput circa fluxionem erat, ut uideremus, quomodo, & cur fiat fluxio, & hoc sciatis oportet supponere quod Galenus in tertio de Facultatibus naturalibus, & in secundo de diff. feb. & in sexto de tuen. san. & de inæquali intemperie, & in de plenitudine recensuit, quod in omni membro sunt quatuor uirtutes attrahens, continens, concoquens, & expellens quod excrementitium est, membrũ habens istas facultates, si secundũ naturam se habuerit, expellet per loca conuenientia, uel ad cutim, uel ad aluum, aut per urinam, & si cerebrum fuerit per palatum,

2 quomodo et cur fiat fluxio.

tum, per nares, ita quod cum attrahit, ut debet, concoquit, ut debet, expellit, ut oportet à natura habet propria loca ad quæ expellat, ubi uero contigerit aliquid præter naturam, uel in membro, uel alimento, ita quod alimentum quod offertur sit in qualitate peccans, uel membrum affectum, ut excrementa ita multiplicentur in eo, ut per uasa, & meatus proprios non poßit sua excrementa expellere ad uiciniores partes, & imbecilliores transmittit, quia ita à natura factum est, ut pars fortior ad imbecillem expellat, & omne agens agit in imbecillum, cum omnis actio proueniat à proportione maioris inæqualitatis, & attrahens à debili attrahit, Vbi igitur ita fuerit affectum, ut non poßit per loca conuenientia expellere ad subiectum, membrum expellit illud ad aliud, nec deficit expulsio, quousque ad maxime debilem partem descenderit fluxio, & hoc fiet, ubi excrementũ bene dominatur à natura expellente, & omnia in corpore sunt, secundum naturam, tunc enim non cessabit, quousque ad debilißimum deuenerit, si uerum est quod fortior pars ad imbecillam expellat, donec ergo in corpore non erit pars imbecilla, nisi quatenus requiritur quod sit imbecilla, fiet expulsio talis, imbecillißimæ enim partes sunt illæ, quæ recipiunt excrementa, & duæ sunt in corpore, Cutis, ut inquit Gal. in sexto de tuen. san. quæ uilißima est, & tanquam tegumentum, ideo recipit omnia excrementa, sunt etiam adenes in omnibus emunctorijs, istæ partes recipiunt excrementa omnia, quando corpus se habet secundum naturam, Ideo cum corpus uel mem=

Due partes imbecillissime Cutis.

Adenes

membrum eſt rheumatizans expellet ad has tanquam ad debiliores partes, & diuerſos affectus generabit, Si tenuis humor fuerit, & in ſuperficie pruritum faciet, Si craßior ſcabiem, Si aduſtus morpheas, uitiligines, lichenes, Si aduſtus magis erit, generabit affectum illum, quem Græci lepram uocant, ſi adhuc magis aduſtus elephantias ingenerabit, Si uero pituitoſi, & craßiores humores occupabunt adenes, & carnes glanduloſas, quia recipiunt ſemper excrementa pituitoſa craßiora, nec ceſſat expulſio, quouſque aduenerit ad illas, quia laxæ ſunt, Ideo ſtrumæ ſcruphæ, natæ, qualis eſt illa ſocij neceſſario generantur, quæ à materia craſſa uiſcida, lenta fiunt, & adenoſas partes occupant, Si uero aliquod membrum imbecillum magis fuerit interius, uel propter ægritudinem, uel propter aliquid extrinſecus adueniens, ut ex uulnere, percußione, uel quia ſe expoſuerit frigori, & partem aliquam debilem fecerit, & incipiat fluxio deuenire ad locum illum, tunc ſiſtitur humor ibi, & fit uel inflammatio, aut abſceſſus ſecundum naturam humoris, ut quandoque & cor afficiatur, licet ualidißimum ſit, & inflammetur, cum ob triſtitiam, uel iracundiam, aut propter reſolutionem ſpirituum imbecillum effectum eſt, decurrente enim fluxione ad ipſum inflammatur, quia ita factum fuit imbecille, & ita uidetis, quomodo decumbunt in diuerſas partes excrementa, & fiunt diuerſa genera affectuum, Et ſic habetis, quod cum corpus ſe habeat ſecundum naturam flu=

Struma
Sruphæ

fluxio ad cutim, uel ad adenas descendit, si fuerit affe=ctum membrum non amplius ad glandulas, uel ad cu=tim, sed ad imbecillam partem transit, quæ cum sit af=fecta, non potest à se expellere, ideo cedit illi expul=sioni, & ægrotat, & fit inflammatio, aut abscessus, uel aliquis alius tumor præter naturam, Si uerò non fuerit imbecillitas in corpore, sed humor plurimus in toto, & uirtus expulsiua expellat, sed non contingit ra tione multitudinis fiunt febres periodicæ, & cum in ue=nis, uel bilis, uel pituita, aut humor melancholicus fue=rit, & natura quærat expellere, & fit expulsio in to=tum, & cum non expellat ad cutim necessarium est, ut ibi decumbat, putrescat, & fiat febris, & habet perio=dos secundum naturam humoris, & tertianæ, & quar=tanæ, & quotidianæ fiunt pro natura humoris, Et ita uidetis qui recte cognoscunt fluxionem ueluti in tabella cognoscunt ægritudines omnes à fluxu dependentes, & causas febrium, & inflammationum cognoscunt, & me=lius intelligunt librum secundum de crisi, & secundum de diff. feb. in fine, & libellum de inæquali intemperie, Et ista satis sint dicta, quomodo, & cur fiant fluxiones, quod erat secũdum caput, Tertium caput erat, ut sciremus cau sas efficientes, & materiales affluxus, Quò ad efficien=tes scire debetis duas esse causas, ut inquit Galenus deci=motertio Meth. ubi de causis inflammationum loquitur, & adhuc lucidius in secundo de diff. febrium, ubi loqui=tur de causis periodorum, una se habet ex parte membri mandantis, alia ex parte recipientis causa, quæ se tenet ex

par=

parte mandantis contingit, uel quia membrum mandans non habet in propria natura, aliquid præter naturam, ſed ad illud defertur alimentum incommodum ſibi, peccans uel nimia craßitie, uel mala qualitate, Ideo non bene conuertit ipſum, ſed aggregat ſuperfluitates membrorum, & tunc natura grauata illa molle impellit ad imbecilliores partes, & iſta eſt una ex cauſis, uidelicet cum membrum nihil in ſe patitur, ſed aliunde uenit nocumentum, quo fit, ut plus excrementi aggreget, uel eſt in membro nocumentum, puta mala qualitas, uel mala temperies, uel mala compoſitio ratione cuius non bene conficit alimentum etiam ſi ſit conueniens, & propterea cum ſit debile, & affectum recipit excrementa uicinorum, et ideo tùm quia non bene conficit ſuum alimentum, tùm quia recipit excrementa aliorum, cum iam aggrauatum eſt, expellit à ſe, & ſic uitium non eſt in alimento, ſed in membro, & ita ratione membri mandantis fit dupliciter, uel quia defertur alimentum non conueniens, uel quia eſt affectum aliqua re præter naturali, & his rationibus membrum mandans, patitur influxionem, uel fit ratione membri recipientis, Membrum autem recipiens propter duas cauſas eſt cauſa fluxionis, uel quia in illo eſt calor præter naturam attrahens, quod non deberet, ut cum cerebrum eſt ſuper calefactum in Sole dat occaſionem fluxionis, quia materiæ multæ attrahuntur ad locum, quia calidi eſt attrahere, & omnino incipit à recipiente, Alia cauſa eſt dolor, uel ex percußione, aut caſu, quia attrahit dolor, & ita cauſa defluxus eſt in

Mandans Membrum

Membrum Recipiens

Causæ Materiales tot q̄ humores

in membro recipiente. Et iam habuistis causas efficientes defluxus duas esse. Quantum attinet ad causas materiales tot sunt, quot materiæ & humores generantur in corpore, ubi humor et sanguis in corpore fuerit peccans quantitate fit expulsio, ut patet in fluxu hemorrhoidum, menstruorum, sanguinis narium, & in fluxu sanguinis per uenarum apertionem pulmonis, thoracis, uentriculi, & cum membrum mutilatum est expellitur sine dolore, & nocumento, ita quod licet membrum euacuet humorem conuenientem si peccat quantitate est causa, & si sanguis est causa, quanto magis alij humores, qui non solum quantitate, sed etiam qualitate peccant, ut bilis, pituita, melancholia, cum ad cutim mouentur, & ad partes inferiores, & in eadem die decumbit, & in adenibus, & in cute, ut in petechijs apparet, in quibus expellitur materia mala ad cutim, & aliquando frustrata, siue materiæ sint nominatæ, siue innominatæ ortæ ex putredine, quæ infinitæ sunt, ut inquit Gal. tertio de Facul. nat. quia dixerat Praxagoras humores esse tresdecim, dicit ipse, si eos uelles enumerare, qui oriuntur ex putredine innumerabiles essent, quia tot oriuntur peruersa uenena, ut habetur ex sexto de locis affectis, ut numerari non poßint, hæ omnes sunt causæ materiales. Quartum caput est, ut uideamus, qui terminus sit fluxionis. Termini fluxionis sunt duo, prout potest iste uarius motus uel fluxio uincere naturam, uel natura fluxionem à quacunque parte deuenientem, uel ad quamcunque defluentem, si fluxio uicerit naturam,

4. Termini fluxionis Duo

ram, & temperiem membri, contingit uel caloris ſuffocatio, & fiunt cancrenæ, ſphaceli, ſiue achachili, ut dicunt Moderni, & ita corripitur, & mortificatur membrum ob ſuffocationem caloris, uel contingit labefactatio, & arefactatio, & cum ad pectus deſcendit fluxio, ſiue phthiſi, & ulcere pulmonis, ob longum defluxum tabeſcunt aliquando propter deſcenſum ad iſchiam conſumptio cauſatur, & cauſam horum omnium reddemus, Si igitur natura uicta fuerit, ſuffocationes, tabes, morteſq́; tandem ſequuntur, ſi uero natura uincit humorem, ſequitur humoris concoctio, Sed quomodo concoquatur, uidebitis facta concoctione, uel difflatur per halitum, uel ſuppuratur, uel expellitur per uaſa conuenientia, ut cum materia faciens fluxum per criſim, per urinas, per ſeceſſum, per ſudorem expellit, & ſic per partes ſenſibiles, uel inſenſibiles fit expulſio, uel non fit expulſio, ſed ſuppuratur, quia materia craſſa ſit, uel natura imbecillis, aut propter imperitiam Medici, hoc melius eſt, quàm corrumpatur membrum, uel tranſit in duritiem, uel ſcyrrhum, Et tunc non moritur, nec liberatur, & hoc contingit etiam propter incuriam Medici imperiti, Iſti ſunt termini fluxionis. Et ita uel in bonum terminatur, cum natura uincit, uel ad malum, cum natura uincitur. Quintum

~~Tertium~~ caput eſt, utrum affectus ſit in loco, unde incipit fluxio, an ubi terminatur? Iam patet ex definitione fluxionis, quod eſt expulſio excrementi de

de uno membro ad aliud, relinquitur necessario, ut duo membra requirantur, mandans scilicet & recipiens, quæritur modo an morbus sit in mandante, uel in recipiente, hoc multum refert scire, quia sunt quæstiones facientes ad praxim, quia nisi scieritis, ubi sit morbus, non poteritis curare ipsum, quia morbus est ille, à quo tanquam à carcere incipit cursus, Ideo ubi præsentialiter inueniatur morbus, quærendum est enim quod uidetur ubi incipit fluxio, ibi sit, quia aut membrum se habens secundum naturam propria loca habet, siue sensibilia, siue insensibilia, per quæ excrementa euacuantur, sed ubi aggregata sunt, & peccant quantitate, & qualitate, debent expelli: Ideo omne membrum, unde incipit fluxio, uidetur affectum, membrum autem recipiens patitur totam fluxionem, igitur uidetur quod sit in recipiente. Respondeo igitur ad quæsitum, & dico, quod in membro recipiente, ubi est fluxio, non autem in loco ubi incipit fluxio est affectus, & ratio est, quia licet fluxio incipiat in membro mandante expellit, quod est illi superfluum, & tunc subleuatur, & suas operationes exercet, & nullum aliud habet nocumentum, nisi quod abundat excrementis, quæ si expellit, non indiget medico curante, sed præseruante, sed locus in quo recipitur ille afficitur, quia cum non transmittantur excrementa ad illud, ibi congregantur, & necessario ægrotat, uel inflammatione, aut tumore aliquo præter naturã, uel caliditate aut frigiditate uel soluitur continuũ, si humor acris, et mordax sit, ideo

ne-

necessario locus in quo terminatur fluxio, ægrotat aliquo genere ægritudinum, siue in compositione sit, ut tumor præter naturam, uel mala temperatura, & si non cessat, uel intercipiatur à medico, aut à natura deuenit ad gangrenas, & sphacelismos, ob caloris suffocationem à multitudine materiæ fluentis, ægrotat ergo membrum recipiens, non mandans, neque uellem, ut crederetis hoc esse meum machinamentum, sed Gal. est author in secundo ad Glauc. de causis inflammationum, ubi inquit, fluxio si respiciatur, ut fluit à mandante est causa, si ut recipitur in membro affecto est dispositio, dicimus igitur in loco ubi recipitur fluxio, ibi esse affectionem, & inde incipere curandi indicationes, membrum autem recipiens, in quo est ægritudo dupliciter potest recipere nocumentum, uno modo potest in se recipere, & nullam aliam præter naturalem dispositionem in se habere, nisi quod recipit fluxionem, ut si fluxio in uentriculo descendat à capite potest uentriculus nullo genere esse affectus sed laborare tantum, quoniam transmittitur ad illum, quod non deberet transmitti, & ægrotat, ut si remoueretur fluxus, sanus esset, & dicitur morbus per consensum, non per essentiam, & cum hoc cognoscetis, habebitis ansam maximam ad curationem, & iste est unus modus, quo ægrotat membrum recipiens, alio modo contingit hoc quia habet aliam causam ægritudinis, puta intemperiem, uel malam compositionem præter fluxionem, ut si frigidus fuerit uentriculus, nec concoquat, ut oportet, non expellit, ut oportet, non exercet suas operationes, si in tali uentriculo accidat fluxio

Membrum Recipiens dupliciter recipit

Vno modo per Consensum.

Alio modo per se.

dupliciter ægrotabit tùm propter propriũ affectum, tùm propter fluxionem, & ita duplicem morbum habebit, & casus difficillimus erit, & dicebat Gal. sexto de Tuend. san. deterior erit longe si membrum recipiens fuerit affectum contraria affectione fluxionis, ut si fuerit calidæ cõplexionis, & recipiat in capite fluxionem frigidam, & humidam & ideo est, quia cum uultis concoquere materiam frigidam procedetis cum calidis, siccis incidentibus, & contemperantibus frigiditatem, & tunc primæ ægritudini nocetis, quia augetis caliditatem, & facitis plures uapores ascendere ad caput, & augetur catarrhus, facitis ipsum craßiorem, & crudiorem, & magis pertinacẽ ad expulsionem, igitur cum estis inter duo extrema, cura difficilis est, quam oportet medicum considerare, & ita uidetis, quomodo locus affectus sit, in quo recipitur fluxio, potest bene contingere, ut membrum mandans habeat ægritudinem & affectum mala temperie, uel mala compositione, sed non est necessarium, & ex his patet solutio ad sextum quæsitum utrum membrum mandans necessario debeat esse affectum, ex quo est reumatizans, Respondemus quod non, immo ut Gal. in secundo de diff. feb. inquit posito exemplo de destillatione à capite, quòd potest fluere ad partes inferiores fluxio à capite nulla affectione affecto, sed aliunde ad ipsum deuenerit fluxio, quia malum defertur nutrimentum, & non potest recte conficere, multiplicantur excrementa, quæ cum nõ poßint per propria emunctoria expelli, sed per alia loca cogũtur expelli, ideo non ratione proprij affectus, sed ratione mali nutrimẽ

ti à

Nota

6

Solutio

ti à capite descendit fluxio, nunq̃ tamen fieri potest fluxio à membro mandãte, nisi uitium fuerit in corpore, cacochymia scilicet & deprauati humores in uenis, ratione cuius nutrimentum delatum membro parato suscipere excrementa non potest confici, ideo medici cum occurrunt fluxioni non tantum ut considerent duo extrema membrum .s. mandans, & recipiens, sed oportet ut tertium considerent, uidere. s. an sit in corpore cacochymia, sciantq́; an membrum mandans non solum uitio sui mandet excrementa præter naturam, sed quia ipsi demandantur excrementa à toto, habemus ergo quid sexto quæsito sit respondendum. Erat ultimum caput circa cõsiderationem fluxionis nunquid dispositio alicuius membri affecti in quo sit materia aggregata multa fluxibilis, cum non fluit, an sit collocanda sub genere fluxionum, uidetur quod non, quia definitio fluxionis est, quod sit expulsio excrementi alicuius de uno membro ad aliud, & cum nihil expellatur non est fluxio, dico nullam ægritudinem dari, quæ materialis sit à redundantia materiæ, quæ non generetur à fluxione, et notetis quomodo, nam licet aliquando membrum primogenio patiatur, quia in ipso sit intemperies frigida ratione, cuius alimentum ad se delatum non posit conficere, cruditates fiunt, aggregantur excrementa, & in successu dum ita aggregantur materiæ pituitosæ, licet nõ ægrotet nũc, non potest reddi membrum imbecille, & aggregare excrementa ratione imbecillitatis, quin recipiat excrementa aliorum membrorum, quia semper ualidius membrum ad uicina imbecilla transmittit, igitur cum sit imbecille recipit

excrementa uicinorum, & cum habeat multa excrementa aggregata, & non poßit expellere illa, & cum ibi non poßit redere oportet, ut expellantur ſaltem hoc nomine, quod non poßit ſuſtinere illa, ideo nunq̃ membrum patitur per redundantiam materiæ, quin recipiat ab alijs excrementa, & fit reciproca fluxio & medici exercentes praxim, qui uident hoc, ſi habent præ manibus corpus, cuius caput ſit repletum materia pituitoſa ut patiatur epilepſiam, uertiginem in his nō autem fluxio, nec catarrhus appellatur, tamen in illis ſemper uidetis oculos, aures, nares, palatum ita affectos, ut oculus non recte uideat, non ſentiant, nec recte odorent, plenum pituita palatum, ut non poßit fieri quin caput ſit repletum, & ab eo non emanet aliquid, & ubi ingeſſerit aliquid præter rationem, excrementa inferiorum membrorum demandantur ad imbecilla membra, ideo euacuati debet corpus totum, ne excrementa membrorum inferiorum ad caput tranſmittantur, & recta ratio uictus inſtituatur, ne uapores aſcendant, ideo non poteſt eſſe redundantia in capite, quin patiatur defluxum, & ita habetis illa ſeptem capita conſiderata, & ſi uerum eſt, quod fluxio ſit genus ad catarrhum, ſcitis quod, quæ competunt generi competunt ſuæ ſpeciei, cum ergo catarrhus ſit ſpecies fluxionis, uidetis quam anſam habetis ad cognoſcendum catarrhum, ſi ſcitis igitur quid ſit fluxio, ſcitis etiam quid ſit catarrhus. Eſt enim catarrhus fluxio à cerebro emanans ad partes ſubiectas, et ita uidetis, quid coarctet genus per hoc quod dicimus à cerebro ad partes ſubiectas, quia caput ſupremum eſt ad alia

lia membra, ista est defenitio, sunt modo considerandæ differentiæ, & quantum sit ratione huius definitionis catarrhus semp est uerus modo sit fluxio descendens ad partes subiectas, oportet modo uidere omnes distinctiones catarrhi, quibus competit tota definitio diximus in superioribus quinque esse uidenda circa essentiam catarrhi primo quid esset catarrhus, & hoc uidimus, & quid esset suum genus, secundo quomodo, & per quæ distingueretur tertio cur potissime generetur in cerebro, uel capite, quarto ut uideremus, & discuteremus quomodo concoquatur, et quæ sit concoctio, quinto ut uideremus, utrum Aphor. ille Hippoc. catarrho uel destillatione occupati omnino tenentur spleneticis morbis, an sit uerus, & an causa reddita à Gal. in commento sit uera, an ratio Auic. sit præferenda, uel neutra sit uera; post definitionem igitur catarrhi uideamus, quomodo & per quæ distinguatur, Dico uobis à tribus distinctionem sumendam esse, à locis à materiebus, à causis efficientibus. primo loca consideremus, Ego non permanebo in eo quod diximus tres esse species catarrhi, una cum ad nares deuenit destillatio, quam coryzam Græci, Latini grauedinem uocant, secunda cum ad fauces et dicitur branchus, tertia cum ad pectus descēdit, & huic nomen generis tribuitur ideo faciunt illos uersus Moderni, si fluit ad pectus dicatur rheuma catarrhus. Ad fauces branchus, ad nares dico coryzam, non enim maior ratio est præter authoritatem Gal. in sexto de causis symptomatum in fine, qui plura genera ponit, q̃ ista tria quare debeamus potius appellare catarrhum, cū ad fauces, pectus, na-

2 Quomodo et per quae distinguatur Catarrhus.

Si fluit ad pectus dicatur Reuma Catarrhus. Ad fauces Branchus, ad nares dico Corizam

nares, q̃ cum ad oculos pedes, tibias, modo descendat à capite, dico uobis, quod semper sunt catarrhi, ubi descendat à capite ad inferiores partes, sed iam dicamus, quæ sint illa loca, quæ occupantur, & quia catarrhus potest deuenire ad partes diuersas non debeo ego distinguere si ad pedes descendit sit talis species, si ad genua, si ad manus talis, quia traderem uobis doctrinam confusam, ideo oportet tradere doctrinam per methodum, ut fontes habeatis, à quibus sumere ualeatis omnes distinctiones Hipp. in lib. de glandulis methodum tradidit, quam possumus eligere, ubi de omni catarrho descendente à capite ad inferiora loquens ad septem fontes reduxit, & inquit, omnis catarrhus potest descendere per septem uias, & meatus, uel per oculos, uel per aures, per nares, per palatum, uel per utrunque uentriculum inferiorem, appellat duos uentres inferiores, thoracem, & uentriculum, uel per uenas, & arterias, uel per uertebras, & neruos, istæ sunt septem uiæ per quas necessario transit catarrhus cum à capite descēdit, nec possunt esse plures, nec pauciores, si autem breuiorem uiam uellemus, illam possemus eligere, & sic dicere, omnis catarrhus descendit à cerebro, uel per propria foramina, uel per uias amplas, uel per neruos, uel per uenas, si per propria foramina sunt illa quatuor Hippoc. & ex Anathome uidistis, foramina quæ ad oculos, ad aures, palatum, & ad nares deueniunt, ubi ergo cerebrũ suos defluxus per foramina propria destillat, hoc erit unum caput, cum per communes, & uias latas descenderit hoc est per duos cannales amplos, uel per alterum illorũ

idest

Hipp: omnem catarrhum descendentem ad 7 fontes reduxit

Montani Distinctio in 4 locos.

Per propria foramina 4.

Per uias latas et Communes

idest per cannalem arteriæ asperæ, uel per æsophagum, & per unum ad pectus per alterum ad uentriculum descenderit hoc erit secundum caput, uel per uenas, & quod dico de uenis idem intelligatis de arterijs, quia scitis plures uenas, & arterias ascendere ad caput, quartus est descensus catarrhi p neruos, ita quod transit per uertebras colli, & dorsi, & ad partes inferiores descendit, & secũdum diuersas uias facit diuersa accidentia, & diuersas ægritudines immo omnes ægritudines ab hac tantum causa possunt fieri non dico, quod fiant, sed quod possunt fieri à catarrho, licet etiam ab alijs causis fiant, si igitur materia destillans à capite ad oculos descenderit, facit omnia inflãmationis genera de quibus in secundo de diff. feb. lippitudines, suffusiones, pterigia, lepras, & alia omnia si ad aures inflammationes aurium faciet solutionem continui, dolores ab intemperie, surditates, ubi ad nares præter catarrhum, quem coryzã appellant, polypos, cancros, si ad palatum multa ægritudinum genera generabit, si ad fauces raucedinem, anginas, scrophas, & alia genera multa, sufficit nobis pro exemplo, quomodo secundum q. uaria loca occupat, uarias faciat dispositiones, licet ab una tantum fiant, cum hæc omnia cõtingere possint, si per propria foramina descenderit, si uero per æsophagum, uel p asperam arteriam ad pulmonem tales phtisim, peripneumoniam, asthmatis omnes species, & tandem omnes ægritudines pulmonis, si ad musculos pectoris, & ad membranam succingentem costas empymata, & pleuritides fiunt, si per alium cannalem ad uentriculum descendat, & occu

pat ipſum, nauſeas, priuationes appetitus, priuationes cō coctionis, ex maxima permiſtione pituitæ cum cibis diarrhæas fluxus, ſi ad inteſtina gracilia per obſtructiones ileum faciet, ſi in craſſa decubuerit inteſtina colicum dolorem & genera alia diarhææ, ſi in inteſtino craßo fiunt tenaſmones, ragadias ſi uero tranſiet non per cānales amplos, ſed per uenas, & arterias, ubi deuenerit ad cor ueras lipothymias, tremores cordis, & homines timidos facit ſine ſpe, refrigeratur corpus, craßiores, & frigidiores facit ſpiritus, ſi per uenas deſtillatio multa diſtillauerit, & ad hepar tranſiuerit, & ipſum infecerit Anaſarcham, & omnes ſpecies hydropis facit, ſi p neruos deſcendit paralyſin, ſpaſmos, tremores, & omnes ægritudines neruorum faciet, ideo non fruſtra pollicitus ſum ex catarrho omnia genera affectionum oſtendere, cum ad coxendicis iuncturas tranſit iſchiam facit. Hic unum aduertere debetis, quod ex omnibus deſtillationibus iſtis ſi fiat p foramina propria corpori toti non magnum inferent malum, ſi.n. ad oculum deſcēdit poterit deperdi uiſio ſi ad aures poterit ſurditatem cauſare, nō tamen eſt neceſſarium, de naribus, & palato idem dicendum eſt, & ita poterit ſequi amißio actionis illius membri, non tamē toti corpori magnū malum inferet, ſed ubi p cannales ad uentriculum, uel per aſperam arteriam deſcenderit, neceſſario iſti tabeſcunt, ſimiliter ſi per uenas, & ratio eſt, quia ſi ad uentriculum tranſierit fiunt cruditates, & obſtructiones, & cibus non concoquitur, ſecundo non diſtribuitur, quia cum crudus ſit, uenas obſtruit meſeraicas, & ſi diſtribuitur nō

eſt

Per Venas et Arterias.

Per Nervos

Nota.

est bonum nutrimentum, quia secunda concoctio nō corrigit primam, Ideo tabescit corpus propter defectum nutritionis, si ad pulmonem tabescit pulmo, quia pulmonis substantia uiolatur, inducuntur ulcera in ipso, & facile quia putrescibile, laxumq; membrum est, secundo quia refrigeratur substantia pulmonis, & transmittit aerem refrigeratum nimis cum malis uaporibus ad cor, quia humore distillato putrescente, aer attractus habet illas malas qualitates humoris, & contingit illis, sicut contingit illis, qui attrahunt aerem corruptum, corrumpunt spiritus cordis, quia non nutriuntur à puro aere, putrescitq; calor innatus, & corpus tabescit, & ita uidetis, quantū sit malum, si descenderit distillatio ad pulmonem, si ad uenas pessimum est, quia sanguis refrigeratur, & hepar, et corpus cruditatibus repletur, Ideo uel tabescit, uel in hydropem transit, si per neruos ultra hoc quod locus inficitur, & refrigeratur non attrahit, quia non habet calorē, Ideo nec nutriuntur tales, & tabescunt secundo quia cum per neruos transierit destillatio, fiunt dolores, ex doloribus uigiliæ, dolores autem prosternunt uirtutem, quia ex maxime prosternentibus uirtutem est dolor, & fœtor, Vigilia autem arescunt, & tabescunt tandem, Et ideo uos habetis, cur tabescant, cum per illas tres uias transierit destillatio. ista sunt quæ mihi dicenda uidebantur de differentijs catarrhi, quæ per loca sumuntur, Restat modo ut uideamus, quomodo distinguantur per materiam, Dico uobis, quod distinguuntur per tot materias, quot generari possunt in corpore, de poßibilitate loquor, Ideo à sangui-

guine bile, pituita, melancholia fieri poterit catarrhus, quia tot sunt materiæ, quæ generantur in corpore. Dicimus igitur omnem materiam posse facere destillationē, si sub communißimo conceptu omne quod distillat à capite appellabimus destillationem, Sanguis etiam potest esse materia destillationis, Et nos uidimus multos, à quibus sanguis destillabatur à capite ad palatum, ad pulmonem, ad uentriculum, ut difficillime uulgares decernant, an à capite, uel thorace distillet, bilis etiam syncera potest esse materia, ut uideamus quandoque per nares emungi humorem ita flauum, ut quasi syncera bilis sit, sed si proprie loqui uolumus, sicut Antiqui destillationem sumpserunt, nō dicimus alium humorem destillationem facere, nisi solam pituitam, sed aduertatis, quia nec sanguis, nec bilis cum syncera emanat (licet raró) propriè dicitur catarrhus, ut proprie intelligamus catarrhum, pituita igitur semper est materia catarrhi propriè sumpti, uerum pituita non uniformis est in primis qualitatibus, quia aliquando frigidißima est exquisite, aliquando caliditatis particeps, nec in substantia, quia aliquando tenuißima, aliquando crassa est, præter ea non solum distinguitur penès tenuitatem, & craßitiem, caliditatem, & frigiditatem, sed penes saporem, quia quædam acida est, quædam insipida, quædam salsa, licet communiter omnes istæ materiæ in genere sint pituitæ. Causa autem diuersitatis pituitarum sumitur penes substantiam diuersam uaporum, Vbi enim uapores calidi fuerint, & cerebrum calidum siue naturaliter, siue aduentitie illa erit tenuis pituita, quia à frigiditate

tate non fuit condenſata, præterea acris fiet, ſi uapores bi liosi fuerint, ſalſa autem, ſi propter caliditatem hepatis pu treſcat, et adurentem partes tenuiores, ut ſit in mari pro pter caliditatem adurentem partes tenuiores, & ita pi= tuita, quæ eſt materia catarrhi in caliditate, frigiditate, tenuitate, & craßitudine, & in ſaporibus ſecundum di= uerſitatem temporum facientium pituitam diuerſificatur, nec eſt mirum, quod ſi perpetuo materia catarrhi ſit, ſi conſideramus membrum recipiens uapores, & generans catarrhos, quia frigidum eſt, & humidum, oportet etiã, ut ſua excrementa talia ſint, qualis eſt temperatura, ideo excrementa pituitoſa fiunt, quia ſemper ubi frigiditas eſt in membro humiditati etiam coniuncta facit pituitam, ſe= cundo de Temperam. Cum igitur cerebrum ſit naturali= ter frigidum, & humidum, non eſt mirum, ſi pituitam ge neret, & uapores aſcendentes ad ipſum in humorem ta= lem conuertantur, & fiant diuerſæ ſecundum diuerſita= tem temperaturarum, ſi ad exceſſum frigiditatis labetur, fiet frigida ualde, & acida, quandoque propter longam moram, & propter putredinem humorum, Et ita habe= tis rationem, quare fiant diuerſæ materiæ facientes catar rhum, & quare pituita ſit materia, licet uarietur, Et hæc non fuit mea imaginatio, ſed præter rationes dictas, & præter experientiam, quæ ſenſu & oculis uidetur, pro= bat hoc etiam Plato in Tymeo, & Gal. in 6. de Placitis, Ideo ſi cito Platonem, cito uirum probatum à Gal. inquit Plato, omnium deſtillationum à capite pituita eſt, uel aci= da, aut ſalſa, uel inſipida, & Gal. de Temperamentis, ſe=

num

Acris
Salsa.

num deſtillationem connumerat inter ſeniles, & pituito- ſos morbos, præterea uerſus finem de ſignis frigidioris temperaturæ ait, ubi uidetis redundantes deſtillationes di catis temperaturam frigidam, Et in primo de Tuen. ſan. idem repetit, ubi de his affectionibus quæ oriuntur ex quiete, & motu nimio loquitur, otium, inquit, eſt ex his, quæ multiplicant humorem frigidum, craſſum, pituito- ſum, unde morbi Apoplectici, & deſtillationum omne ge nus fiat. Concludimus ergo materiam omnium deſtilla- tionum eſſe pituitam, licet poßit eſſe diuerſa in caliditate, frigiditate, tenuitate, & craßitudine, & uarijs ſapori- bus, Et in duas habetis diſtinctiones, unam à locis, ſecun- dam à materia. Deeſt tertia, quæ à cauſis efficientibus ſumitur. Cauſæ efficientes catarrhi partim in cerebro, partim in membris inferioribus inueniuntur. Quæ in ce rebro inueniuntur, quæ immediatæ dicuntur proueniunt ob malam temperiem cerebri, calidam, uel frigidam, ſi ca- lida temperatura ſemper eſt cauſa ueluti per accidens, quia de ratione calidi cerebri non eſt multiplicare catar- rhum, ſed contingit hac de cauſa, quia dilatat calidum, & attrahit uapores, non autem ratione cerebri non poten- tis conficere alimentum, uel uapores difflare per halitũ, atque reliqua excrementa difflare, & conficere, Hoc igi tur contingit ratione obiecti, quia longe plures uapores aſcendunt quàm poßit diſtribuere, & conficere, & per halitum digerere, Ideo quia ibi eſt caliditas aduentitia at- trahens dicitur cauſa per accidens, frigiditas uero eſt per ſe cauſa generationis catarrhi, quia ratione eius multi- pli-

plicatur pituita, tùm quia alimentum delatum non poteſt conficere propter frigiditatem, ideo abundat excrementis frigidis propter frigiditatem dico cerebri, uel naturalem, uel aduentitiam, nec poteſt attenuare humores et difflare per halitum, ut ſolent cerebra non affecta, ideo ratione uitiorum in cerebro exiſtentium fit illa deſtillatio, & pituita multiplicatur, quæ facit deſtillationem, uel eſt cauſa efficiens non in cerebro, ſed ab inferioribus membris, quia contingit plerunque, ut uentriculus habeat nimiam caliditatem euaporantem, & propter uapores aſcendentes multiplicetur catarrhus ſine uitio cerebri, & hic dicitur per conſenſum, & hoc ſciri debet, quia multũ facit ad curationem, & dicebat Gal. 3. de locis affectis ubi de cauſis doloris capitis loquitur, ſi temperatura aliqua eſt apta ad replendum caput uaporibus, et humoribus illis eſt, quæ habet hepar & uenas calidas, quia eleuantur uapores, & licet caput ſit ſanum multiplicat tamen pituitam, ratione mandantium, et curatio eſt non occurrere cerebro, ſed rectificare membra, ne mandent; iſtæ ſunt cauſæ efficientes intrinſecæ, quæ diſtinguunt ſpecies catarrhi. deſunt extrinſecæ, quæ, et ipſæ plurimæ ſunt facientes catarrhos, et ſunt omnes res non naturales cum excedunt, et primo aer eſt, et nemini dubium eſt, quòd nihil tàm efficax eſt ad generationem catarrhi, q̃ exceſſus aeris calidioris, et frigidioris, ſi caliditas eſt, generat eam ſpeciem catarrhi, quam Græci coryzam appellant, et eſt ſalſus, acutus, faciens excoriationem, et ideo coryzam uocant ἀπὸ τοῦ κορίζειν, quaſi quod lancinet

Vel ab Inferioribus membris.

Extrinseca Efficientes

Aer

net nares, ſi frigidus reliquæ fiunt ſpecies deſcendentes, et hoc quoad aerem, ſecunda ſunt accidentia animi, quæ maxime poſſunt ad multiplicandos catarrhos, et ratio eſt quia ſi fuerit triſtitia, & metus cauſa efficiens, et calorem innatum ad cor attrahunt, et cerebrum refrigeratur, et corpus, et multiplicantur catarrhi, ſi uerò fuerit ſpes, et gaudium cauſa, ſi ſperauerit, ſi perſeuerauerit, et exceſſerit, quia fit reſolutio per expanſionem ſpirituum, et caloris innati, ſpiritus abſumuntur cerebri et caliditas abſumitur, et fiunt catarrhi, præterea ſomnus, et uigilia, quod ſint cauſa catarrhi patet, quia longæ uigiliæ ſpiritus, et calorem innatum abſumunt et corpus refrigeratur, ſomnus excedens, quia reddit calorem, & ſpiritus imbecilles & frigidiores, ideo cauſatur catarrhus, otium etiam quod faciat ad multiplicandum catarrhum, ex hoc patet, quia obtunditur calor, & ſpiritus, ſicut à motu excitatur, ſed maxime ſomnus meridianus, & ratio eſt, quia ſomnus diurnus nocet per uiam ſigni, & cauſæ, per uiam ſigni, quia ubi quis occupatur à ſomno in die, ſignum eſt cum lux trahat calorem, & ſpiritus à partibus interioribus ad exteriores, ubi occupatur interdiu à ſomno fit uiolentia quædam, quia in hoc corpore eſt cauſa non naturalis faciens hoc, uel nimia repletio, uel frigiditas cerebri, quæ dant occaſionem ſomni non naturalis in horis indebitis, & fit illa antiperiſtaſis, & catalepſis, ideſt detentio caloris naturalis ad partes interiores, Cum ergo ſit quid uiolentum eſt malum ratione ſigni, per uiam cauſæ autẽ, quia natura nihil agit fruſtra, in exercitijs autem diurnis ſpi=

ſpiritus, & calor naturalis in toto tempore diei ambit totam ſuperficiem corporis, excitatur perficitur, attenuatur, concoquitur, & tunc animal uegetum fit, Cum uero dormit, & intercipit motum ſpirituum, & caloris naturalis, facit ipſos torpere, & quia trahuntur interius, fiũt ſpiritus craßiores, lenti, & frigidiores, quia interpellantur à motu proprio, & hinc eſt quod quanto magis homo dormit, fit ſegnis in operationibus quia ſpiritus obtunduntur, & calor uiolenter retinetur, & cum craſſeſcant circa genas oculorum fit tumor, quia ſpiritus cum redduntur tenues craßiores miſti uaporibus adhærent circa cutim, & turgiditas apparet circa membranas, quæ ſunt in genis, quæ denſiores cum ſint, nec poros apertos habeant, aggregantur ibi, & ideo præter alia inditia, inditium eſt calorem, & ſpiritus craſſefactos eſſe, & iſta augent catarrhum, quia cerebrum frigidius ſeipſo faciũt. præter ea inanitio, & repletio, & maxime coitus multus facit, & ideo qui ſubiectus eſt catarrho à coitu caueat, quia uiolenter ſpiritus euacuat, quia propter delectationem exeunt ſpiritus cum ſemine, Cuius ſignum eſt, quod ampullis, & ſpuma eſt plenum, ideo exiccatos habent oculos propter paupertatem ſpirituum cerebri, cũ non poßint deuenire ad oculos, & contrahitur cerebrũ, & aridum fit, & facit quandam leuem epilepſiam, ideo tales ſi nunc non patiuntur catarrhum, patientur in futurum, Quantum etiam cibi, & potus diuerſi faciant ad catarrhum patet ex ebrietatibus, crapulisq; quot eleuentur uapores ad cerebrum, omnes ſciunt, præterea ex mul

to genere ciborum cruditates aggregantur in uentriculo, Et hæc sufficiant quoad destillationes, quæ sumuntur penes loca, penes materiam, & penes causas efficientes tàm intrinsecas, quàm extrinsecas ita lucidissime, ut nihil amplius desiderari posit, & hæc circa secundum caput. Tertium caput propositum erat, cur .s. catarrhus generetur potissime in capite. Nam inter fluxiones omnes, licet uariæ sint, ut quandoque à capite, quandoque à uentriculo, à splene, & à quacunque parte corporis fluant, nihilominus, si bene colligitis Antiquorum dicta omnium, uel maxima pars est in capite, ut ex decem octo oriantur in capite, sed unde sit quod in capite generetur defluxus à Gal. in sexto de Tuen. san. manifestantur causæ huius, partim ab Hip. in libello de glandulis, partim à natura rei, & causæ quatuor assignantur, cur in cerebro fiat, prima est ratione temperaturæ, quoniam cerebrum frigidum, & humidum est, ratione cuius temperaturæ est aptum ad multiplicandum pituitam, quæ est aptissima, immo propria materia catarrhi, secunda causa est laxitas, & raritas membri, Quantum autem sit idonea ad fluxiones faciendas, & accipiendas exemplum glandularum habetis, quæ aptissimæ sunt ratione suæ laxitatis ad recipiendum pituitam, immo semper refertæ sunt pituita, facillime ergo repletur cerebrum à uaporibus delatis ab omni parte propter raritatem suam, quia cerebrum dicebat Hip. est tanquam glandula magna, tertia causa est multitudo, & magnitudo uiarum existentium in cerebro, & hæc sunt partim foramina ampla per quæ commodissime

ſime uapores aſcendunt à partibus inferioribus, partim uaſa quæ interius, & exterius ſunt, uenæ ſcilicet & arteriæ, multitudo ergo, & magnitudo uaſorum, & foraminum, quæ in baſi cranei ſunt, cauſa ſunt, ut uapores plurimi aſcendere poßint, & cum cerebrum aptum ſit ad recipiendum, ideo potißimum in cerebro generatur catarrhus quarta cauſa eſt ipſe ſitus, quia ſituatum eſt in parte ſuperiori, & proprium eſt uaporum aſcendere, & ad cerebrum aſcendunt, tanq̃ ad caminum, & quia laxum eſt, figuntur, & quia frigidum condenſantur, & fit diſtillatio, quia ergo hæ quatuor cauſæ concurrunt, non eſt mirum, ſi cerebrum ſubiectum eſt deſtillationi. Quartũ caput ſumme neceſſarium eſt ad curationem, quomodo fiat concoctio, & unde oriatur talis neceßitas, in catarrho duo ſunt attendenda, locus à quo incipit fluxio, & locus ad quem terminatur ideſt cum deſcendit fluxio ad fauces, ad nares, ad pectus, uel ad uentriculum, Debetis conſiderare locum à quo incipit, & terminum ad quem terminatur. His ſtantibus quæritur quæ ſit concoctio, & quomodo fieri debeat, & nunquid debeamus concoquere catarrhum ut eſt in termino à quo, uel ut eſt in termino ad quem an potius in utroque & ſi utroque, an ſit eadem concoctio, uel diuerſa, nos nunc loquimur de ea concoctione, quam facit natura, non de ea quæ fit ab arte, ideo conſideratio noſtra eſt quomodo natura faciat decoctionem. Si enim cognoſcemus hoc in parte curatiua catarrhi curationem aggrediemur, poſtq̃ cognouerimus quomodo fiat à natura, ita ars imitatrix naturæ, & ab ipſa edocta faciet, de concoctione er-

go à natura facta loquemur, Et dico expectandam esse in
utroque termino concoctionem, sed uaria est sed iam inci
piamus à termino à quo incipit fluxio, Fundamentum pro
batum à Gal. in de Facul. nat. supponere ante omnia debe
tis, estq; perpetuum in omni membro, & in toto corpore,
ut quicquid est excrementi in membro totum expellatur
à uirtute expellente, & quicquid potest reduci ad benignũ
natura reducat separando utile ab inutili. præterea sup=
ponere debetis calorem naturalem dum in propria tẽpe=
rie est agere ut oportet & esse principium omnium re=
rum naturalium & semper dare formam materiæ quæ
continetur in ipso membro. Si de termino à quo lo=
quamur idest de cerebro, ubi sit in cerebro pituitosum
excrementum aggregatum pro destillatione excre=
mentum quidem, cum tale sit per fundamentum suppo=
situm natura quærit eius expulsionem, q̃ celerrime fie=
ri potest, & id, quod rebelle est calori naturali, quærit ex
pellere, quærit enim semper calor dare formam, & orna
tum humori existenti in membro, quatenus fieri poßit, igi
tur cerebrum cum uult excrementum expellere semper
id quod concoctioni rebelle est expellit, & quod aggra=
uat, & quod dico de cerebro de omni alio membro, à quo
incipit fluxio, intelligo, Et ideo in omni expulsione sem=
per in principio crudiora, amariora, salsiora expellantur,
& tunc crudus maxime est catarrhus, quia semper quod
deterius est expellitur, & aggreditur residuum, & pro
uiribus membri, & pro fortitudine uirtutis concoquit, &
quod malignum est expellit, & tunc membrũ exoneratũ
for=

fortius se ipso fit, et excrementa conficit, et quod defertur ratione alimenti, cum ratio sit in quantitate, & qualitate ita malum semper benignius fit, & concoquitur dummodo ægritudo salubris sit quia contingit aliquando, q̄d uirtus sit debilis, & humores ita praui, & putredo ita existens in illis ita refrigeret calorem naturalem, & innatũ ut terminet ad malum, quia longe deterior est materia, q̃ quod poßit exonerari à calore naturali, immo propter malignitatem, uel multitudinem materiæ uincitur calor, loquimur ergo de eo qui potest dominari à natura, tunc malignum expellitur, & benignum separatur, & addito nutrimento meliori membro nutriendo, in quo est fluxio permiscetur cum malo excremento, & fit contemperantia, Hipp. ideo in libello de prisca medicina dicebat (si Hippo. est, qui tenuit à caliditate morbum fieri) concoctionem humorum fieri propter temperamentum benignioris excrementi cum maligno, ideo non tantum concoquuntur excrementa modo dicta, sed etiam cum ab alio adueniente benigniori contemperantur, Et hæc fiant in membro unde incipit motus, & hæc aduertenda sunt cum curamus, ut adiuuetur natura, Alia est in termino ad quem, exempli gratia fit destillatio à capite, ad pulmonẽ descendens duas materias habemus, quæ indigent concoctione, prima est materia descendens cruda, alia est, quæ inuiscata in mẽbro, ut nõ poßit eradicari, ut in orthopnais sicut nobiliß. D. Iaco bo Cornelio cõtigit, qui patiebatur maximã anhelandi difficultatẽ propter multitudinẽ humorũ crudorum existẽtium in pectore, ibi duæ erant materiæ concoquendæ, una

Concoctio in termino ad quem. 2ª Mæ

fluens à capite, & alia, quæ continebatur in pectore, habebatq; difficultatem anhelitus propter materiam multã, & uiscidam contentam in pulmone, & ideo uobis perpetuum sit, ubicunq; materia collecta est in aliquod membrũ, in qđ terminatur fluxus, sicut cõtingit in inflãmationibus cum tendit fluxio in aliquam partem, & fit inflammatio, in ista inflammatione aliter concoquendum est, cum est in termino ad quem, quia quando est in membro, unde fluit ibi habet liberam expulsionem, & quod deterius est expellit, reliquum conficit. Sed quando est in loco terminato ita debilis est, ut non poßit expellere excrementa ad aliud mẽbrum, sed ibi fit tumor, & natura aggrauata ab illa materia tentat aliud genus concoctionis, quia non potest expellere nocuum, & benignum conficere, dat ei aliam formam semper præparando, sicut natura dentes præparauit incisiuos, ut alimentum, melius à calore naturali conficeretur, in uentriculo, ideo prius attenuat, secũdo separat bonum à malo, si non potest, quærit alium ornatum, quem potest, & facit tandem pus in inflammationibus, in uentriculo, in thorace & hæc est sententia Hipp. septimo Aph. Vbi ait, cum materia deuenit per xx. dies ad pectus suppuratur, quia cum natura non poßit facere ornatum debitum, facit unum medium, Et facit quoddam simile alimento, uel quia membra sunt alba licet ratione sanguinis rubea sunt, propter ea facit unum, quod habet colorem ueri alimenti, non tamen ueram formam habet, sed naturam mediam, inter alimentum, excrementumq;, & hæc est sanies alba, lenis, æqualis, & hæc omnia habetis à Gal. in 1. Prognost.

gnost. ultimo ubi de ſuppuratione loquitur, ſi uero humor ita prævaleat naturæ, ut malignitatem habeat putreſcit membrum, & fit gangrena, ſi fuerit multitudo ſola ſine malitia indurabitur materia, et fiet ſcyrrus in loco. Habetis igitur collecta breuiter, quæ attinent ad concoctionẽ catarrhi, & fluxionis diſtillantis ad oẽm partem, & hoc erat quartũ caput. Quintũ & ultimum caput erat, qđ oẽs quærunt, & non ſoluunt, nec adducunt unam authoritatẽ Hipp. quam habuerunt ab Auic. ſed in quo loco id dixerit Hip. nullus dicit, & eſt, quod illi qui deſtillationi, & catarrho ſubiecti ſunt, non patiuntur ſpleneticos morbos. Auic. in cap. de catarrho. 14. cap. adducit rationem Gal. & inquit, quia qui ſunt ſubiecti catarrho ideo nõ incurrũt ſpleneticos affectus, quia qui habent unum membrũ debile, nõ habent aliud, quia omnia excrementa deueniunt ad illud, et quia hi qui ſunt ſubiecti catarrho habent caput debile, omnia excrementa deueniunt ad illud, & non ad alia membra, iſta fuit ratio imputata Gal. ab Auic. contra quam inſtat Auic. & inquit quare non poſſunt fieri ſplenetici etiã quod abundent catarrho, & quod habeant duo membra debilia, hæc non eſt bona ratio, ideo aliam adducit ipſe, quod catarrho ſubiecti ideo ſplenetici nõ fiunt, quia tales qui habent catarrhum abundãt tenuibus humoribus, qui nõ ſunt apti ad ſpleneticos affectus, quia ut ſplenitici fiant requirunt terreos, craſſos, & aductos humores, At ſententia hæc Hipp. à nullo adhuc citata eſt habetur in ſecunda commẽtatione ſexti Epid. cõmento quarto in textu dicit Hip. minus ſplenitici fiunt, qui ſub ſunt catarrho, non dicit abſo

lute, spleneticos non fieri, Gal. in cõmento refert ruffi, & sabini opinionem, & inquit dum isti explicant hunc locũ assignarunt hanc causam, quia qui catarrho subiecti sunt per catarrhum euacuantur excrementa sanguinis & totius corporis, quia supponebant Antiqui Medici, & tota illa medicina splenem intumescere à pituita à bile, à sanguine crasso, & à melancholia, Et hæc habetis ab Hipp. in quinto de morbis, seu passionibus, ubi loquitur de ægritudinibus splenis, ibi expresse uult ab humoribus omnibus uarias ægritudines fieri & ponit primum secundum tertium quartum quintum, & sextum modos incidendi in tumoribus splenis, & omnes humores enumerat, cum ergo hæc crediderint Medici Antiqui, dicunt quod subiecti catarrho à pituita, bile, & melancholia expurgantur, ideo splen purus remanet, dixit Gal. carpens horum opinionẽ, ista ratio communis est, quia quæ maior est causa cur splenetici non fiant magis q̃ hepatici, cur potius de splene, q̃ de aliis uitijs aliorum membrorum, qui à fluxione fiunt, si enim fluxio omnem malum sanguinem expurgat, & totum corpus, quæ maior ratio de una est, quàm de alia, ideo Gal. uolens assignare particularem rationem inquit, raro enim æqualiter sunt duo membra debilia in corpore humano, bene possunt stare membra debilia, sed unum erit debilius ut semper fortius expellat ad debilius, dico modo, qđ si duo membra sint æqualiter imbecillia hoc raro contingit, cum itaq; fiat defluxus omnium excrementorum totius corporis ad cerebrum non contingit, ut splen sit æqualiter debile ideo non fiunt splenitici, quia non fluunt ad ipsum

ſum humores, iſta ratio bona eſt, ſed peccat eodem pecca-to ſicut peccabat ratio ruffi, & ſabini, quia dicam uerum eſſe, non poſſe reperiri in corpore duo membra æqualiter debilia, ideo ad caput fluunt excrementa, immo cur non dixit minus hepatici fiunt ſi enim carpis ruffum, quia communem rationem aßignauit, cur etiam hæc non erit communis ratio? Aduertens hoc Gal. in fine inquit, uel fortaſſe eſt, propter ea quia qui abundant catarrho frigido & pituitoſo humore abundant, & iam probauimus, ſi pituita abundat, quod habeat frigidum corpus, & hi non abundāt fece ſanguinis, nec aduſtis humoribus, & hi non poſſunt eſſe ſubiecti ſpleneticis affectionibus, & hæc eſt propria ratio, quia ſi ſplen non intumeſcit niſi ab humore craſſo melancholico, & catarrho ſubiecti habent refrigerationem corporis, nec abundant aduſtis humoribus, ſequitur quod non ſunt apti ad ſuſcipiendos ſpleneticos affectus cum ergo reprehendat Gal. Auic. & hæc ſit ratio, quam ipſe aßignauit, dicendum eſt quod non legerat Gal. uel ſi legerat propter malitiam occultauerit eum, ſic habetis cur ſplenetici non fiant ſubiecti catarrho, ſed ſi uultis conſiderare uirtutem huius ſententiæ erit in eodem gradu ueritatis, ſicut illud dictum Hipp. neceſſarium eſſe, ut poſt rigores fiant febres, Exponens Gal. dictum illud inquit tempore Hipp. ſequebantur poſt rigores febres, ſed noſtro tempore, cum non uiuant homines ea rationem uictus, ſicuti uiuebant tempore Hipp. ita abundant excrementis, ut non ſequantur febres, idem dicit de alio dicto Hipp. mulieres quibus menſtrua defecerunt non podagrizant, inquit quod

Quaro quidem respondit Montanus.

Propria est ista ratio ...

Aui: ...

Nota aliam sententiam

Alia sententia.

Non fruit p dia dicta hippo: cratis hac ob hanc causam

non est hoc uerum temporibus nostris, immo uidebitis, qđ qui catarrho abundant habent duritiem splenis, quia habēt inæqualitatem membrorum, ratione caliditatis hepatis abū dant fece sanguinis splen est debilis non conficiens alimen tum suum aggregat excrementa, & fiunt scyrrhi in sple= ne, tùm etiam quia mala ratio nostri temporis uiuendi di uersa prorsus est à modo uiuendi tempore Hipp. est cau sa quod etiam splenitici, & catarrhosi fiunt homines id= eo non est omnino huic sententiæ credendum, Et hæc quò ad explanationem totius catarrhi. Habemus nunc signa in uestigare, quia non sufficit cognoscere essentiam morbi, et multiplicem naturam eius, nisi habeatis signa distinguen= tia, ut cognito morbo curationem aggredi ualeatis, De signis indicantibus aliàs sciuistis signorum alia esse in dicantia futuram ægritudinem, alia præsentem, de prænū tiatione futuræ ægritudinis anteq̃ eueniat, nunc non ero sollicitus, quia ubi loquebamur de ꝑnitiosis morbis. s. spas= mo, & Apoplexia, Epilepsia debemus omni studio cona= ri, ut habeamus signa indicantia futuram ægritudinem, & curare eam, anteq̃ eueniat, quia cum aderit non poterit cu rari, sed in morbis non ita pernitiosis non sunt ita necessa ria, sufficit, ut habeatis cognitionem cum præsentia sunt, quia natura sollicita est in rebus, cum imminet periculum magnum in corpore, & tunc dat signa præuidentia, cum uero non ita malum, occulta adeo sunt signa, ut uix perci piantur. Dicamus igitur quæ sint signa indicantia præsen tem, cum adest catarrhus, signa etiam adsunt significan= tia essentiam morbi, & quia uaria est natura, & essentia

Sextum al: ter locus de signis

Signa indi: cantia pre: sentem.

ca=

catarrhi, uaria etiam sunt signa, & quoniam diximus catarrhum in uniuersali considerari, & in particulari in uniuersali quidem esse fluxionem à cerebro, ad partes inferiores, prout est sub hoc uniuersali conceptu consideratus, habet etiam uniuersalia signa propria, & pathognomonica omni catarrho conuenientia, quæ uniuersalia dicuntur, prius ergo uniuersalia signa ponemus deinde particularia signa ergo indicantia catarrhum in communi hæc sunt, primo percipit homo qui patitur catarrhum grauitatem capitis insignem præter consuetudinem, ut uideatur habere molem magnam in capite, propter præsentiam multæ materiæ, Vltra grauitatem habet operationes animales intrinsecas, & extrinsecas uiolatas, uel corruptas, & diminutas, dico diminutas, uel corruptas quia potest esse catarrhus calidus, uel frigidus. Ideo aliqui stupidi fiunt, non recte discurrunt, memorantur uaria, habent somnia turbulenta pro modo humoris, sensus læsos exteriores habent, non recte odorant, non recte audiunt, præter ea non habet motus suos uirtus motiua, quia cerebrum, unde est principium motus, grauatũ est, præterea ubicunque quis patitur catarrhum in capite uasa sua & meatus, per quos solebat expurgari, patiuntur mirum in modum, quia uel destillat longe plus, q̃ prius, uel interceptus est omnino, exempli gratia aliquis dum esset sanus solebat abundare muco, & dum perseuerat emunctio, sanus est, sed cum patitur catarrhum habet, uel obstructas uias, uel tanta copia destillat, ut ardeant, ideo uel intercipitur, uel mutatur in quantitate, uel qualitate,

Vniuersalia signa

Grauitas Capitis

& hoc eſt ſignum maximum pathognomicum, Signa uero indicantia differentias, plura ſunt, cum plures ſint catarrhi differentiæ, una enim ſumebatur à loco, alia à materia, tertia à cauſis efficientibus: Signa indicantia uarietatem locorum, ſi recte memoria tenetis nos reduxiſſe omnem fluxionem catarrhi, ad quatuor capita, Aut enim diſtillatio per foramina tendentia ad oculos, nares, aures, palatum deſcendebat, uel per uias latas, & cannales amplos, ſcilicet per æſophagum, uel per aſperam arteriam, uel deſtillabat per uaſa, ideſt per uenas, & arterias, uel per ſpinalem medullam ad totum corpus, iſta ſunt quatuor itinera, per quæ deambulat, ſic etiam ſunt ſigna indicantia, hæc omnia ſigna quæ diſtinguunt deſtillationem per foramina ſunt manifeſta, quia loca affecta indicant diſpoſitionem, ſi per foramen oculorum diſtillat ex affectu apparente in oculo uidetur, & idem eſt de naribus, & auribus, Quando uero ad quartum foramen, ideſt ad palatum deſtillat, non eſt ita facile, quia multi credunt, quod quando fiunt anginæ in faucibus, quod ſit propter deſtillationem à cerebro, ſed aliud eſt iter, cum fiunt inflammationes ad fauces, ſed cum tranſit per palatum, fiunt alij affectus, plurimum expuunt iſti, deinde habent perpetuam nauſeam, quia circumlinitur catarrhus circa orificium æſophagi, & natura renuit illud excrementum, & facit appetitum ad nauſeam, præter ea in faucibus uidentur habere unum bolum, quem uolunt excernere, & aliquid ex eo excernunt, ſed non totum, & hoc ſignum indicat catarrhum deſcendere per foramina palati, & ſi mordax

fue=

fuerit, & calidus fiunt corrosiones gingiuarum, palati in faucibus, & ulcera, si frigidus fuerit facit dentes uacillantes, laxas gingiuas, & languidas, & ita habetis signa distinguentia catarrhum per illas quatuor species foraminum, secunda uia per quam transit catarrhus sunt illi duo cannales communes, cū decurrit ad fauces, et aggreditur uiam alicuius cannalium, Vos habere debetis signa distinguentia, quia maxima differentia est, si ad asperam arteriam, uel ad æsophagum descendat, quia diuersa cura indiget, Si ad cannalem asperæ arteriæ primo erit difficultas anhelitus, quia branchi humoribus uiscidis implentur, & spiritus libere non transit, & cantus percipitur in halitu, quia transiens aer per catarrhum in branchis existentem cum sonitu exit, sicut aer cum transit impetuose per aquam, & hoc est maximum signum, præterea nunquam potest esse materia in pulmone, uel in branchis sine maxima pulsuum inæqualitate, quia ultra authoritatem, Gal. in 4. de præsagijs ex pulsu in cap. de affectu pulmonis ubi hæc omnia uidebitis, rō etiā dictat, quā assignat Gal. in 1. & 2. de causis pulsuum, & sumpta est à natura rei, inquit ibi, quia natura oneratur à multitudine materiæ, & ei accidit sicut baiulo, cum pondus maximum super humeris habet in portatione illa facit maximam inæqualitatem, quandoque cito ambulat, quia uellet deponere onus, sed sæpe sistit, ut suscipiat uires, ita quod prius currebat, nunc stat ambulat iterum, rursus firmatur, & facit omnes diuersitates in ambulatione, ut modū inueniat, quò minus molestetur; ita natura, quærit .n. omnem modū

ex=

expulſionis, quandoque facit celeriter pulſum, ut expellat malos humores, poſtea ſiſtit, mouetur iterum, rurſus ſiſtit, Et hæc eſt ratio cur pulſus inæqualis fiat à multitudine materiæ aggrauantis, ſi hoc modo contingat in omnibus, ubi in pulmone aggregata erit materia, fiet maxima inæqualitas, exemplo hominis habentis multitudinem materiæ in pede, illa.n. ſufficit facere inæqualitatem in pulſu, propter conſenſum, quem faciet, cum in pulmone eſt, qui dat aerem cordi pro refrigeratione, cum plenus eſt malis uaporibus, & humoribus, quærit.n. cor expellere uapores illos malos, et facit uarium motum, quem ſequitur motus arteriæ, Ideo fiunt in pulſu maximæ inæqualitates, & exemplificauit Gal. de Antipatro Medico, cui prænunciauit mortem futuram propter illam inæqualitatem, cum etiam ſanus eſſet, & etiam pulſus grauis, et præter ea ſequitur tremor cordis, & lipothymia aliquando, quia cum catarrhus deſcendat per arterias, & communicetur cordi per ipſas inducit tremorem propter frigiditatem iunctam cordi, & ſi inualeſcit lipothomiam, & atrophiam, & tabem tandem cauſabit ob maximam refrigerationem corporis. Et hæc ſigna indicant catarrhū deſcendere per aſperas arterias. Signa uero indicantia, cum defluit ad gulam, ſunt ab alijs diſtincta, & primo nauſea, & ſæpe uomitus apparet, appetitus proiectio, et omnes actiones uentriculi debiliores, Ideo non continet, & perpetuas gurgulationes ſentit, immo ſi deſtillatio augetur, augetur inquam incidunt, uel in lienteriam à defluxu catarrhi, uel in famem bouinam, cum totum corpus attra=

trahit nutrimentum propter indigentiam, & tamen uentriculus non sentit famem, sed nauseam quod si huiusmodi destillatio pertranseat uentriculum, & ad intestina gracilia descendat, alia symptomata fiunt, & primo obstructiones in mesaraicis, & obstruit uias inter hepar, et uentriculum, & non distribuitur cibus, & fit ileon, uel in uoluulum incidunt, si ad crassa intestina dolorem colicũ, & diarrhæos fluxus, præter ea si sit catarrhus mordicans, acutus, salsus, dyssenteriam facit, si ad intestinum rectum tenasmum, & ragadias, si acutus, & mordax uarias ægritudines in musculis, & intestinis facit. Si uero per arterias, & uenas propria symptomata facit, inter quæ signum pathognomicum est, quod arteria ad tactum est mollis, & imbecillis motus redditur, quia dum transit humor ille pituitosus per arterias, debilitat calorem innatum, & mollescunt corpora arteriæ propter transitum pituitæ, & ideo Gal. in 4. de causis pulsuum dicebat, quod ubi pituita pertransit per arterias, molliores apparent, præter ea in cap. de pulsu inquit quòd paruitas primo pulsus fit, ut si catarrhus amplior fiat tarditas, & si adhuc augeatur raritas appareat, paruus autẽ fit pulsus, quando refrigeratur calor innatus, & diminuitur necessitas euentationis, ideo non extenditur pulsus, & accidit imbecillitas, si etiam augeretur destillatio, non tantum paruus, sed etiam amittet de dimensione in altum, & de uelocitate acquiret, ubi deserat indigentiam amittet frequentiam, & sic fit paruus, tardus, & rarus, quia diminuta necessitas est cum pessimi sint catarrhi, & plurima inæqualitas ap-

paret, non autem raritas, nec tarditas, nec paruitas, nisi cum intabuerint, sed inæqualitas inseparabilis est, cum catarrhus descendit per arterias, quia proprium signum, et inseparabile humorum existentium in corpore aggrauantium uirtutem est inæqualitas, præter ea sequuntur lipothymiæ, tremor cordis, quia arteriæ communicant uapores ipsi cordi, Ex his igitur deprehendes catarrhum deuenire per arterias, ad singulas partes corporis, si uero per uenas descenderit, quod frequentius accidit, & similiter per totum corporis ambitum spargitur, sequentur primo obstructiones in toto, & tumores ducentes ad cachexiam, quia refrigeratur sanguis, & miscetur crudo humori, & non nutritur sicut oportet, præterea febres lentæ, quæ non percipiuntur, nisi ab inæqualitate pulsus, & pulsus suffocatus apparet, & istæ febres dicuntur ab Arabibus erraticæ, à Græcis typhodes, uix .n. percipiuntur, & tales febres semper inuadunt homines habentes destillationes per uenas, habent urinas albas, crudas, pallentes, habent spumã, sed ubi spumam urinæ habent, indicatur dispositionem existere in renibus, ut 7. Aph. 35. Quibuscunque in urinis ampullæ supernatant, nephreticã significant, & longam ægritudinẽ, Quomodo ergo distinguentur? Debetis uos distinguere à colore primo ubi affectus in uenis fuerit, urinæ craßiores, et citrinæ magis apparent propter descensum uero catarrhi albæ, tenues, lucidæ cũ spuma, & huiusmodi spuma non tantum superficiem occupat, sed quasi in substantia eius sunt ampullæ, præter ea non nutriuntur corpora, et arescunt, et

fiunt

Si ad Vasa uenosa.

Nota.

fiunt tabidi, inflantur tamen, et turgidi fiũt, quia fit quædam suffusio humoris non boni inter musculos, & cutim, suntq; peßimæ dispositi, si humor per uenas transiens nõ omnes, sed aliquas intrinsecas, uel extrinsecas occupat, si per intrinsecas ad fauces descenderit, affectus facit diuersos, pro diuersitate locorum, si .n. ad amygdalas deuenerit renuadas, si ad gurgulionem, uũam staphilin, si ad locum, qui est inter medius inter gurgulionem, & amygdalas paristimum facit, si musculos laryngis anginæ omnes species, ita quod huius modi species nunquam fiunt per foramina capitis, sed per uenas, & si exterius cum tamen fit inflãmatio maxime in faucibus, quia catarrhus nõ per foramina decumbit, sed per uenas, tunc est proximum remedium phlebotomia, quia auertitis, & diuertitis, sed ubi humores sunt extra uenas cuiuscunque generis sunt, nunquam competit phlebotomia, quantumq; de ratione illorũ sit, ut per phlebotomiam euacuentur, sed dicetis Gal. in 4. de tuen. san. cum laßitudinem ponit ulcerosam, uidetur uelle quod optimum sit remedium phlebotomia. Sed Gal. ibi aduersatur sibi, & contradicit rationi, & proprio dogmati, quando dicit, trahes humores extra uenas existentes ad partes interiores, sed utrum hoc poßit fieri per phlebotomiam, & si fiat, an bene fieri poßit, & an consentiat placitis Hip. & Gal. bene uolunt ipsi cum humor fluit per uenas, quod euacuandus sit per contrarias regiones, sed humor existens extra uenas in uacuitatibus membrorum natura euacuat per cutim, et non trahit interius ad uenas in uacuitatibus membrorum, Nos autem debemus

mus imitari naturam, cum hoc sit præceptum Gal. et quan doque fortasse scribā libellū de dubijs in Gal. cogitabitis uos, si uero fluit per uenas extrinsecas ad fauces facit strumas, scrophas, abscessus, inflāmationes, si ad thoracē facit difficultatem anhelitus, & tabē, & tandem ad phthisin deducet, & ad fracturas uenarum, maxime qui sunt subtilißimi sanguinis, Quia si humor tenuis subtilis fuerit flatuatur in uenis, & facit sanguinē tenuem & aperiet orificia uenarum, si uero craßior fuerit flatuatur in uenis, & facit ebullire sanguinem, & facit rupturā uenæ, uel si pituita salsa erodens fuerit, facit erosionem, & ista est deterrima species, ubi uenæ rumpuntur, & erodūtur, quia ibi est mala tēperatura, inflāmatio, et solutio continui, ut inquit Gal. 5. Met. Si uero ad alias partes defluat, facit diuersa accidētia, si per uenas uentriculi nauseā facit uomitus, modo fluxus, si in intestina eadē feratur materia, si ad partes infimas intestinorū hæmorrhoides ac si essent anguillæ, omnes podagræ, et morbi mali articulares fiūt propter ascēsum humorū per uenas, et ista sufficiāt pro cōpēdio, ut sciatis signa indicātia, cū per uenas distillatio fit. Si uero p neruos, et spinalē medullā descenderit, percipiūt frigiditatē in descensu, habent etiā sæuiora accidētia, habent præter ea corporis stupiditatē, paralysin, spasmū, laxationes membrorū, et relaxationes, et in ischia fit laxatio propter plurimū humorē descēdentē ad illas partes, dolores acutißimi, quia materiæ trāseunt per partes maxime sensibiles præter ea p cōsensū quādoq; cerebrū afficitur, dū in neruis est affectus, et in Apopl. et in

Epi=

Epilepsias quandoq; incidunt, & hæc sufficiant de differentijs catarrhi à locis sumptis, & suis signis. De signis uero indicantibus differentias, quæ à materia sumuntur dicamus. Materia catarrhi ferè semper pituitosa, quandoque salsa, acris, acida, si materia calida erit, erunt signa caliditatis, sitis maxima, à rebus frigidis iuuabitur, & contra patietur, & offendetur, præterea si febricitabit augebitur catarrhus, quod non ita in frigido erit, nam in ipso est priuatio sitis à rebus calidis, & à febre iuuabitur, ista omnia indicant frigiditatem, præterea si per os exit liquor amarus, uel salsus, aut insipidus crassus, uel tenuis apparebit, quod non contingit, si per uenas descenderit, uel per arterias, & per neruos. Quantum ad causas attinet efficientes, tàm intrinsecas, quàm extrinsecas, quia sæpe ob caliditatem cerebri fit, cognoscetis cerebri caliditatem à signis caliditatis, de quibus in secundo de Temperatura, & in secundo Artis paruæ, ab operationibus animalibus, tàm intrinsecis, quã extrinsecis, à pilis, ab amplitudine uenarum in oculis, à facie tornatili non tumida, à concauitate nasi, præterea an lædantur à calidis, uel frigidis, ex his temperaturam cerebri cognoscetis, præterea materia catarrhi reciproce indicabit, quia raro in calido cerebro fit frigidus catarrhus, similiter ex signis oppositis caliditati scietis cerebrum frigidum, quò ad causas extrinsecas, ex relatione infirmi, & astantium scietis an fuerit obiectus aeri calido, uel frigido, humido, uel sicco, de cibis, de ue-

Indicantia signa materiam Catarrhi

nere an dormierit in horis non consuetis ab astanti-bus scietis. Quantum uero attinet ad dictam differentiam, an scilicet crudus sit, uel concoctus id cognoscetis ex exeuntibus si fuerit tenuis, uel crassus, uel inæqualis, hoc est partim tenuis, & partim crassus erit crudus, cum uero albus lenis, & æqualis in substantia fuerit, coctus est, si uiridis niger, aut sub niger non tantum crudum, sed peßimum iudicabitis, quò ad sapores si erit coctus, uel subdulcis, uel insipidus, crudus, uel salsum, uel acidum saporem præ se fert, præterea à facilitate expellendi per sputum per secessum, per nares, & sine ardore, et substantiam moderatam habeat coctionis erunt indicia, & hæc quoad signa indicantia essentiam, & differentias catarrhi. Accedamus modo ad indicationes curandi, quæ sumuntur à natura rei, & quia catarrhus fluxio est à capite ad subiectas partes, fluxio autem est expulsio præter naturam ab uno membro ad aliud, primo indicationes declarabimus, quæ à natura rei, & morbi sumuntur, quia facillime scietis indicationes, quæ sumuntur à differentijs, iam ergo de his, quæ sumũtur ab essentia catarrhi dicamus, ut est fluxio à capite ad partes subiectas, & supposito, quod catarrhus habet duos terminos, unum à quo incipit, id est membrum mandans, & terminum ad quem, id est membrum recipiens, duæ etiam necessario indicationes curandi oriuntur, quia isti duo termini necessarij sunt, & quia membrum mandans excrementa mandat, alterum recipit, duæ nascuntur in-

dicationes,

dicationes, à mandante una nascitur, ut remoueantur excrementa à mandante, sed quare non dicis, ut remoueatur illa fluxio, & mißio? Ideo dixi remouenda esse excrementa, quia non intendimus remouere, nisi id quod præter naturam est, sed cum membrum expellit quod sibi nocuum est egregie facit, ideo debemus tollere excrementa, ut non abeant illa. in membro recipiente nascitur alia indicatio, ut nō recipiat, quomodo faciemus? oportet duo facere. primo corroborare, ne recipiat, secundo auertere materiam, & attrahere materiam ad aliquam partem, & ita tres indicationes sumuntur à natura rei, prima remouere à mandante excrementa, secunda recipiens corroborare, tertia auertere, corroborare autem membrum licet nihil aliud sit, quàm reducere ipsum ad naturalem habitum loquendo de corroboratione proprie, hæc tamē non quæritur principaliter in fluxionibus, bene desideramus naturalem habitū, sed quærimus principaliter, ut durum, densum, solidum, et uias non habeat latas, quia laxitas, & amplitudo uiarum, et raritas membri maxima est occasio fluxionis ad membrum, quando ergo uultis corroborare membrum, ne recipiat, ipsum astringere debetis, & solidum facere, ut uias habeat strictas, astringimus autem cum rebus refrigerantibus, & exiccantibus, auertimus trahendo humorem ad oppositam partem, hæc quò ad duas indicationes, quæ sumuntur, ut prohibeamus receptionem excrementorum recipientis, quomodo autem prouidebimus, ut

Corroborare qd.

excrementa remoueantur à membro mandante? oportet exquisite totum corpus euacuare, & membrum illud, sed nunquid hæc fecerit Galenus percurratis ea, quæ in decimo tertio Therap. & in quinto Methodi dixit, in secundo ad Glauc. in cap. de inflammationibus inquit duo errores maximi in principijs fluxionum sunt aduertendi, ne fiat subito totius euacuatio, sed debemus illud euacuare, & hoc indicatione sumpta, ne excrementa demandentur, quia membrum non mandabit quod non est, secũdus error est quò ad recipiens calefacere, aut humectare, quia hæc sunt contraria frigiditati & siccitati, & hoc dixit propter illos amethodos, qui uolebant relaxare membrum cum calidis, & humidis, si hoc facitis, rarefacitis membrum, & maior fiet fluxio, igitur cum frigidis, & siccis debemus procedere. Et hoc ita aduertit Gal. ut in doloribus, ad dolorem sedandum cum frigidis, & siccis procedat, quia timet apertionem, quo ad auersionem dicit ibi, auertendam esse ad oppositum materiam, & in sexto de Tuen. San. & in sexto Meth. & in Libello de sanguinis mißione, & in decimo tertio Methodi, præter hoc igitur quod sunt indicationes istæ à natura rei sumptæ, adest etiam authoritas Galeni. Addit hoc Galen. in principijs omnium fluxionum optima agenda sunt, errata enim in principio fluxionum affectus prorsus incurabiles faciunt, uel difficillime sanabiles faciunt. idem in quinto Methodi dixit, qui negligenter in principio curant catarrhos à leuioribus incipiendo

cipiendo parant ægris longum interitum, et ratio est, quoniam si uultis in principio fluxionum, cum incipit materia demandari, errare, primo permittitis fluxionem fluere ad locum. Si enim rarefacitis, tota moles deuenit ad locum, propter quod extinguetur calor, & fiet gangrena. sphacelos, uel scyrrhus incurabilis, oportet ergo aduertere ne incidatis in principio in hos errores, primo ergo in omni catarrho totum corpus exquisitissime euacuabitis, & simul, & semel corroborabitis membrum cum frigidis, & siccis, bene sunt hæc contemperanda secundum naturam membri, semper tamen idea erit, quod frigida & sicca sint, gradus autem moderabuntur secundum naturam membri, an fuerit messor, uel puer, aut fœmina, secundo auertere cum auertentibus, siue phlebotomia, siue pharmacia sit, hæc non possumus determinare, nisi in differentijs catarrhi, & speciebus eius, ubi uero hæc feceritis, & adhuc perseuerauerit fluxio, signum est, quod membrum illud mandans habet aliquam intemperiem, quæ redundat isto excremento, ideo non sufficit hæc euacuatio, quia generat excrementa propterea quia non concoquitur alimentum, & si deficit in opere proprio calor naturalis deficit, & fit frigidius, & cum multiplicentur excrementa frigida, & humida, cerebrum erit frigidum, & humidum, tùm propter excrementa, tùm propter temperiem ipsius. ratione cuius non recte conficit, quid ergo oportet in mandante fieri, ut tollatur penitus fluxus ab ipso, & cum euacuatio non

NOTA
1
2

potuit id efficere, debet rectificari membrum, & hoc fiet cum oppositis, ideo exiccantibus utemur, & ideo Galenus quinto Meth. cap. de catarrho fluente ad pectus ad tria curationem deduxit non obliuiscendo primam, & inquit uolo, ut primo corroboremus membrum recipiens, secundo totum corpus exquisitißime euacuemus, tertio cerebrum exiccemus, primam intentionem exequitur cum frigidis, & humidis cum theriaca noua, & cum medicamento diaspermaton frigido, secundam cum euacuantibus exquisite, & proponit pilulas, quæ constant ex Aloe, Scammoneo, Colocynthide, Agarico, & Bdellio, tertiam exequitur cum exiccantibus membrum mandans cum synapismis ex stercore columbino, & cum his, quæ ualenter exiccant, & cum pulueribus calefacientibus, cum dropacibus deueniendo ad synapismos, qui adurant, & cauteria tandem actualia. Sed antequam discedamus ab his uniuersalibus fluxionibus, quoniam symptomata accidunt, oportet ea rememorari, & generales indicationes sumere, ac tradere. Symptomata sunt influxionibus dolor præcipue, quia rarißime cõtingit, ut in inflammationibus non sequatur dolor, ex parte saltem membri recipientis, ob inæqualem intemperiem, & ex solutione continui, contingit etiam syncopa ob nimiam euacuationem, & ob uehemẽtem fluxionem, quæ symptomata cum habeant rationem causæ trahunt ad se curam, & possunt quandoque tantam habere rationem causæ, ut totam trahant, sicut

syncopa,

ſyncopa, & animi deliquium, nec non dolores acutiſsimi, & à dolore prius incipiamus cum ſit in membris recipientibus, & unum de ſymptomatibus ſæpiſſime contigentibus. Oportet habere indicationes, ex quibus tollatur, quem ſi uere uelletis remouere, id debet fieri per ablationem cauſæ, quoniam hæc eſt uere cura remotionis doloris, & hæc cito fieri non poteſt ex dolore enim caleſit membrum, calidum autem aperit, aperiendo fluxum faciliorem facit, perſeuerat enim copioſior, & malignior fit, dolor præterea attrahit, & ex attractione augetur fluxio, præterea reſoluit uires, ideo dicebat Auic. cum mederi uolueris. dolorem prius ſeda, & Gal. in ſecundo ad Glauc. inquit, in omni fluxione ſedandum eſſe dolorem, ſed quoniam remotio cum anodinis eſt aduerſum remedium prorſus intentionibus præcedentibus, quia diximus ad prohibendum fluxum indigere frigidis, & ſiccis, hæc autem non conueniunt in ſedando dolorem, ſed calida & humida in primo, et talia maxime aperiunt, dicebat autem Gal. aduertendum eſſe ne in recipiente ſint calida & humida, quoniam relaxant, & aperiunt, ſed medicamenta exiccantia, & refrigerantia, ut reprimant quadam tenus, & tollant malam complexionem. frigida autem, & ſicca in primo ſunt ad modum apta, ſicut oleum roſaceum applicatum, quomodo autem ſit applicandum docebimus in cura particulari, ideo in principio non euacuata materia (niſi cogamur ad ſtupefaciẽtia deuenire) nihil magis præ-

Dolor quomodo remouendus:

Dolor calefacit

Attrahit

Resoluit uires.

In sedando dolore conueniunt calida et humida

Cum mederi uolueris dolorem prius seda.

ſtat quàm oleum roſaceum, ſi uero fuerit ſyncopa, habuiſtis nunc modū occurrendi, & quot modis, & quot cauſis fieri poßint à Galeno in duodecimo Methodi, debetis inuenire cauſas, & ſi reſolutio ſpirituum, cum refocillatione, ſi ob nimiam euacuationem, nutriantur, ſi ob reſolutionem membrorum, illa reſtaurentur, hæc ſunt quantū ad correctionē ſymptomatū, quæ ſequuntur fluxiones. quò ad rectā rationem uictus clarū eſt, quod quantum ſpectat ad eam in his uniuerſalibus ſemper aduerſa debet eſſe cauſis facientibus, ut ſi materia ſit frigida, uiſcida attenuetur, moderate calefiat, & exiccetur, tàm circa uictus rationem, quàm circa reliqua omnia, ita ut aliquando ira, triſtitia, excandeſcentia, & febris etiam ſit medicina in aliquibus ægritudinibus, quæ omnia cū ita ſint conſtituta, ſi recte uniuerſales indicationes habuiſtis, intentiones omnes modernorum, quoniam amethodæ ſunt, & tanquam à legislatore ex præſcripto quodam emanantes, uidebitis à caſu eſſe, cum dicunt in cura catarrhi ſex eſſe intentiones, prima ordinat regimen debitū, ſecunda digerit tertia euacuat, quarta diuertit, quinta ſiſtit fluxum, ſexta corrigit accidentia, modo nō ſunt perpetuo ueræ, licet aliquādo ueræ ſint, ſunt etiam amethodæ, quoniā non habent unde oriantur, & ita uidetis quantum referat habere indicationes à natura rei. Moderni autem uolunt, ut ſic fiat tanquam ex præſcripto quodam, ſed iam ad particularia deueniamus, ſed qua arte procedendum eſt attendatis oportet ante omnia differen-

tias

Nota.

Moderni tradit sex intentiones ... perpetuas

Ad Particularia accedit

tias fluxionis considerare, & materiam earum distinguere, si autem uultis exquisitißime scire differentias fluxionis considerate materiam earum, & quid requirant, & iam sciuistis quod tria rquiruntur loca, & uasa, per quæ transeunt fluxiones materiæ, & causæ efficientes, Et per hoc etiam diximus sumi distinctiones omnes, & differentias fluxionis, & sicut in causis distinximus, ita applicetis curationem, & quia indicationes fuerant claræ, cura etiam clara erit, sed notare cum dicimus ad particularia descēdendum esse in doctrinis, de indiuiduis non intelligimus, nec ut uelimus dicere, si fluxio fluet ad pedem, ad genua, ad tibias, ad coxendices ita agendum est, quia facerem historiam, nec uobis doctrinam traderem, nisi confusam & hoc non esset tradere Artem medendi, quæ in singulis debet habere certam rationem, ideo in dando naturam membrorum diximus loca communia esse consideranda, quæ in illis septem constituebantur conditionibus, in substantia primò, quam dixi considerari, ut sciatis substantiam, ex qua membrum sit compositū, & confectum, an ex carne, uel neruis, uenis, & arterijs, modum etiam substantiæ, an laxum sit, uel solidum, cuius temperaturæ an calidum, siccum, frigidum, uel humidum sit, præterea sensibilitatem, uel insensibilitatem, nobilitatem, & eius operationem, situm, utrū in superficie, uel in profundo sit, in superioribus, uel inferioribus partibus situatum sit considerare. præterea cum quibus membris communicantiam habeat, &

ex hoc

tria requirunt ad curationem

ex hoc artificio, siue fuerit pes, uel hepar, uel cor regulæ communes & uniuersales deducent nos in cognitionem naturæ membrorum, istud est artificium, & hoc calle procedemus, in his igitur indicationibus particularibus sicut fecimus in consideratione naturæ differentiarum fluxionis, ita faciemus, & quia diximus, uel à loco, uel à materia, uel à causis efficientibus sumi, Loca uero duo sunt, à quo incipit fluxio, ad quem terminatur, & loca per quæ transit, Hic statim dicetis, quare in superioribus nō dixisti de locis, per quæ? id feci, quia uolui dimittere considerationem horum locorum ad particularia, & tunc non erat necessariū, nunc autem summe necessariū est, & proponemus membrum mandans, non amplius, ut mandans est, sed cuius naturæ sit, ita etiam recipiens, non quatenus recipiens, sed cuius naturæ sit, & uasa per quæ transit, incipiamus autem à natura membri mandantis, & quia sumus in catarrho, qui fluxio à cerebro est, naturam cerebri considerabimus, ut rectam habeamus rationem curandi, quia secnndum diuersam naturam membri statim indicationes curandi sumentur, Et quantum ad membrum mandans attinet indicationes non erunt plures, quàm sit natura considerata, quoniam duo hæc correlatiua sunt, natura igitur cerebri quomodo consideratur? per ea capita toties dicta primo considerando substantiam, s. ex quibus constat, est enim ex medullari illa substantia, ex membranis, uenis, arterijs, & neruis, habet foramina multa, & hæc attinēt ad substantiam

Loca duo sunt

Membrum mandans est Cerebrum.

Quomodo consideranda est Cerebri

tiam

tiam, & quo ad primam partem, quia ſcitis plures eſſe uenas, & arterias in cerebro, ſcitis per uenas, & uaſa nos poſſe trahere materiam & commode, præterea, quia laxum eſt facile attrahetur, quò ad ſitum, quia in ſuperioribus commoda eſt euacuatio, ſi ſanguinem mittere oportet, ex uena ſuperiori cephalica fiet, & per uomitum, & aluum ratione communicantiæ, cum ſtomacho, quantum ergo attinet ad ipſam naturam membri quoad ſubſtantiæ modum ſcitis quomodo ſit euacuandum, quo ad temperaturam, quoniam frigidum, & humidum eſt, abundat plurima pituita, quia talia ſunt excrementa, qualis eſt complexio, ergo ſcitis quod euacuandum ſit à complexione, & ſcitis quod per ſuperiores uenas, & per emunctoria uera pituita euacuari poteſt cum caputpurgijs per foramina propria, & cum maſticatorijs trahendo materiam per palatum, & per nares, quia talis attractio commoda eſt, iſta omnia habentur ex recta conſideratione cerebri, quoad loca, per quæ tranſit quod erat ſecundum audiuiſtis eſſe quatuor principalia, uel n. catarrhus defluit per foramina cerebri, & uidiſtis, quæ ſunt, & quantum attinet ad foramina habetis indicationes, quomodo commode fiet euacuatio dummodo obſeruetis hoc, quod ſi per oculos defluit catarrhus nullo modo per nares attrahatis, & hoc ideo caueatis, quoniam ſi recte ex Anatome conſiderauiſtis foramina capitis ita ſunt foramina propinqua, quæ ad nares, & oculos deueniunt, ut periculum ſit maximum trahere

ad nares,

ad nares, ideo uel per palatum, uel per alia foramina commodior fiet attractio, sed nec ad aures trahetis, quia sæuißima fiunt accidentia & dolores pernecantes, & inflammationes aurium perniciosæ sunt, docet ergo natura rei quoad foramina attinet, quomodo sint euacuationes, & auersiones à capite faciendæ, rationem autem quare materia fluens ad nares non attrahetur commode per palatum nunc omittimus, quando uero materia transit per secundum genus uiarum, quas dicebamus esse uenas, & arterias, inde sumuntur indicationes curandi, quod si per uenas transit per mißionem sanguinis, & per prouocationem urinæ cõmode fiet euacuatio, dico per mißionem sanguinis, si materia non erit admodum cruda, quarto de tuen. sanit, quia si cruda erit per prouocationẽ urinæ commodius fiet, & ita cum catarrhus per uenas transit indicatione à loco, per quem transit, scitis, quod commodißima euacuatio fit per urinam prouocantia, uel per phlebotomiam, si uero per canales amplos communes transit.i. per asperam arteriam uel per gulam, cum per asperam arteriam transit patet modus euacuandi, & est per tußim, ideo prouocanda est tußis per medicamenta bechicha, si uero per gulam commode educetur per uomitum, si sit materia biliosa, uel assuetus uomitui, uel per secessum, ita quod natura gulæ ostendit quomodo euacuanda sit materia, si uero ad quartum genus transit quod est spinalis medulla, & nerui, ubi imbibitur materia in neruosis mẽ

bris

Bechicha.

bris frigidis, & figatur ibi, indicat cum concoquentibus, & digerentibus, & cum attenuantibus efficacissimis esse procedendum, & euacuationibus ualidissimis utẽdum, Et si recte memoria tenetis, quia diximus in cap. de spasmo, & de alijs ægritudinibus neruorum quod medicinæ efficacissimæ esse debent, hoc ostẽdimus ex medicinis descriptis ab illis Doctoribus egregijs, & ideo cum transit materia per neruos, efficacissimæ debent esse medicinæ, igitur si per signa cognoscetis materiam fluentem fluere per neruos, scitis quod indigetis medicinis maximis, & excessiuis tum in coquendo, tum in euacuando, Et ita habetis indicationes quæ sumuntur ex parte locorum per quæ transit, & quomodo uariæ sumantur indicationes ratione diuersitatis uiarum, quæ autem à ratione membri recipientis sumuntur considerandæ sunt, quoniam diximus in consideratione membri recipientis, ut recipiens est perpetuam regulam esse, quod debetis corroborare membrum, ne recipiat, quæ autem sumuntur à natura rei conditiones uariant regulam, quod debetis corroborare membrum, & quia distinguunt naturam rei ita etiam indicationes, quæ autẽ intercipiunt fluxum duo erant instrumenta, ut corroboretur, & auertatur, quo ad auersionem regula perpetua est quod fiat, modo fiat per conuenientes regiones, quia ex quo fluit materia, debet auerti, dummodo non fluat ad locum euacuationis maxime cum materia critice ad urinas, uel ad intestina fluat non debet intercipi tunc, quia hæc non

est

Indicationes a ratione Recipientis membri.

est fluxio uera præter naturam, semper igitur in uera fluxione debet fieri auersio per loca conuenientia, quo ad corroborationem membri ne recipiat considerandа est natura membri, & tunc scietis quando, & quomodo sit corroborandum, & incipiamus à temperatura mẽbri, membra aliqua sunt calida, aliqua sunt frigida, quæ calida, aliter corroborantur ut caro, quæ habent frigiditatem, ut neruus aliter, nec ijsdem utendum est instrumentis, ad intercipiendum materiam fluentem ad carnes, & neruos, quia quæ sunt constringentia in primo gradu, idone reprimunt fluxum in carne quæ non multum indiget exiccantibus, & frigidis, cum sit calida, & humida. Nerui uero maxime indigent astringentibus, & siccis, quia maxime sicci sunt, & tolerant magis exiccantia, hinc est quod cum ad uentriculum, & ad hepar deuenit materia medici cognoscentes uentriculum maioribus indigere constringentibus, & exiccantibus quàm hepar, non utuntur ijsdem corroborantibus, quia si ijsdem uterentur male facerẽt, quia quæ hepati conueniunt non sunt apta uentriculo, & quæ uentriculo, non sunt apta hepati, quia uentriculus neruosus est, & hepar carneũ, & non eget exiccatione multa, ideo calescit à quocunque calido, & licet Absynthium ad carnes comparatũ sit in primo gradu calidum, comparatum uentriculo calidius est, gaudet ergo uentriculus, maxime absynthio, quia maxime astringit, & exiccat hepati uero nocet, quia calescit, spica autem, & Rhababarbarum ma

Ventriculus maxime gaudet Absinthio

gis

gis conueniunt hepati, quia moderate astringunt, si cõparantur Absynthio, ideo hepar moderate astringentibus gaudet, & odoratis, quia generantur plurimi spiritus in hepate, & ita uidetis quomodo natura membri indicat, quomodo sint applicanda remedia, & qualiter temperatura indicat, ubi igitur corroboratis membrum frigidum, siccum maxime astringentibus, & exiccantibus, & refrigerantibus uniuersali indicatione ab operationibus, quanto magis operationes, erunt nobiliores, tanto magis calidis indigent, quia operatio fit per calidum innatum, ideo cum membrũ erit multarum operationum curandus est calor innatus. Igitur in ista receptione fluxus fluentis ad hepar, quia facit sanguinem, non debetis refrigerare ipsum quin habeatis curam caloris innati, & ideo in refrigerando hepar apponetis semper quæ corroborent calorem innatum, item spiritus uitales distributos per corpus, & naturales quos ego ad mentem Galeni pono, licet aliqui dicant non dari, qui annexi sunt calori, innato, & inseparabiles, sed quomodo distinguantur aliàs dicam, siue ergo spiritus sint naturales, siue uitales uolueris appellari annexi sunt cum calore in uenis, & arterijs, debetis prouidere, ut corroborentur, cum membrum est magnarum operationum, ideo non tantum debemus refrigerare, sed habere odorata, quæ recreent spiritus, ideo etiam quando repercutere uolumus debemus spiritus confortare per indicationem à communicantia, scire debetis cum membrum habet si-

tum

tum suum principali, & nobili membro uicinum, ut cordi uel hepati, & indigeretis repercutientibus, in repercußione non sunt applicanda ualde frigida, ne materia reprimatur ad illud, ideo materia fluens ad musculos thoracis non est ualde repercutienda, ne ad interiora reprimatur, ubi sunt membra nobilia, ut si in rene dextro non est reprimenda cum ualidis, ne reprimatur ad hepar, præterea nobilitatem, & ignobilitatem debetis considerare, quia aliqua sunt membra ignobilia, ut cutis, & adenes, quæ sunt carnes illæ glandulosæ circa emũctoria illa, quæ quidẽ sunt ignobilium operationum ueluti receptacula excrementorum, & cutis habet rationem usumq; uestis ad tegendum corpus, ideo ignobilißima est, & ad ipsam excrementa deferuntur, cum ergo consideramus fluxionem ad has partes consideramus naturam talis, uel talis membri, quia sit deputatum ad excretionem, ut intestina, uesica, uterus in mulieribus, hæmorrhoides in ano in aliquibus, cum fluit materia ad hæc membra, aliquãdo non est opus uti repercußione, & maior est si id fiat, dicetis quare in omni repercußione fluxionis regulam fecisti, quod reprimentia conueniunt? Dico ideo fecisse regulam, quia omnis fluxio, quæ est fluxio indiget ne recipiatur in membro, & reprimatur, quia dixi nihil aliud esse fluxionem nisi expulsionem præter naturam ab uno membro ad aliud membrum, & quia definitio hæc omni fluxioni conuenit pono istam conclusionem, quod ubicunque est fluxio, quæ est ex-

pulsio

Obiectio

pulsio præter naturam à membro ad membrum, quod membrũ recipiens debet corroborari, ne recipiat, sed cum natura expellit ad emunctoria propria, & debita, ut ad hæmorrhoidas ad intestina, ad uesicam critice, uel per motum similem crisi, uel ad cutim dico quod non est præter naturam talis fluxio semper, nisi propter malitiam, uel magnam quantitatem materiæ, ideo non male dixit Gale. cum dubitabat an fluxio hæmorrhoidum sit ex toto genere præter naturam, bene aliquæ sunt præter naturam, uel ratione humoris, uel ratione qualitatis, sed non uidetur ex toto genere præter naturam, nec per uterum, nec in aliquibus fluxio per sanguinem narium, quia aliqui habent talem fluxum naturalem, ut si interciperetur interficerentur, sicut si intercipiantur menstrua mulieribus. quo ad intestina aliqui patiuntur singulis mensibus talem defluxum, qui cum accidit non debet repercuti, quia est fluxio secundum naturam, ideo non debemus reprimere in isto casu, quia natura facit, quod facere debet, cum ergo natura expellit ad loca expulsionis, nõ est præter naturam, nisi secundum aliquas conditiones, igitur non est intercipienda. cum ergo ad membra excrementorum defluit materia puta per uentrem, uel per hæmorrhoidas plusquàm debet, uel menstrua, debemus quidem sistere, sed non facile, & ex duobus instrumentis requisitis ad intercipiendum ne membrum recipiat, sunt auersio, & corroboratio auersionem eligere debemus, siue ad adenes, siue ad loca recipientia ex-

crementa deffluant, debemus auertere, & diuertere, ſed non intercipere fluxum cum aſtringentibus ſumpta indicatione à nobilitate, & ignobilitate membri.

Explicatis iam uniuerſalibus indicationibus, quæ à fluxione, qua fluxio eſt ſumuntur, & reliquis alijs, quæ à differentijs locorum ſumebantur, reliquæ erant, quæ à cauſis, & materia, à cauſis inquam efficientibus, tàm intrinſecis, quàm extrinſecis à cruditate, & concoctione ſumuntur, & cum omnes perfectæ erunt, poſtea ad curationem particularem accedemus. Quantum igitur attinet ad indicationes, quæ ſumuntur à uarietate, in fluxione ipſa diſtinguuntur ſecundum materierum diuerſitatem, quia ſemper indicationes uariantur pro uariatione, & diſtinctione naturæ rei. Cum igitur materiæ poßint eſſe multæ in fluxionibus, indicationes ſumentur ab ipſo ſanguine primo, tanquam à particulari, & principaliori, ſicuti etiam ab alijs humoribus, & quia in omni fluxione humores peccãt tum qualitate, tum etiã quantitate indicationes etiam operandi duæ erunt, una à qualitate altera à quantitate, & multitudine. quæ autem à multitudine ſanguinis ſumitur non ſolum ſanguinis mißionem indicat, ſed etiam illam copioſam eſſe faciendam, & ſi uirtus tollerat etiam uſque ad lipothymiam. Et ſic multitudo ſanguinis indicat non ſolum eſſe mittendum ſanguinem, ſed quantum, quæ autem à qualitate ſumuntur uariæ eſſe poſſunt, ſicuti etiã qualitates uariæ eſſe poſſunt, aut enim propter mixtionem

Indicationes que sumunt a varietat.

nem uariorum humorū, aut propter modū substantiæ peccant in qualitate, et si secundū modū substantiæ, uel quia tenuis, uel quia crassa, quantum ad tenuitatem & crassitiē debetis aduertere si sanguis erit tenuis, et calor innatus exilij, quia facile sunt solubiles, tunc caueatis à multitudine exrahēdi sanguinē, idem dicebat Gal. si multitudo sanguinis cum rubore multo fuerit debetis reprimere, non euacuare: quia in tali euacuatione difflantur spiritus, & calor innatus, debilitanturq; & ad syncopas, et casus uirtutis deducūtur si fuerit crassus debetis euacuare, sed primo attenuare, id est reducere sanguinem ad temperiem, & disponere ipsum, & id quod dispositum est euacuare, reliquum præparare ut in dispositionibus melancholicis moderni medici faciunt, qui præcipiunt in phlebotomia in his corporibus habentibus sanguinem crassum paulatim educere reliquum cum humectantibus reducere, & qui magis paratus est ad exitum euacuare. Hæc de sanguine crasso, cum quibus autem instrumentis dicemus statim, cum quibus dico præponemus crassum, & melancholicum humorem, si uero in qualitatibus, & saporibus præter naturam erit, si fuerit mixtus bili, & plus fuerit de bile, quàm de sanguine, sanguinem quidem mittere cōuenit, sed parce, quia dicebat Gal. in quarto de Tuen. Sanit. Cū humor est mixtus sanguini modo non sit crudus, nec multū recedens à natura sanguinis facere quidem debetis missionem sanguinis, sed parce, & si multum redundauerit prius est euacuandū, ideo

dicebat Rasis, cum fuerit sanguis mixtus cum bile eua cuanda prius bilis est, sed nō est hoc semper faciendū, & ratio sua est; cum plurimum abundat bilis, quia si tunc educeretis sanguinem qui frenum est cholerae effrenitaret, ideo cum plurimum bilis erit cum sanguine prius euacuandum est corpus postea mittendus est sanguis, & si haberet saporem acrimoniae, uel salsedinem cum remittentibus salsedinem, & saporem malum, quae etiam habent uim emplasticam, contemperare debetis, si bilis dominetur oportet eam primo concoquere, uel praeparare, non habendo ordinē prioris, uel posterioris quia quandoque debemus prius praeparare, quandoque uero prius concoquere, & si non sint praeparati, sed quia natura praeparat primo ita facere debet medicus. Hucusq; de decoctionibus, quae à natura fiunt diximus, & diximus uobis tunc esse aduertendum, ut sciretis quid Ars factura esset, & hic locus est. Medicus ergo debet esse occupatus materia non praeparata circa haec duo, circa praeparationem, & circa concoctionem, & scire aliud esse praeparationem, aliud concoctionem, praeparantur humores cum sunt nimis crassi, & natura non possit concoquere nisi incidantur, uel cum uiscidi sunt, ut non possit colligere ipsos, & conficere, uel nimis tenues, ratione cuius tenuitatis imbibiti sint, uel extraneum saporem amarum salsum, acrem habuerint, qui naturae admodum infesti sunt, & quicunque chylus, aut cibus habuerit hunc saporem alimentum illud parum nu-
triet

Praeparatio quid

triet, quoniam ſapores habent aduerſos naturæ. Secun dum igitur diuerſitatem naturæ humorum præparatio uaria fit, præparatis autem humoribus concoctio fit à calore innato. Et hic aduertendum eſt, & cauendum, ne ea quæ interius aſſumuntur, & extrinſecus applicantur, & exhibentur pro concoctione calorem in qualitatibus nimis mordacem habeant, ſed præuidere, ut calor ſeruetur temperatus, quia natura eſt illa, quæ facit concoctionem, ideo in febrientibus cum calor eſt nimis acris cum refrigerantibus procedimus, ut reducamus ipſum ad temperamentum. Si uero fuerint frigidi humores: & calor non ſit in natura ſua calefacimus, ſed non igneſcimus, quia uolumus tantummodo temperamentum, quia à moderato calore fiunt concoctiones, & cum his quæ exterius applicantur, ne calor diffletur, ut in ardente febre, & qui habent humores tenues ideo cum temperamento aeris debent contemperari, idcirco ſi ægritudo fuerit frigida cubiculum temperatum, uel calidum aliquantulum, ſi calida fuerit aerem frigidiuſculum eligimus, ut calor naturalis ſeruetur in debita proportione, & temperamento, ſeruare etiam hominem inquiete. Et hæc ſunt neceſſaria à natura ducti, & ut habitet in loco calido, immo præparatur quid extraneum, ne patiatur frigiditatem, nec aliquis ita temerarius eſt, cum uoluerit ſuppurare ut excedat caliditatem primi gradus, & ſi materia rebellis fuerit non excedet ſecundum, tandem ſcopus eſt, ut ſeruetur calor naturalis in proprio

temperamento, cum ille sit qui concoctionem faciat in corpore humiditati iunctus. Quando igitur cogitatis facere concoctionem cogitabitis innatũ calorem conseruare si adest, si non adest reducere ad temperamentum, si fuerit materia frigida pituitosa reduci debet ad temperamentum, & calescere: si crassa incidi debet, si uiscida abstergi, quia nisi abstergetis ea à parietibus calor naturalis non poterit amplecti, si fuerit siue pituita, siue bilis, uel mixta ex his tenuis ita imbibita, ut non poßit calor, quia ita est profundata, conficere, debet prouideri, ut fiat craßior contemperando per admixtionem alicuius quod non ita acre est, sed potius emplasticum sit, sicut uinum, & syrupus, si uero nimis crassa est, per admixtionem, sui oppositi contemperabitur, præterea si habuerit acrimoniam, uel saporem malum, talis acrimonia, quia facit ut natura non aggrediatur concoctionem, debet contemperari, & si acris fuerit, & tenuis emplasticum aliquod erit commodißimũ, ideo ubi tenuitas sanguinis habuerit acrem mordacem saporem, ut in sputo sanguinis ex mordacitate et acrimonia pituitæ tenuis emplastica exhibeantur frigida, & humida, & soleo ego, in his preparationibus habere aquam uiolaceam, Farfaræ, Nenufaris secundum intentionem caloris, & acrimoniæ, gumi, & tragachanti, et conficere quoddam habens substantiam uiscidam quadam tenus cum sacharo, & cum cocleari sæpe sumere, & hoc fit in tenuibus acribus, & salsis mordẽtibus, plura alia instrumenta sunt, sed hæc

pro

pro exemplo ſint dicta, & ita ſcitis quomodo præparanda ſit materia craſſa, quomodo uiſcida, quomodo tenuis, quomodo acris, uel ſalſa, & ita habetis omnes modos. De melancholico autem humore, quomodo ſit concoquendus, hic eſt difficultas, nemini dubium eſt, quod quia craſſum debet incidi, ſed cum quibus non uidetur facile. Si enim cum rebus calidis, & ſiccis, & prouocantibus urinam, ſicut ſunt aniſum, ciminum, fœniculum, radix petroſelini, aſparagi, quæ habent uim incidendi, ſiquidem id facitis imminet periculum, ne calefaciendo ſanguinis partem tenuiorem tollatis, & craſsior relinquatur, & tunc duabus rationibus offenditur primo, quia facitis corpus calidius, ex conſequenti magis aptum ad generandum humorem melancholicum, præterea exiccans illam fecem, cuius oppoſitum eſſet faciendũ, quia deberetis humidum ponere ad contemperandam ſiccitatem illam, ſiquidem cum incidentibus uultis procedere ſine calefactione, ut eſt acetum, ſuccus limonum, quia ſicca & frigida ſunt erit magis rebellis humor, præterea Hipp. quarto de ratione uictus in acutis morbis dicit in textu, acetum picrocholis maxime conuenit, quia facit bilem degenerare in pituitam, iſtis uero, qui humore melancholico abundant malum eſt, quid ergo faciendum? Auic. etiam cum uideret acetũ uſum habere ex una parte in humore melancholico, ex alia contrariari authoritati Hippo. dubitat nunquid acetum conueniat humori melancholico, nec ne, nec ſoluit, ſed ambiguum relinquit, Domini du-

quomodo Melancholicus concoquendus.

Magna difficultas

Avi: dubitat an acetum conveniat Melancholico humori.

bitatio eſt maxima, & non poſſumus ſoluere dubitationem, niſi ſumamus indicationes à natura rei, et quia craſſus eſt humor, oportet illa indicatione uti communi, quod ſit incidendus, ſed cum quibus, nulli dubium eſt quod non eſt cum calidis, & ſiccis præparandus, & ita uerum eſt, ut in extrinſecis etiam appareat, quia omnia frigore coagulata quarto Meteor. indigent, ut etiam Galen. ait in quinto de ſimplic. medicina in cap. de mollientibus medicinis per calidum liquefieri, ideo ubi pituita craſſa eritcum calidis, & ſiccis incidi debet, ſed ubicunque aliqua materia ita craſſa eſt propter calidum adurentem reſoluentem tenuiorem partem cum calidis, & ſiccis nullo modo poterit reduci, ſic nec lapides in fornace cocti cum calidis, & ſiccis unquam reduci poterunt ad tenuitatem, & ideo in calculis à calefacientibus cauere debemus, quia craßiores adhuc fierent cum duri facti ſunt à calido, ſed per oppoſitum potius debet præpari, cum quibus ergo? credo quod natura rei uos docebit certum eſt talem humorem non poſſe cum calido, & ſicco tenuem fieri, ſed ſi uolumus diſſoluere oportet cum oppoſitis id facere. igitur calida, & ſicca nõ conueniunt, & propterea caueatis à ſyrupo de epithimo, licet alij medici cõcoquentes materiam melancholicam ipſum extollant, et ſi quæratis cur id faciant, reſpondent quia epithimũ euacuat humorẽ melancholicũ, ſed id concedatur cum euacuare intendant modo tantæ uirtutis ſit, ſed bene conſiderate ingredientia, ſimiliter ſy-

rupus

rupus de fumo terræ adhuc est deterior, quia omnia ingredientia calida sunt, & sicca, & fumus terræ bilioso conuenit propter abstersionem, sicut etiam absynthium, & multa alia, quæ abstergunt, & mundificant, ideo dicebat Galen. bilioso magis conuenire, quàm pituitoso absynthium, quia abstergit, & mundificat, sicut igitur absynthium non conuenit biliosis, ita nec fumus terræ, & licet sena ingrediatur, & multa alia, quæ euacuant humorem melancholicum, an uero præparent, uideatis uos. Hæc sufficit dicere, Mesue dicit Ellectuarium Diaphinicon esse medicinã securitatis, et syrupos istos id aiũt efficere, quia hæc Mesue dicit, sed oportet ingredientia contemplari, bene Diaphinicon aptißimum est ad colicos dolores, sed quod medicina sit securitatis, & similiter syrupi isti cum pluribus, cum alijs præparent humorem melancholicum, si uidebitis ingredientia oppositum erit, calida ergo & sicca expellenda sunt in præparatione humoris melancholici, sed nunquid Acetum sit eligendum cum frigidum, & siccum sit? utique, sed oportet facere sicut cum scyrrhum exterius induratum Medici curare intendunt molliunt primo cum calidis, & humidis, ut ad temperamentum deducatur propter admixtionem horum, postea incidenti medicamento utuntur ad incidendum rem iam molle factam, postea euacuant cum re faciente difflare, & si interius cum re euacuante ipsum humorem, ideo prius contemperandus est humor cum humidis, & liquidis,

Electuarium Diaphinicon

quidis, præparatum incidere, postea paulatim euacuare, & paulatim concoquere, propterea Moderni optime composuerunt syrupum de pomis, quia ibi est succus pomorum dulcium, in quo est humiditas, & caliditas, & syrupus etiam de liquiritia simplex, & omnes illi qui declinant ad humiditatem, & caliditatem, in quo parum est de Violis, & multum de sacharo conuenit, quia non habet nec caliditatem, nec frigiditatem insignem, postea uti aceto ad incidendum licebit, sicut in splene inflato acetum efficacißimum est, si eo uti scimus, aliter faceremus duritiem splenis magnam pertinacem, & ad scyrrhũ perduceremus, ita quod prius debet molliri, uel miscere acetum, & scylliticum cum Bdellio, Ammoniaco, adipibus, & pinguedinibus ad emolliendum, & ideo acetum si recte eo uti scietis, non erit aduersum, ideo cum Auic. dubitaret debebat soluere, quantum ad authoritatem Hipp. quod bilis ex usu aceti transit in pituitam, hoc uidetur contrariari principijs Hippocratis quòd id, quod per ulteriorem adustionem factum est tale, reducatur ad cruditatem, & ad pituitam, quæ humor crudus est: nisi diceretis, quod refrigeratur uentriculus, & cum non generet bilem, sed pituitam, ideo usus aceti facit bilem degenerare in pituitam, hæc possent dici, sed uerba illa non possunt sic intelligi, quod etiam acetum sit contrarium humori melancholico, concedo, sed uti eo modo dicto aptißimum est, ad authoritatem dicamus, quod liber ille non est Hipp. sicut eum multis in locis uituperat

Gale-

Galenus, quare autem dimiserit Galenus declarare hanc rem, tam scitu dignam & necessariam, nescio, Et hæc satis sint quoad indicationes, quæ sumuntur à materia circa eius concoctionem. Circa autem euacuationem materiæ, indicatio à sanguine sumitur, ut per uenas euacuetur, ab humore bilioso, pituitoso, & melancholico, ut per pharmacum educatur, et hæc quoad indicationes à materia. indicationes uero à causis efficientibus semper per oppositum sumuntur, si mala tēperatura calida, uel frigida erit causa fluxionis, si calida infrigidanda, si frigida calefacienda, si uero fuerint extrinsecæ causæ efficientes, si non perseuerant non sumuntur ab ipsis indicationes, si enim exempli gratia crapula fuerit, & amplius non crapuletur, nulla à crapula sumetur indicatio nisi adhuc perseueret, & tunc indicatio est, ut remoueatur, ita de aëre, somno uigilia, Venere, & reliquis dicendum est. indicationes uero, quæ à cruditate, & coctione sumuntur præceptum est Hipp. si fuerit crudus, ut non euacuetur, nisi concoquatur, si coctus euacuetur, & uiæ præparentur, & quoniam indicationes sumuntur tam à cruditate, quàm etiā à malitia, ideo si materia uirulenta fuerit, cum omnis uirulentia, & uiriditas, & omne extraneum in humoribus à mala putredine proueniat, tertio de Facult. nat. fiuntq; infinitæ species uenenosorum humorum propter putredinem ipsam sexto de locis affectis, ideo quia putredo est mater malitiæ, si remouere uultis malitiam, oportet remouere putre

Indicationes a Causis Efficientibus

dinem

dinem euacuando id quod putridum est, & præseruã do id quod putrescere debet per euentationem caloris, Hactenus de indicationibus, quæ sumuntur ab omnibus differentijs fluxionum, & recte circa particularia debetis operari, sed adhuc in uniuersali sitis, ad ultimum tamen deuentum est, ut ad particularia accedere poßitis dummodo habeatis materiam simplicium compositorum, simplicium quidem quo ad historiam à Diosc. quantum uero ad eorum uirtutes attinet, ut sciatis methodo, quæ aperiunt, quæ abstergunt, mundificant & incidunt, de quibus à Galeno in v. de simpl. medicina, & à nobis in libello simplicium, quoad hystoriam compositorum habetis à Galeno in libello de Antidotis, & in lib. de compositione medicamentorum secundum loca à Mesue, & à Nicolao, & luminibus uestris, quoad artem componendi dedimus Nos aliqua, quæ tandem explebimus, & estis nunc in illo casu, in quo sunt duo, qui didicerunt quomodo cũ gladiatore certare debeant, sed nondum in singulare certamen descenderunt, qui si non timeant, & præ timore aboleatur ars optime pugnabunt, & ut hoc commodius faciatis exemplum particulare afferam, & manendo in principijs iam fundatis sopponatis nobis iuuenis annos natus. xxv. calidæ, & siccæ temperaturæ, istæ habet caliditatem uentriculi, & cerebri à natura sua, sed propter ætatem, & temperaturam deuenit in omne deliquium sex rerum non naturalium, ebrietatibus, crapulis, & omni genere ciborum usus

Casus Particularis

sit,

ſit, diu noctuq; eis indulſerit, dormierit ſub aere nocturno, & in terra nihil abſtinendo prorſus ab omni re, quam dictauerit ei appetitus, Veneri etiam pluſquam poterit operam dederit, portauerit arma, loricam, galeam in capite diu noctuq;, & cum iſta fecerit inceperit redundare excrementis pituitoſis, & ad frigidam, & humidam uentriculi, & capitis temperaturam lapſus fuerit, ſicut omnes incurrent, qui ita uixerint, Et ob talem temperaturam inceperit habere iſta ſymptomata, leuem primo tuſsiculam & ſiccam, difficultatem quandam anhelitus, præterea dolorem habeat in profundo pectoris, & neſciat dicere locum, præterea dolor augetur cum defatigatur ut habeat maiorem difficultatem anhelitus, & omni leui labore defatigatur, ut cogatur ſedere, fit pallidus, & in facie ueluti tumeſcẽs albas, tenues, ſpumoſas habeat urinas, pulſum inæqualem, mollem imbecillum, & paruum habeat, præterea leuem quandam febriculam, quam uix ipſe, nec medicus poteſt dignoſcere, & circa collum percipiantur glandulæ tumefactæ, & percipiatur, quod ceruix ſit ueluti ligata, & non poſsit eam mouere, præterea patiatur nauſeam, proſtrationem appetitus, & abhorreat carnes, & unctuoſas res, & ex quocunque leui cibo impleatur, habeat ſitim, ſed ex tinguatur cum biberit, & inflatur, qui uiderit hunc iuuenem iudicabit catarrho laborare, ſed ſcire naturam eius & rectam curationem habere, & diſtinguere materiam catarrhi hoc opus, hic labor eſt. Notetis igitur

Laborat ... Catarrho

uos meministis accidentia, temperaturam, & ætatem iuuenis hæc docebunt uos facere colloquia, & hæc sunt uestra, reliqua Fortunæ. Debetis igitur primo considerare in isto iuuene istum catarrhum non esse simplicem, sed multiplicem, non tamen uariari secundum materiam, cum una sit, nec secundum causas efficientes, quoniam eædem sunt, uariatur autem secundum loca, quia diximus distinctionem fluxionis uersari circa tria, circa locorum uarietatem, materierum & causarum efficientium, cum igitur hic eædem sint causæ naturales, eædem efficientes ergo secundum locorum diuersitatem diuersificatur habet ergo iuuenis iste distillationem catarrhi, quæ fluit per uenas à capite ad partes thoracis, & hoc indicat tußicula illa sicca, quia materia illa non diuertit ad pulmonem, nec ad brancũ, ut excernatur per tußim, sed ad uenas tantum, nec expuitur, quia nondum concocta, nec præparata est, & quoniam partes pectoris læsæ sunt a defluxu materiæ per consensum etiam pulmo læditur, & ideo quærit expellere nocumentum illud, & fit tußis illa sicca, habet difficultatem anhelitus, quia uenæ thoracis oppletæ sunt, & non potest fieri liber motus thoracis, tum etiam quia dolet. Nam non potest erigere, quantum opus est, in profundo est dolor, quia uenæ sunt in profundo, nec in quo loco sit dolor percipitur, quia materia non est in uno certo loco, sed in uenis percipitur dolor cum mouetur, quia ex motu calescit materia, ex calefactione turgescit, & augetur dolor,

Primo ad consi-derandum.

lor, & difficultas anhelitus, quia ex dolore, & inflatione uenarum minus potest nã dilatare pectus, defatigatur ab omni leui causa, quia defatigatur anhelitus, & humor pituitosus transiens ad uenas pectoris refrigerat calorem innatum, & cruditates fiunt, ideo liuor apparet, & tumor præterea in facie cernitur, & pallidus est, quoniam dispositio hæc ad cahxiam tendit quia abundat crudis humoribus albas, tenues, & spumosas habet urinas, Albas quidem, & tenues ob cruditatem, & obstructionem in partibus corporis existentem, quo fit, ut serum sanguinis, & bilis implicetur, & commisceatur cum humore pituitoso, & uiscido, sed cum fit postea concoctio crassæ, & albæ fiunt. spumosæ uero fiunt ob descensum pituitæ à capite per uenas decurrentem, quoniam urinæ indicant, quæ apparent in uenis.

Pulsus autem paruus mollis, imbecillis, inæqualis iudicat pituitam destillare à capite per uasa arteriosa, paruus quidem pulsus est, quia diminutus est usus, quoniam tres causæ contentiuæ concurrunt in pulsu, Virtus mouens, neceßitas, quare moueat, & instrumentum, Vbi hæc tria ualida fuerint, pulsus fiet magnus cum uero deficiunt, fiunt aliæ pulsuum differẽtiæ, fit igitur paruus, quia deficiunt conditiones, cur dilatetur, & primo non adest neceßitus tanta, quia cũ descendat humor pituitosus frigidus per uenas necessario refrigeratur sanguis, spiritus, & calor naturalis, Ex quo igitur cessat neceßitas euentationis, ideo pulsus

quare paruus Pulsus

pulsus fit paruus seipso. præterea instrumentum non est ita temperatum, sicut esse debet, quia ut debite dilatari poßit, nec adeo molle, nec adeo tensum esse debet, quia utrunque est ineptum. si autem memoria tenetis quæ diximus ex Galeno in quarto de causis pulsuum quod humores descendentes per uenas frigidi mollem faciunt arteriam, ideo instrumentum redditum est ineptum, quæ est secunda causa necessario concurrens. tertia etiam necessaria est, scilicet uirtus mouens, cum autem calor, & spiritus sunt refrigerati, & innatus calor sit ipsa met uirtus teste Hipp. uel proximum uirtutis instrumentum, ubi languescit calor uirtus etiam languida reddetur, cum ergo hæc tria facta sint inepta, non est mirum si paruus sit redditus, quod etiam imbecillis sit patet, quia imbecillis est uirtus mouens, quæ facit pulsum uehementem, ideo imbecillior fit in pulsatione circa tactum, nec ualide resistit. Apparet præterea imbecillitas magna, seu inæqualitas, & hoc est proprium humidi aggrauantis uirtutem, & tanto inæqualior redditur, quanto materia in partibus pectoris, & pulmonis cordi uicinioribus erit, quoniam cor à fumis, & uaporibus longe magis afficitur, & aggrauatur, & cum expellere conatur nocumenta, illa nocumenta inæquales motus faciunt, & quoniam arteria motum cordis sequitur, pulsus etiam inæqualis redditur, cum ergo per uenas in casu nostro materia pituitosa declinet ad partes pectoris, quæ grauis, & corpulenta est, ideo tanta inæqualitas percipitur, quæ tamen

Quomodo inæqualis.

Arteria motum cordis sequitur.

tamen non apparet tanta, cum biliosus humor diffunditur per uenas, præterea habet frequentiam, quoniam necessarium est, ubi pulsus minor seipso redditur, & imbecillior, ut ratione imbecillitatis, & mollitiei non posit dilatari usque ad necessitatem, tunc uirtus languida quæ non potest cum uelocitate supplere, supplet cum frequentia. Et sicut alias diximus frequentia postea nunquam separatur, & quanto uirtus languidior efficitur, frequentia augetur, habet præterea iuuenis iste febriculam adeo occultam, ut uix ab ægro, & à medico percipiatur, hæc autem febricula oritur propter obstructionem, & propter putredinem consequẽtem obstructiones ipsas in partibus pectoris uicinis cordi, & quia tarde, ac lente putrescit, quoniam humor segnis est, ideo febris latica, seu typhodes fit, quæ adeo hecticæ assimilatur, ut distingui non posit, nisi à sola pulsus inæqualitate, à motu enim uix dignosci potest, in hectica enim quatenus est hectica pulsus æqualis est, quia uirtus non aggrauatur à multitudine humoris, præterea non tantum in isto iuuene destillatio ad partes pectoris decumbit, prout indicant signa propria, uerum etiam ad alias partes, prout signa attestantur, potissimum autem ad glandulas colli per uenas extrinsecas, ideo intumescunt, & quia musculi replentur humore à capite defluente, ideo motum ædunt difficilem, hæc duo symptomata indicant eandem materiam, quæ ad pectus per intrinsecas uenas defluit, per extrinsecas ad collum descendere. de-

Habet or fe- brriculam

inde alia pars ad uentriculum decumbit, prout nau-
sea attestatur, & causa huius pituita est, quæ à cere-
bro descendit ad uentriculum, quæ pertransiens per
œsophagum adhæret faucibus, quia uiscida est. Virtus
autem attractiua uentriculi dum uiscidam pituitam in
eo loco contentam, & impactam abhorret, nauseam
facit, & cum decumbit in uentriculo uomitũ facit, ideo
tales euomunt, & plurimum expuunt. Hic posset du-
bitari an sit uerum, quod dicebat Gal. in primo Apho.
in quodam suo commento, nihil excerni à uentriculo
sine uomitu. Considerabitis uos. Adsunt præterea alia
signa indicantia catarrhum ad uentriculum descende-
re, & inter cætera, sitis illa, quæ extinguitur à quoli-
bet leui potu, potißimum indicium est, sed unde hoc fit,
quod cum potius deberet pituita, quæ frigida & hu-
mida est sitim extinguere, causa huius est, quia cum
pituita in uentriculo est moram facit in eo, & cum sit
in loco calido, nec poßit libere concoqui multi uapo-
res putridi calidi ascendunt ad os uentriculi, & cale-
faciunt ipsum, & homo excitatur ad sitim à uapori-
bus illis, ut refrigeretur, deponuntur autem ex quo-
cunque potu, & innatant in uentriculo, & ibi nau-
seam faciunt, & hæc signa indicant catarrhum ad uen
triculum descendere. Et ita habetis, iuuenem ex parte
quidem materiæ unica, & simplici destillatione affe-
ctum, sed respectu locorum, per quæ defluit triplicem
pati affectionem, & dispositionem præter naturam,
patitur primo tumefactionem in collo, & abscessum
cum

Dubitatio

Sitis unde

cum impedimento motus, secundo difficultatem anhelitus cum dolore in profundo pectoris, & cum febricula ratione catarrhi per uenas defluentis ad partes illas, tertio propter catarrhum ad gulam defluentem, rugitum patitur, & nauseam, nauseam quidem ob pituitam admistam cũ cibis, rugitũ uero, quia uirtus contentiua non continet. Et ideo Galen. in tertio de causis symptomatum inquit, quando uirtus contentiua humores, uel cibos exquisitißime non amplectitur, & continet, quantum & quomodo opus est, rugitus, & flatuositates plurimæ fiunt cum reliquis symptomatibus, & ita habetis signa indicantia species catharri quoad loca affecta. præterea debetis cõsiderare materiam in hoc catarrho, quæ frigida pituitosa & crassa est, ut ex illa urina alba, tenui, & spumosa indicatur. Accedit ad hæc pulsus paruus languidus, inæqualis, quæ omnia frigiditatem, & craßitiem indicant, glandulæ etiam circa collum quid aliud indicant, quàm humoris frigidi dominium, quando sine membri inflammatione sunt, & id quod per palatum descendit, sine salsedine est, hæc indicant materiam pituitosam esse, quantum uero attinet ad causas efficientes catarrhũ, quando iuuenis iste erat calidæ, & siccæ temperaturæ, & in florenti ætate, catarrhum tamen patitur frigidum, signum est caput, uentriculum, & totum corpus fuisse maxime lapsum, & quod uentriculus à natura sua temperiei calidæ ad malam acquisitã lapsus est tùm ob malam uictus rationem tam circa cibum & potum,

Rugitus & flatus quomodo fiant

qualis Mã istius Pituit:

Causae effi: cientes

quàm circa uenerem, circa somnum, & uigiliam, & circa omnes res non naturales, tùm quia portauit arma diu, noctuq́;, ideo dicendum est cerebrum, & uentriculum incidisse in frigidam intemperiem, & hoc quantum ad causas efficientes tàm extrinsecas, quàm intrinsecas. Vnum aliud præterea considerandum est, antequam ad curationem accedamus, an scilicet morbus sit in principio, uel in medio, hoc est, an materia cruda sit, uel concocta, ut sciatis, an cito euacuare debeatis, an uero materiam præparare, et nunquid maligna sit, nec ne, certe materia cruda est, prout urina alba, tenuis, & spumosa indicat, tum etiam quia tußis sicca est, & sine sputo, præterea durities in glandulis, præterea flatus indiscußi plurimi in uentriculo indicant materiam frigidam, non obedientem, et crudam, ideo sumus in principio, & hæc sunt, quæ attinent ad totam considerationem morbi. sed antequam ad curationem accedamus oportet primo uidere quid præsagiendum sit. Dico quod casus admodum difficilis est, & multum temporis conteretur, & non erit tutum, quin incidat in deteriores ægritudines, tùm quia multum humoris, & pituitosus ille est, qui causat huiusmodi symptomata, pituitosus quidem prout accidentia indicant, multus uero, quia per uenas intrinsecas, & extrinsecas transit, & per canales amplos, cum ergo materia crassa frigida, & uiscida sit indicat ægritudinem fore longam, præterea, quia erat etiam calidæ, & siccæ temperaturæ, & cum lapsus est ad frigidum, & humi-

Præsagium

humidum, antequam reducatur ad propriam temperaturam multum temporis conteretur, & quia euacuatio sola non curabit, quia oportebit adhuc cerebrum, & uentriculum ad pristinam temperiem reducere, maximus erit labor, præterea periculum imminet, ne ad rupturam uenæ pectoris deueniat, immo omnia habet requisita ad id pronunciandum, habet dolorem in pectore, flatuosatur materia, & augetur difficultas anhelitus in motu, ideo periculum est non paruum, ne sanguinem expuat, ideo quando se casus offert hæc prognosticari debetis quod erit longus difficilis, & cum periculo, ne incidat in rupturam uenæ. His omnibus recte consideratis tunc ad curam accedetis, & ea erit prout proposuimus in indicationibus uniuersalibus, habet iuuenis iste distillationem à capite, & caput mandans excrementa totum etiam corpus mandat, præterea lapsum est à temperamento proprio, quia mandat, duæ indicationes sumuntur, & duo habetis facere primo excrementa in toto, & in capite redundantia euacuare, secundo caput corroborare, sed totum corpus primo euacuabitis, secundo caput, tertio corroborabitis, euacuabitis autem totum per sanguinis mißionem primo, per pharmacum secundo, quia cum pituita per uenas: defluat opus est phlebotomia, tùm ratione euacuationis, tùm etiã ratione auersionis, propter periculũ rupturæ uenæ, et quia humores sunt extra uenas, quia pituita in uentriculo est, & quia caput excrementosum est post uniuersalem euacuatio-

Quando ad curam accedendum.

Quare sanguis mittendus.

Quibus instrumentis Caput purgetur.

nem caput euacuabitis cum illis instrumentis, quæ id commode possunt efficere, quæ tria sunt caputpurgia, masticatoria, illa per nares, hæc per palatum euacuant, tertium instrumentum sunt gargarismata, quantum uero attinet ad secundam indicationem, quæ se tenet respectu mandantis, quæ est corroborare caput, corroboratione proprie dicta, quia duæ sunt corroborationes, una impropria, et ampliori significato sic dicta quæ est membri constrictio, ne recipiat. alia est corroboratio propria, de qua diximus abunde in superioribus, & hæc est reductio membri ad proprium habitum, cum fuerit ab ipso lapsum, & caloris innati, ac spirituum, humorum & solidorum reparatio, cum ergo caput sit lapsum per frigidum, & humidum, indiget corroboratione proprie dicta, hoc est reductione ad propriam temperiem, & quia temperatura frigida, & humida est per calidum, & siccum fieri debet, quia curatio omnis fit per contrarium. Quantum igitur ad membrũ mandans attinet, opus est euacuare excrementa omnia, quæ sunt in ipso, tam ea quæ à toto defluunt ad ipsum, quàm ea quæ in capite generantur, & dedimus modum, cum quibus instrumentis id fiat. His peractis oportebit postremo caput corroborare cum calidis, & siccis & tunc membrum mandans commode curabitur. Quantum uero ad membrum recipiens attinet, indiget & ipsum sua curatione uaria tamen, & primo prouidendum est, ne recipiat, quod quidem duobus instrumentis fiet, primũ est

Membrum Mandans. Duæ sunt Corroborationes. Propria. Membrum Recipiens.

corro-

corroboratio membri improprie dicta, quæ cũ astrin gentibus & repellentibus exequitur. secundum instru mentũ est auersio, quoad auersionem ipsa quidem per petua est, in omni casu, corroboratio uero nõ est per petua. Est igitur semper ab auersione incipiendum, siue ad partes aduersas, quæ sunt membra parata su= scipere excrementa, siue ad pectus, siue ad iuncturas, siue ad uentriculum defluat materia, & eam ducere per regionem eam, per quam commode exire potest, sed quia in casu proposito uariæ sunt uiæ, per quas fluit destillatio, uariæ sunt etiam auersiones, materia enim quæ per uenas defluit, optime per oppositas ue= nas auertitur, quæ per canales amplos per alios di= stantes. Quantum uero attinet ad repercußionem, ut ad astrictionem membri, non est æqualiter fienda, & quia pars materiæ ad uenas, pars ad uentriculum, altera pars ad pectus defluit, si de ea loquamur, quæ ad uenas defluit, non est repellenda, quoniã fluxio hæc non est uera fluxio præter naturam, & per conse= quens non indiget repellentibus, nisi peccaret in mali= tia, uel in multitudine, sed id rarißime contingit, ideo non est repellenda, sed diuertenda, & euacuanda, uel deriuanda, locus autem affectus non est tangendus, quia loca illa destinata sunt superfluitatibus. Quantũ uero ad materias, quæ per uenas pectoris defluunt re percußionem eius quærere debetis, non quidem cum exterius repellentibus, quoniam talia sunt abomi= nanda dicebat Galen. quinto Methodi, propterea quia

refrigerando partes illas aptiores fierent ad fluxum ſuſcipiendum. Quantum uero ad repellentia per interius exhibenda non debetis eſſe prompti ad quodlibet repercutiens, opiata quidem cauete, phylonium uero quod tam facile iſti moderni exhibent eſt abhorrendum, quoniam ita refrigeratis partes illas, quod fierent habiles ad perpetuas fluxiones, & nunquam catarrhos tolletis, ideo repellentia, nec multũ frigida, ut opium, nec multum aſtringentia eſſe debent, qualia ſunt ea omnia, quæ exaſperant, ſicut eſſet ellectuarium factum ex ſucco granatorũ balauſtiorum, uel meſpili, uel ex ſumach, uel aliqua re tali maxime aſtringenti, quia exacerbarent, & exaſperarent arterias, & tuſſes prouocarent, pulmonemq; exiccarent, & ſputum ſanguinis cauſarent. Debent ergo corroborantia eſſe moderate frigida cum aliquali caliditate, ſicut eſt illud Galeni, quo in deſtillationibus ad pectus utebatur, theriaca noua, uel diaſpermaton ex ſeminibus confectum, in cuius compoſitione ſunt multa calida, uel ſi non uultis iſta, cum moderate exiccantibus procedere debetis, ut eſt zuccarũ roſaceum, quod iuniores Græci rodoſaccarum appellant, cuius uſus maximus eſt, & Auic. aſſerit phthiſicos cum zuccaro roſato ſolo curaſſe, ſunt etiam alia multa, quæ in primo gradu ſunt talia, ſicut eſt ſuccus mirtillorum, ſyrupus de iuiubis, qui leniter aſtringit ſine exaſperatione, ſyrupus etiam uiolaceus compoſitus cũ nucibus aptiſſimus eſt ad corroborandum, ſyrupus de ſiliquis aſtringit ſine ex-

ne ex-

ne exasperatione, & faciunt, ne catarrhus facile distillet ad uenas illas, & præterea zuccarum rosaceum bolus armena orientalis maximam præstat utilitatem, & præseruat à sputo sanguinis, neque curetis quod uulgo dicitur quod astringens sit cum asperitate, quia dico uobis quod lenit, & corroborat sine astrictione ualida, sicut isti existimant, immo summopere errant, quia credunt tantum uim esse astringendi in bolo armena, quoniam in ipsa sunt partes, quæ caliditatem, humiditatem, & pinguedinem habēt, ut ex gustu, & tactu apparet & ubi apposueritis bolum armenam uulneri quod ab ipsis astringentibus exasperatur, & ab ipso non exacerbabitur, sed quia maxime exiccat crediderunt isti, quod etiam maxime, & ualide astringeret, sed non omnia exiccantia sunt astringentia, quia quæ habent in substantia temperaturam talem in partibus suis, ut nec caliditatem nec crudam frigiditatem, quæ faciat acerbitatem habeant, non sunt astringentia, sicut in acerbis per oppositum contingit, in quibus pars terrestris non fuit à calido dominata, sed in bolo armena partes terrestres sunt ita compositæ, & ad talem intemperiem redactæ, ut exiccet, & non astringat, sicut in castoreo quod ualde exiccat, alienum tamen est ab astrictione, diceretis uos cur percipitur astrictio si in ore ponatur? hoc est quia linguam statim exiccat, ideo uidetur quod astringat, & quia creditis in pestilentia ita ualere, sicut experientia comprobatum est, nisi quia Epidemici affectus, & pesti-

& pestilentes febres, ac pestiferæ non nisi à putredine plurima proueniunt, in massa sanguinis ob plurimam humidi abundantiam, & quanto maior putredo est tanto sæuior pestilentialis febris est, & sequuntur in ipsis signa putredinis, ideo pustulæ illæ apparent, Bolus autem armena exiccat sine exasperatione, & astrictione, & ob hanc causam conuenit, quia si astringeret, maius esset nocumentum, quia impingeret materiam, & faceret eam putrefieri magis, præterea si Bolus armena conueniet ratione exiccationis, & constrictionis, cur alia etiam quæ sunt talia non conuenirent? sed hoc est, quia ualidissime exiccat, & non astringit & conuenit Asthmaticis propter plurimos humores descendentes, si astringeret non conueniret, sed quia (ut dixi) ualidissime exiccat, ideo conuenit, Et hoc quantum ad usum boli armenæ, & hæc conueniunt in descensu catarrhi ad pectus, ne recipiat talem distillationem, siue per uenas intrinsecas, siue per uenas extrinsecas distillet, & tandem omnia frigida in primo, quæ non excedunt primum gradum astrictionis conuenirent, & si habueritis medicinam in quarto exiccantem modo non calefaciat, nec astringat ualida astrictione conueniret, ideo bolus armena, quia exiccat, & non calefacit, nec refrigerat intense ratione partis unctuosæ mirum in modum conuenit, quia ultra exiccationem lenit, & loquor de Bolo armena orientali bona, & licet non habeamus descriptionem à Galeno habemus tamen terram synopicam, quæ optima est,

est, Et hoc quoad indicationes, quæ sumuntur in isto iuuene modo ratione membri recipientis. Quid deest adhuc? oportet materiam considerare, quæ frigida, & pituitosa est, quæ debet euacuari, sed oportet, ut prius concoquatur, quia concocta medicari &c. sed antequàm accedatis ad curam oportet & uidere, an aliquid sit prohibens uos à curatione, Et quia in iuuene isto habetis temperaturam ualidam, quia iuuenis est, & uirtutem constantem habet, ideo nihil est quod impediat curam.

His uniuersalibus indicationibus ita propositis, ac distinctis, sicut facere debetis in omni curatione, antequam ad particulares indicationes descendatis, iam uero potestis accedere ad particularem curam, ad quam cum accedetis, necessaria uobis sunt instrumenta, quæ tria sunt in genere, primum est rectam in uictu constituere rationem, secundum est medicamenta eligere, uel propter euentationem, uel propter concoctionem, aut humorum præparationem, tertium instrumentum est si opus est, de chirurgico optime exercitato prouidere, ista tria debent proponi semper, & uidere an uno, uel duobus, uel tribus etiam indigeatis, Aliquando.n. sola ratione uictus indigebitis, quãdoq; ratiõe uictus, & pharmacia, aliquãdo tribus, ut in casu nostro, incipiamus autem, à recta ratione uictus, in qua oportet mentem dirigere ad duo, ad quantum exhiberi debeat, & ad quale, quantitatem quidem nulla alia ratione metiemini, nisi ea quam docuit Hipp. in primo Aph.

de

Consideratis tribus uniuersalibus descendendum ad particularia

de Reg. Acut. & à Galeno in libro de crisi, ut scilicet ad finem ægritudinis mentem dirigatis, quæ si cito terminatura est pauca quantitate indigetis, si admodum breuis erit, & uirtus tolerabit nulla prorsus, ita quòd ratio uictus pluris & minoris, penes terminum, & finem ægritudinis attenditur, sed quoniam ægritudines istæ, quæ iuuenem nostrum affligunt ex lapsu in malo regimine ex materia frigida, & crassa, & multa originem traxerunt, ideo necessarium est, ut in longum protrahantur, & curatu difficiles sint, cum igitur longitudinem præ se ferant mensuranda est quantitas cibi, ut tenui non utamini diæta, immo cauendum est, sed carnes, & uinum aliquando conuenient in quantitate tamen non consueta in sanitate, in casu maxime ubi materia euacuanda est, & forte non inuenietis casum, in quo plus uel tantum cibi sit exhibendum sicut in sanitate, siue addendum, siue minuendum sit, quia circa hæc duo uersatur Medicina dicebat Hipp. Non est quidem addendum in quantitate, nec tantum exhibendum, sicut in sanitate, quia naturalis calor debilior est in ægro, & si non minuetis non pura corpora quanto magis nutrietis, tanto magis lædetis, minus igitur exhibendum est, quam si iuueni sano exhiberetis, detrahatis igitur, sed nõ multum. quoad qualitatem, Tota igitur ratio eligendi ueram ciborũ qualitatem à causa faciente affectum sumitur, & quia affectus iste à materia crassa pituitosa, & uiscida dependet quæ præparanda, concoquenda, & euacuanda est,

igitur

igitur uictus debet esse talis, ut faciat ad præparandum, concoquendum, & attenuandum, ut à natura possit euacuari, uel à medico operante, talis igitur qualitas ciborum erit, quæ attenuet, subtiliet, incidat, & abstergat, & urinam prouocet, quia præter euacuationem fiet auersio materiæ peccantis, Victus autem attenuans talis erit, qualis à Galeno in lib. de attenuante diæta describitur, potißimum autem, quæ attenuant tenuem habent substantiam & abstergunt, quantum autem ad ea, quæ sumuntur ante cibum, quæ acetaria uocantur eligenda erunt secundum anni tempora, Et primo Asparagi, Lupuli conueniunt radices petroselini, Radices Dauci, & Capparis, Dauci inquam quas uulgo Carottas uocant, quando bene coctæ erunt cum aceto, zuccaro, & cinnamomo condita quoniam attenuant, & urinam prouocant, summopere conducunt, neque mihi displicerent radices Cicoreæ, quoniã abstergunt ratione amaritudinis aperiunt, & urinam prouocant, quoad fercula semper in his aliquid apponetis, quod urinam prouocet, sicut sunt radices petroselini cum Fœniculo, & Aniso, semina autem frangetis, & in purißimo panno lineo apponetis simul cum ferculis, & facta optima impreßione cibum facietis, qui attenuabit, & urinam mirifice prouocabit ante cibum uel anisum conditum cum zuccaro, uel fœniculum, aut aliquid tale comedat carnes erunt aues, aut pulli, uel hœdinæ præparatæ cum iusculis, in quibus sit aliquid, quod incidendi uim habeat, ut cum Gariofi=

lo; Mace, Cinnamomo, Et hæc ratio uictus faciet quod materia longe magis ab innato calore concoquetur, quàm synapi, quod aperit & urinam prouocat. quoad potum in principio ubi occurrat nobis aliquis catarrho affectus, siue iuuenis, siue senex fuerit materia nō dum concocta à uino caueatis, quia nocebitis, tum quia in principio caput est plenum, uinum autem euaporat, & sua caliditate poros dilatat, & sic longè plura excipiet excrementa à corpore adhuc malis humoribus repleto, præterea uinum in principio in casu maxime, ubi posuimus multam pituitam in uentriculo existere commiscetur cum pituita, & acescit, & putrescit, Et hac ratione uertitur in pituitam & augetur mala uentriculi temperatura, præterea facit, ut humores non præparati distribuantur ita crudi per uenas, & in uarijs locis uenarum fiunt obstructiones, & febres curatu difficiles, ita ad uasa urinaria, & ad renes angustos facile possent distribui, & facere obstructiones, & calculos, similiter ad iuncturas, & facere diuersas ægritudines, stante ergo cruditate humorum uinum non exhibeatur, potio autem erit ex cinnamomo decoctum, aut Gariofilis, aut ex Aniso, uel Cimino, aut ex Betonica, & Roremarino, in quibus est uis incidendi, Facietis igitur decoctum, uel ex aromatibus, uel ex herbis, uel ex seminibus, in quo addetis oxysaccharum, ex aceto & saccharo optimis confectum, non sicut Aromatarij faciunt, quoniam dulcedinem nimium habent sine sapore acetoso, ideo non requiritur

quiritur talis potus, sed qui fieret ex ualidißimo aceto & uis incidendi perciperetur, & pro ratione uentriculi fieret, sicut docet Gal. quarto de Tuenda sanitate, de oxymelite, ubi inquit fieri debere, uel acidius, uel minus acidum pro ratione corporis, cui debet offerri, Et hæc potio ante purgationem conueniet, Vbi uero fuerit ex parte mundificatus maxime uentriculus tunc uinum conueniet, tum quia uinum uentriculum corroborabit, & præter corroborationem eius per uenas distribuetur & residuum materiæ in uenis existentis ad urinam deducet, tum etiam quia melius excrementa conficientur à moderato calore uini, Vinum autem nec fumosum nec crassum, nec dulce lædens hypocondria erit, sed leue, tenue, bene maturum ut habeat uim syrupi, & paulatim assuefaciendus est, & prius diluetur, postea si fuerit leue, & pauciferum purum exhibeatur, Hæc circa cibum, & potum. De accidentibus animi, quoniam caput afficitur, cuius innata temperies calida, & sicca erat sed propter malam uictus rationem nunc frigidam, & humidam acquisiuit opus est, ut calefiat, & exiccetur, omnia autem animi accidentia immoderata, quæ possunt calefacere, & exiccare sine spirituum resolutione iuuabunt, ideo aliqua breuis iracundia, & feruor spirituum non erit inconueniens, dummodo non ita excandescat, ut spiritus resoluantur, & corpus reddatur frigidius. Quoad somnum, & uigiliam, declinet potius ad uigilias, quia calefaciunt modo sint moderatæ, immoderatæ uero refrigerant,

Potus fuerit Ventriculus purgatus tunc est Vinum dandum

Quale Vinum sit

Accidentia Animi

Somnus et Vigiliae

frigerant, ideo declinet ad uigilias moderatas, & hoc perpetuum est in omni destillatione, & à somno maxime meridiano caueatur. quo ad exercitia, si potest ambulare, quadam tenus exerceatur, & hoc fiat, postquàm in hepate, & uenis celebrata fuerit concoctio, & iam debeat fieri distributio per uacuitates membrorum, nec prius debet exercitari, quam fuerit in fine secundæ concoctionis, & digestionis, & tempus erit matutinum, si uero non poßit ratione ægritudinis se mouere iubeatis ut fricentur longis frictionibus partes maxime inferiores, & post frictiones oleo chamæmelino calido, aut Anetino cum portione uini Aromatici, ut materia diffletur inungetur. quo ad inanitionem, & repletionem iubeatis ut habeat alui beneficiū ad prohibendū euaporationes & si natura defecerit Arte prouidebitis cum clysteribus communibus, primo qualis est ille ex decocto Maluarum, Betarum albarum, Violarum, furfurum, oleo, & uitello oui cum melle rosaceo, & si absque usu clysterum non poßit egerere postquam exhibueritis duos, uel tres leues semper intermiscebimus clysterem magis acutum euacuantem, & in ipso ponetis, uel Hieræ picræ, uel aliquam ex Hieris magnis, qualis est, illa Logodij, Hermetis, uel confectionem Hamech ut per clysteres ipsos abstergi poßit, quod in intestinis est, & quod magis præparatum est attenuatum educatur, & si uobis contingeret ut sæpe contingere solet quod inueniretis aliquem habentem intestina gracilia, uel ob sensibilitatem

maximam,

maximam, aut propter humores impactos in cauitatibus intestinorum, ut cum imponitur clyster incidat in syncopam caueatis ab earum usu, ne in singulis diebus cogatur habere deliquia, quia resolueretur uirtus, ideo loco clysteris exhibebitis aliquid per superius, quod poßit aluum lenire, sicut est decoctũ ex maluis, ex mercuriali, aliquando cum paßulis dulcibus cum sacharo, uel terebintina, quæ omnia uentrem leniunt, uel si hoc non uultis tantillum caßiæ exhibere poteritis quantum essent octo digiti in mensura ad semel saltem euacuandum. Et ista sufficiant quoad inanitionem, & repletionem. Vbi igitur talem institueritis uictus rationem cogitabitis maximã partem artis attigisse, & præter hoc quod maximam partem artis attigistis, & solo etiam curabitur, & tutißime quod non contingit in alijs duobus instrumentis, in quibus periculum est, ideo Asclepiades omnes medicinæ partes ad hanc deduxit. Et quod hoc sit uerũ si ex his tribus hanc partem tollatis, reliquis remanentibus nihil facietis, reliquis uero sublatis hac sola superstite multoties curabitis, ideo ante omnia rectam rationem uictus instituetis, aliter non habebitis honorem, nisi natura regat uos, quia his tribus indiget medicus, arte, natura, & fortuna, dicebat Hipp. Verum est quod si fortuna per se sola uellet, sufficeret, sed stolidi ea potißimum reguntur, quia stolidis maxime fauet. Hæc quoad rationem uictus. Quantum uero ad alia instrumenta attinet chirurgia in isto ægro necessaria est, quoniam

p[er] superius ali[quid] exhibendum

Ante omnia recta victus ratio instituenda

Stolidi potissimum a fortuna reguntur.

Tribus Medicus indiget Arte. Natura. Fortuna.

Chirurgia necessaria

necessarium est, ut utamur phlebotomia, tum quia materia, & destillatio fluit per uenas maxima ex parte, tum etiam propter periculũ imminens, quoniam missio sanguinis non solum conuenit ratione ægritudinis præsentis, sed etiam propter futuram dicebat Gal. in Libello de phlebotomia, periculum autem imminens est, ne incidat in rupturam uenæ pectoris. Ad hoc igitur prohibendum necessaria phlebotomia est, quando autem mittendus sit sanguis, licet ferè semper in principio phlebotomia fiat, in hoc, & in simili casu ad eam non est deueniendum, quia materiæ crassæ & frigidæ per uenas defluunt, & in alterum duorum, ut Galenus in Libello de phlebotomia, & Auic. in quarta primi inquiunt, uel ad calidorum humorum ebullitionem, uel ad frigidorum incrudationem. Oportet igitur, ut materia ista cruda, quæ cum sanguine miscetur in uenis prius concoquatur, & attenuetur, ne pituita sanguini permista maiorem faciat obstructionem, debetis ergo primo euacuare deinde biduo, aut triduo cũ syrupis procedere, postea iubere, ut uena secetur cephalica, quoniã fluxio à capite est quia, ut alias diximus ex Galeni præceptis, aut materia fluit, aut fluxura est, aut iam fluxa est, cum fluit tribus indigemus euacuatione, deriuatione, et auersione, quia debemus semper imitando naturam compendia quærere, & tunc eligere debemus uenam quæ poßit hæc tria facere, hæc autem est uena, quæ locum medium obtinet, cũ uero fluxura est, auersione tantum indigemus, & tunc uenam eligimus

An in principio sanguis mittendus.

quando vena secanda et quã [illegible]

mus maxime remotam. Cũ autem iam fluxa est duobus indigemus euacuatione, & deriuatione, auersionem autem non quærimus, quia iam fluxa est, in casu autem nostro, quia materia fluit cephalica illa tria faciet, quomodo autem facienda sit, an semel, uel iterando eam, ut præcepit Gale. in Libello de phlebotomia dico ipsam non quidem semel, sed iterari debere, quia dicebat Galenus, cum non solum euacuare, sed auertere etiam uultis bis, uel ter, uel quater, prout dictat magnitudo ægritudinis, & corporis affecti conditio sanguinem mittere debetis. Et ita habetis, quod phlebotomia fieri debet, & cur, & à qua uena, & quomodo. Et hæc de parte chirurgi. Quantũ ad tertium instrumentum, & ad eam partem, quæ de euacuationibus est, nemini dubium est, quod totum corpus euacuari debet primo, deinde caput, quoad totius euacuationem scire debetis quod materia crassa, & uiscida, & cruda nõ est mouenda, nec euacuanda, nisi fuerit præparata, & quoniam crassa frigida est, & uiscida, quatenus crassa incidenda est, quatenus uiscida abstergenda, quatenus cruda, & frigida concoquenda, instrumenta autem ad hæc apta, quæ ualde incidunt & abstergunt plura sunt, sed inter reliqua oxymel simplex eligendum est, quia abstergit, incidit, & optimas facit cõcoctiones, quia moderate calidum est, licet Gal. dicat in ipso frigiditatem dominari, & quod pluribus numeris potentius est acetum in refrigerando, quàm mel in calefaciendo, cum tamen alibi dixerit

Iteranda est missio sanguinis

Pharmacia

Quatenus Ma[teri]a crassa incidenda est

quatenus viscida abstergenda

quatenus cruda concoquenda

Oximel simplex

acetum ita esse frigidum, ut dederit dubitandi occasionem an frigidum, uel calidum esset, & ponit acetum frigidum in primo, mel uero in secundo calidum, & tamen dicit pluribus numeris acetũ refrigerare, quàm mel calefacere, possumus excusare Galenum, quando plurimum aceti, parum uero mellis ponitur in oxymelite quod tunc frigidum sit, si uero de eo, in quo plurimum mellis, parumq; aceti ponitur loquamur, prout communiter fit ita calidum erit, uel siccum, ut si iuueni dederitis calido in æstate inflammabitis ipsum, calefacit autẽ oxymel. si nos uolumus rem ipsam mensurare secundum naturam rei, & per methodum illam, quam docuit Gale. & ultra calefactionem incidit & abstergit, præterea syrupus acetosus ex sacharo, & aceto compositus optime conuenit, similiter syrupus acetosus compositus ex duadus radicibus, & ex quinque radicibus, præterea oxymel iuliani compositum efficacißimum est & eo utimur, syrupus de Betonica, syrupus de stæcados simplex, & compositus conuenientißimi sunt, & pro ratione ægritudinis poteritis conuenientiores eligere, sed in casu nostri iuuenis cholerici uiginti quinque annorum non transeatis oxymel simplex, & ad summum syrupum de Betonica, reliqui nimis calidi sunt in hac ætate, decocta erunt ex Betonica, ex saluia, & si timeretis caliditatem hepatis Endiuiam, Boraginem accipietis, uel aquas destillatas ex his, quæ licet sint frigidæ, quia syrupi calidi sunt contemperabuntur. His factis totum

corpus

corpus euacuare poteritis cũ Agarico, et cũ Trochiscis de Alhandal. Dosis aũt Agarici est an drach. i. ad drac. ij. Trochiscorũ uero a. g. viij. usq; ad xv. g. ideo poteritis Agarici præparati accipere drac. ij. Trochiscorũ Alhandal. g. xv. similiter omnes Hieræ compositæ, & magnæ conuenientes sunt. Dimittetis autem omnes medicinas, in quibus est Turbith. ideo Diaphinicon fugietis, et solummodo in doloribus colicis utemini frigido existente corpore, non quod sperem bonum aliquid, sed ex caliditate eius sperarem materiam frigidam posse concoqui, & licet dicat Mesue eam esse medicinam securitatis, uerum est de ea, quam ipse composuit, sed quia nos non habemus Turbith uerum, igitur fugiendum, præterea confectio Hamech, pilulæ Cochiæ, pilulæ Fœtidæ, pilulæ aggregatiuæ optimæ sunt. Hæc quoad uniuersalem euacuationem. Quantum uero ad particularem habemus membrum mandans, & recipiens, pro mandante, & pro euacuatione capitis debemus uti instrumentis à capite euacuantibus, quæ tria sunt Masticatoria, Caputpurgia, & Gargarismata, alia sunt etiam quæ in aure ponuntur, sed euacuatio illa non est conueniens, ut iam diximus, factis uero alijs euacuationibus ex tribus illis duo eligit Caputpurgia, & Masticatoria, Gargarismata uero sunt renuenda, quia ad partes pectoris trahunt materiam, & uos non debetis ad eam partẽ trahere ne cogatis deriuare ad asperam arteriam, & facere multa incommoda. Caputpurgia

Caputpurgia

purgia igitur fient cum aqua Maioranæ, Betonicæ, cum succo Ciclaminis, cum decoctione Ellebori, uel Elaterii, hoc est Cucumeris asinini, Elaterium autem efficacißimum est ad extrahendam materiam à capite, Masticatoria sunt mastix, radix Capparis staphisagria, quibus gradatim uti poteritis, Mastix primi gradus est, radix capparorum secundi gradus, pirethrum tertij & piper. Staphisagria ualidißima est, & omnia hæc, uel plura composita poteritis accipere, & facere pulueres, & cum cera componere, aliter diluerentur per guttur, & facerent excoriationem, cera autem adhæret propter uisciditatẽ, & diu tenetur in ore, hæc de Masticatorijs, & Caputpurgijs, & de capitis euacuatione. pro euacuatione membrorum recipientium, iam uentriculum euacuauistis, quò ad pectus omnia prouocantia tußim, quia per tußim pectoris excrementa excernuntur idonea erunt, ideo syrupus de Farfara, seu de tußilagine, syrupus de hyssopo conuenientißimi sunt cũ decocto seminũ Citri, quia à pulmone per uias urinæ euacuat, & facere poteritis ex decoctione ualida cum zuccaro syrupum. Et etiam syrupus frigidis conuenientißimus, uel decoctum eius ad pectus expurgandum præterea aquæ mellis, & Terebintinæ usus optimus est. Et hæc pro euacuatione membri recipientis, pro euacuatione uero loci affecti, adenis. s. colli mollientia, & resoluentia conueniunt, sicut est oleum Chamemeli, Anethinum, adeps suillus, oleum Amigdalarum dulcium, oleum Costinum

Masticato-ria quo modo paran-da?

Quoad Pectus

Quoad Adenas

Mollientia et Resoluentia Enatia.

num, oleum de Euphorbio, oleum Nardinum ista olea non excedunt secundum gradum caliditatis, & habent uim calefaciendi, & resoluendi, ac mollificandi, sunt etiam composita multa, Dialthea, Hyssopi ceratum Emplastrum de Meliloto, Diachilon sine gummis ad molliendum, & resoluendum. Quantum modo attinet ad corroborationem membrorũ, & primo caput considerare debetis, quod frigidum, & humidum est, non quidem ex sui natura, sed ex malo regimine cum id prius calidum & siccum erat, ideo cum ualide exiccantibus & calefacientibus corroborabitis, primoq́; puluisculos ponetis supra capitis commisuram ex Mace Gariofilis, Maiorana, ex Seminibus Ozimi, ex Cinnamomo, Zingibere confectos qui exiccant cum odore, & calefaciunt, poteritis facere cerata, dropaces, synapismos cum pyrrhetro, Nasturtio, & Tapsia, quæ uesicas faciunt, præterea lixiuia diuersa facere poteritis, in quibus sint decocta calefacientia, & exiccantia, sicut est Maiorana, Rosmarinus, Agaricum ad calefaciendum, & exiccandum, facietis etiam sapones, ex Gariofilis, iride, Laudano, Mace, præterea balnea calida, & sicca destillantia in capite conuenirent, nec aduersatur nobis Galeni sententia, quia loquitur ipse de capitibus calidis, quibus dixit non conuenire calida balnea, et sicca, sed quia iuuenis uidetur incidisse in temperaturam frigidam, & humidam, ideo conueniunt, & hæc quoad corroborationem capitis. Quoad corroborationem membrorum recipientium, & pri-

mo pro corroboratione uentriculi omnia ea conue=niunt, quæ astringunt cum amaritudine, ideo opti=mum est absynthium, ualet confectio Diarhodon, Cō=fectio Aromatici rosati, Diacyminum. Quoad cor=roborationem pectoris Theriaca noua, Mythrida=tum nouum, Diaspermaton, bolus armena zuccarum rosatum. Quæ totum corroborant, sunt Theriacæ magnæ, qualis est illa Antiqua Mythridatum anti=quum, Diamuscum, & Diambrum, &c.

DE PLEVRITIDE CAP. IX.

CVM egerimus in superioribus de fluxionum materia in generali, nihil omisimus circa con=siderationem eius, quod esset consideratu dignum, & post ipsam statim catarrhi considerationem adiunxi=mus, quoniam fluxionis erat species, & indistincte de his seorsum egimus usq; ad curā particularem, in quo nihil omisimus, cum igitur huic tractatui iam satisfa=ctum sit, Reliquum erat, ut uiderem, quomodo possem per compendium in hac maxima temporis angustia utilitati uestræ consulere, optimum duxi post conside=rationem fluxionis in suo uniuersali, nec non in parti culari recte discussam, de reliquis etiam fluxionibus agere, quæ non à capite, sed ab aliqua alia parte, uel ab aliquibus partibus corporis fluerent, sed quoniam fluxio, quæ ab uno mēbro ad aliud decūbit tripliciter

affe=

affectum facere solet, uel inflammationem, uel solutionem cõtinui, ulcus. s. uel fluorem continuum emanantẽ, ut in sputo sanguinis, hæmorrhoidum, uel menstruorum, ex his tribus existimaui me operepretium facturum, si de affluxu illo quem inflammationem appellamus agerem, & quoniam inflammatio tria potißimũ membrorum genera occupat, uel membra ad animales actiones delegata caput scilicet, uel ea, quæ ad uitæ operationes delegata sunt, quæ spiritualia uocantur, uel membra ad functiones naturales delegata, quæ naturalia nuncupantur, Membra hæc sicut genere diuersa sunt, ita etiam habent triplicem naturam, & cum iam de inflammationibus nonnullis in instrumento ad actiones animales. s. de phrenitide, de legato, quæ inflãmatio cerebri est, egerimus uolumus nunc reliquorum membrorum inflammationes considerare, & primo spiritualium secundo naturalium, sed quia inter omnes inflammationes in membris spiritualibus contingentes insignis, & frequentißima est ea, quæ pleuritis appellatur, propterea optimum mihi uisum est, ut de ea ageremus, tum quia maximæ difficultates tam circa distinctionem, quàm circa curationem ipsius emergunt, tum etiam quia uideo circa praxim quàm plurimos hallucinari, circa igitur pleuritidem, ne in æquiuoco laboretis nomen prius uenit considerandum, Et quoad nomen attinet nemini dubium est, quod est nomen dispositionem præter naturam indicans in membrana succingente costas sumptum à loco, sicut Gale-

nus

nus in primo Methodi inquit, quod multæ ægritudines sumunt nomen à similitudine alicuius animalis, ut Elephantiasis, cancri, quædam ab accidentibus, ut Epilepsia, Apoplexia, quædam ab inflammatione & tumore ut ædema, quædam à loco affecto, ut Cephalea, Hepatitis, quæ dispositio hepatis est, Nephritis, quæ à renibus sumit nomen, phrenitis à phrenibus, tale est hoc nomen pleuritidis à latere sumptum, quoniam est in membrana succingente costas, & quia paßio est in ea parte propterea pleuritis à loco appellatur, Est igitur hoc nomen sumptum à loco affecto, Et hæc de nomine satis, quoad rem ipsam Gal. v. de locis affectis in cap. de affectionibus thoracis descripsit pleuritidem hoc modo, idem in primo de crisi, & in pluribus alijs locis esse inflammationem membranæ succingentis costas, quæ descriptio est satis dans differentias quasdã, et rectificans essentiam huius inflãmationis, cum uero dixit esse, inflãmationem mẽbranæ succingentis costas ut habeatis rectã cognitionem scire debetis quid sit inflãmatio, nescietis .n. quid sit pleuritis, ignota inflãmatione inflãmatio aũt debet sciri, quoniã ipsa est a qua indicationes potißimum sumuntur in hac dispositione. Gal. in secundo ad Glauc. & in decimo tertio Therapeu. inquit inflammationem nil aliud esse, quam tumorem præter naturam in parte aliqua corporis cum calore, & feruore magno, qui calor & feruor talis est in loco inflammato, ut maxime febri aßimiletur, & qualis est calor febrilis in toto talis est calor faciens inflam=

Pleuritis hoc nomen sumpsit a loco affecto.

Galeni definitio.

Inflamatio quid.

inflammationem in loco inflammato nec differt in aliquo, nisi quod calor iste igneus est in loco particulari, febrilis uero in toto ut poßit non immerito inflammatio febris particularis appellari, Ex hoc sequitur inflammationem duo necessario habere, alterum quod sit cum materia, & morbus materialis per affluxum, & species fluxionis, & tandem omnis tumor species fluxionis est, ut inquit Gal. in lib. de inæquali intemperie, alterum habet quod est inæqualis intemperies, ex quo percipitur feruor in loco, aliter sensum doloris non faceret, quia iam facta temperatura non sentitur dolor, quia dolor in attractione consistit, ideo duo requiruntur temperatura inæqualis cum feruore & calore, & materia, potest autem fieri à quocunque humore modo calidus sit, uel per naturam, ut sanguis, uel bilis, uel per accidens & frigidus sit per naturam, cum.s. miscetur calido humori ut cum pituita bili permiscetur, uel cum putrescit, sicut pituita putrescens calida est, & febrem facit, si ergo in ampliori significatu accipiatur ab omni humore fieri potest, modo calidus sit, uel per naturam, uel per admixtionē calidi humoris, uel per putrefactionem, ut pituita salsa secundum Galenum, & secundum Auic. quod tamen dubium ualde est per admistionem uaporum acrium ualde biliosorum, quia non uideo quomodo ex permistione amari, uel insipidi fiat salsus humor, & sapor, si tamē uultis accipere inflammationem proprie, nunquam erit inflammatio, nisi ab ipso sanguine puro, & fiet

quomodo Inflamatio differat a febri.

Inflamatio duo habet.

quod sit Materialis

quod habeat Inequalem Intemperiem.

Inflamatio generaliter sumpta

Inflamatio proprie sumpta

fiet tunc inflammatio propriiſsima, & appellatur nomine generis, nihilominus licet à ſanguine puro fiat ſemper uera inflammatio, plures habet ſpecies. Vel iste ſanguis cum non eſt purus admiſcetur cum bile & fit tunc unum genus inflammationis quod Eryſipelas appellatur à ſanguine bilioſo factum, non à bile ſimpliciter, ut aliqui credunt, & falſo, quia à bile ſyncera fit herpes uariasq; habet proprietates, & proportiones, ſi ſanguis ſuperat bilem dicitur inflammatio eryſipelatodes, ideſt tendens ad naturam Eryſipelatis, ſi uero ſanguis ſuperetur à bile dicitur Eryſipelas phlegmonodes.i.tendens ad naturam phlegmonis, uel eſt permixtus pituitæ, & fit inflammatio quæ dicitur inflammatio ædematodes.i.ad naturam ædematis tendens. ſi pituita ſuperabitur à ſanguine, dicetur ædema phlegmonodes & ſanguineum.i. ad naturam ſanguinis tendens, ſi autem fuerit humor feruidus admixtus cũ portione ſanguinis melancholici, & fluat talis ſanguis fiunt inflãmationes, quas Anthraces, & carbunculos appellant, & ſi humor feruidus, & aduſtus ſuperabitur à ſanguine dicetur inflammatio anthracodes.i.tendẽs ad naturam Anthracis, ſi uero ſanguis ſuperabitur, dicetur Anthrax phlegmonodes, et ſanguineus ſi ſyncera fluat bilis, non fit uera inflammatio, ſed quidam tumores ad ulcera tendentes, ut ſerpigines, & herpetes in ſuperficie cruſtas facientes, & ſi dicitur inflammatio nomen ſeparatum habet nomodes, & ulcera depaſcentia, ſi pituita ſimplex fuerit

ædemata

ædemata facit, ſine inflammatione, niſi putreſcat, ſed ferè ſemper ſegnes tumores fiunt, & ab inflammationibus ſeparantur, & abſceſſus potius ſunt, ita cum humor melancholicus purus eſt cancri, & ſcyrrhi fiunt, qui non ſunt inflammationes, inflammatio ergo ſemper à ſanguine fit, ſed quandoque ſanguis ſuperat, quandoque alij humores & hæc habetis à Galeno in lib. de inæquali intemperie, & in ſecundo ad Glauc. ubi ait, quod quando fluit ſanguis per uenas maiores ad minores, & à minoribus ad hoc ad minimas, & per foramina uenarum ad exteriora proceditur, itaq; uult ibi humores ſemper eſſe permixto, ſanguini, & quod hoc ſit uerum id erat argumento, quod ſemper in omni inflammatione uera curatio tum euacuandi, tum auertendi eſt per ſanguinis miſsionem, & remedium nullum præſentaneum eſt magis miſsione ſanguinis per conuenientes regiones, & hoc indicium eſt, quod inflammatio à ſanguine depēdet, ſiue permixtus ſit humori, ſiue ſyncerus Et hæc ſufficiant pro communi conceptu inflammationis, qui deſeruiet uobis non ſolum in pleuritide, ſed etiam in omni ſpecie inflammationis: cum ergo pleuritis ſit inflammatio membranæ ſuccingentis coſtas hæc eſt una ſpecies quæ diſtinguitur ab alijs per locum affectum, ſed uos addite materiam, quia oportet ut utrunque conueniat, ut integrum habeatis conceptum pleuritidis, ſed de loco prius dicemus affecto, ſecundo de materia. Galenus in quinto de locis affectis loco citato dicit inflammationem hanc eſſe

in ipſa

Inflamatio ſemper fit a sanguine.

Dicendum de loco affecto.

in ipsa membrana succingente costas.debetis considerare, ut exquisitißime sciatis naturam huius ægritudinis,quod in thorace extrinseco primo est cutis deinde musculi extra costas, tertio ossa costarum , deinde est membrana succingens costas cum musculis interioribus intercostalibus, quorum duo sunt genera,quidam intrinseci,quidam extrinseci opposito modo se habentes,& faciunt literam.x. in qualibet istarum partium contingere potest inflammatio, in cute quidem,sed hãc nemo dicet esse pleuritidem,potest esse inflammatio in musculis extimis superioribus , sed tunc inflammatio illa tactu percipitur nec dolor acutus multum est, & tales possunt expirare satis commode, quia munus dilatandi competit intimis musculis, comprimendi extimis,ideo in compreßione sentitur dolor,& hoc genus inflammationis nunquam Gal.appellauit pleuritidem, siue ueram,siue non ueram, relinquitur ergo, quod in membrana succingente costas, uel in musculis intimis sit potest utrobique esse,nunquam tamen pleuritis erit nisi sit in membrana, quia de essentia eius est , ut sit in membrana , potest autem dupliciter inflammari , uel primogenio affectu , ita quod incipiat inflammatio,in membrana primo,& principaliter ibi decumbat,postea musculos trahat in consensum , & hanc diximus exquisitißimam esse pleuritidem,quia primario est in membrana,& musculi secundario comprimuntur,cum uero inflammatio, & fluxio faciens inflammationem decumbit in interioribus partibus & musculis,& tra

hit

Partes Thoracis vbi fieri possit Inflamatio.

De essentia Pleuritidis est ut sit in Membrana quae potest dupliciter inflamari..

primo et p. se.

hit neceſſario ad conſenſum membranam, fit tunc inflammatio in membrana per conſenſum, & illa appellatur pleuritis per conſenſum, quia inflammatio primario non eſt in membrana, & hanc non ueram appellat Gal. Auic. autem non aduertens, uel concipiens aliter dixit nonnulla ſatis craſſe, & inquit non uera pleuritis illa eſt, quæ in muſculis exterioribus eſt, uera autem, quæ eſt uel in muſculis interioribus, uel in membrana ſuccingente coſtas, hæc quæ in muſculis exterioribus accidit nunquam à Galeno, & à bonis medicis fuit appellata pleuritis non uera. Moderni uero ita dilatauerunt hoc nomen, ut ueram etiam appellarent pleuritidem, cum in diaphragmate, uel in mediaſtinis diuidentibus pulmones inflammatio contingit, ſed nullus antiquorum hoc intellexit, & iſta eſt diſtinctio, quæ ſumitur à loco, & habetis opinionem Modernorum, Auic. & Galeni quam ueram puto, circa diſtinctiones autem, quæ à materia ſumuntur oẽs cõcedũt ab omni humore fieri poſſe, ſed ego meliores diſtinctiones uellem quia ſæpißime à tenuißimo humore & bilioſo fit, ideo debetis ſcire, quod cum ſit exquiſitißima pleuritis illa ſemper à bile fit, uel ſanguine admodum tenui, & bilioſo, & ideo eſt, quia membrana ſolida admodum eſt & denſa, habetis autem à Galeno quod membrana ſolida non recipit humores craſſos, ſed tenues: propterea cum eſt uera pleuritis ſemper à ſanguine bilioſo fit, quia ratione caloris, & tenuitatis ſubſtantiæ penetrat corpus denſum, cum uero fit

Pleuritis non vera fit ab omni humore. quare

Causae Antecedentes.

Multitudo Excrementorum

Causae Primitiuae duae.

Pleuritis quomodo fiat ab his causis

ro sit non uera, inquit Gal. in musculis intrinsecis potest ab omni humore fieri, & à sanguine puro crassiori, à pituita, & à fece sanguinis, & hoc contingit, quia musculi sunt laxiores, quàm mēbrana, præterea possunt recipere excrementa facile, & pituitam, & alios humores, cum uero est exquisitißime in mēbrana existens à tenui fit, & ita rationem habetis, & authoritates, quid pleuritis sit, quæ uera, quæ exquisita, & quæ non uera, & obiter habetis causas materiales facientes inflammationem, quæ proximæ, & coniunctæ sunt, quæ uero causæ antecedentes sunt facile cognoscuntur, quia si debet fieri fluxio ad locum, oportet ut multitudo in aliqua parte, uel in pluribus sit, & expellantur excrementa ad locum imbecilliorem redditum, ut in Tractatu de fluxionibus diximus, si ergo debet fieri pleuritis oportet ut excremēta sint in membris fortioribus mādantibus excremēta ad imbecilliores partes, & ista excrementa habent rationem causæ antecedentis, & tot sunt, quot possunt generare pleuritidem, & sunt in membro adhuc mandante, & non recipiente. Quoad causas procatharticas, & primitiuas duo sunt calor colliquans humores, & frigiditas constipans, quia ferè semper homines exercitantur, & humores colliquantur, & cum post actionem in loco fridigiori permanent constipantur in loco, & includuntur, & fit inflāmatio, quam pleuritidem appellamus, si humor ad partes illas decubuerit, fit igitur pleuritis hoc modo à causa primitiua, ideo in hunc affectum incidunt illi maxime, qui laborant, et sudant,

& in loco frigido commorauerint. Et hæc de causis antecedentibus coniunctis, & procarthicis. Debemus modo ad cognitionẽ uerã rectamq; pleuritidis mores cognoscere, quia uarij sunt, sicut uarij mores aliarum ægritudinũ. Quædã.n. sunt maligni moris, quædã benigni, quædã mediocris. Et sicut uos facere debetis, cũ uultis profligare inimicum, oportet primo ut ingenium eius, & mores cognoscatis, & quomodo molitur insidias, ideo non solum essentiam cognoscere debetis, sed etiã mores, ita nos, qui cõtendimus cum morbis, facere debemus. Sunt autem uarij mores pleuritidis & ij penes tria simplicia sumuntur, quæ postea componuntur, uel penes locum affectũ, uel penes materiam, uel penes cruditatem, et coctionem, ista omnia simplicia debetis attendere, postea componere illa, quo ad loca affecta illa erit deterior, quæ primario affectu in membrana est, quàm illa quæ in musculis, quia dissoluit hoc per aliud, quoniam poros ampliores habet, ut facilius dissoluatur, & præterea in loco calidiori est, & quia duo sunt membrana, & musculi intimi unum uersus cutim, alterum uersus membranam, inflammatio erit uersus membranam, & membrana est habens unum latus uersus pulmonem, alium uersus musculos intimos, si fuerit in tertio illo intrinseco uersus pulmones longe deterior erit, quia facit sæuiora accidentia. Facit.n. acutiores dolores, et maiorem difficultatem anhelitus, & cum sit perpetuum pleuritidi, ut uapores ascendant ad caput, cum intrinsecus est in-

Mores Pleuritidis

flammatio, maxima fit capitis molestia, & istæ sunt pleuritides, quæ ad phrenitidem permutantur, & maniam ob communicantiam maximam, & febrem maximam habent, quia est propè cor, neque quietem habent, si enim in eodem latere quiescunt, quia pendet dolent maxime, & summopere. si in eodem decidit, & licet in eodem latere quiescant melius, cū illa inflammatio calida sit, & à bile uapores illi è directo ascendunt ad cor, & ipsum summopere inflammant, & ita nullam requiem sentiunt, & hæc pessima est, quæ penes distinctionem loci affecti sumitur. Addunt moderni, quòd in sinistro latere melior sit, in dextro autem deterior, hæc non potui unquam uidere, nisi dicant id accidere, quia cor decumbit ad sinistrum latus, sed quia nisi parum declinat, & non nisi cum cuspide. Et ideo si uultis hoc addere potestis, sed apud bonos, et antiquos medicos non habetis hæc, & ista est definitio, quæ sumitur penes locum affectū indicantem bonos, uel malos mores pleuritidis, indicium etiam morum sumitur penes materiam, & secundum diuersitatem materiæ peccantis, & facientis pleuritidem uarij mores sunt. quæ à puro sanguine dependet duas optimas habet conditiones primo quòd est breuis, secundo non habet sæua accidentia, breuis quidem, quia humor benignus est, calidus, & humidus, facile euaporans, facile concoquitur, & ad benignum reducitur, non habet mala accidentia, & benignus admodū est, & quia moderate calidus est facile conficitur. Igitur ista, quæ pendet à

det à ſanguine breuis, & benigna eſt, quæ uero à bile dependet adhuc breuior eſt, quia tenuior eſt & facillime reſoluitur, eſt tamen acutior, & facit ſæuiora accidentia, & ſuperat in breuitate eam, quæ fit à ſanguine, ſuperatur autem à ſanguinea in accidentibus, quia ſæuiora habet biliosa, & periculoſior eſt, quæ à pituita ipſa dependet longior eſt, & hoc habet incommodum, habet autem aliud commodum quòd non eſt periculoſa. Quæ à melancholico humore duo habet incommoda, quia longa eſt, poſtea interficit, & hæc omnium peſsima eſt, quia ſi debet homo mori melius eſt, ut cito moriatur, ſicut in bilioſa contingit, quàm quòd ſit longa, & poſtea moriatur, iſti igitur ſunt mores, qui penes humores ſumuntur, & habebunt omnes ſua ſigna, quibus diſtinguentur, tertia diſtinctio penes cruditatem, & coctionem ſumitur, de qua à Galeno in primo de criſi, illa autem appellatur cruda, quæ ſicca eſt, quæ autem cocta appellatur magis humida eſt, & ſic mores ita diſtinguuntur. Alia eſt ſicca, & hæc eſt cum non expuitur aliquid, & iſta eſt malorum morum, maxime cum quartum, ſeptimum, nonum, uel undecimum tranſierit, & nondum aliquid expuatur, ſicut fuit illa Anaxionis à Galeno in primo Apho duodecimo deſcripta: quæ humida eſt benignior eſt. Notandum autem quod inflammationes intrinſecæ habent eandem naturā cum inflāmationibus extrinſecis, quia in extrinſecis licet à principio non reddatur aliquid non eſt ita malum nec reddunt aliquid niſi cum

suppurantur, uel concoquuntur, & illæ nec malæ, nec crudæ appellantur, inflammatio autem interius ubi in principio, uel in tertia ad summū non emittit ichorem exterius peßima est. Ratio autem diuersitatis est optime à Galeno aßignata, quia extrinsecæ inflammationes conteguntur à cute, quæ crassa est, propterea non possunt facile ichores difflari in loco inflammato, tum quia habet membranam secum adnatam cuti ipsi. intrinsecæ uero inflammationes non habent cutim, sed membranam tenuem quandam, qua contegantur, & ideo nisi in tertia ad summum ichores, & humiditates excernantur: Alterū est, uel materia crassa nimis mala cruda, quæ non potest recipere coctionem à natura, uel natura debilis, quæ non potest agere, & utrunque est malum, & dicitur mali moris, & ut plurimum ad mortem terminatur, uel longa est, & indiget multa uirtute ad resistendum.

Potestis uos modo ex his simplici bus complicare, & illa erit deterrima omnium, quæ ratione loci esset in intima parte membranæ à melancholica dependens, & quæ haberet ultimam cruditatem, quia habet omnes conditiones. Si uero duas tantum habuerit conditiones deterrima non erit, sed mala: utpote si erit in membranæ parte inferiori, & interiori, & à natura biliosa descendēs, uel à melancholica, sed natura ostenderit coctionem aliquam in primis diebus potestis sperare, quia habet unam conditionem bonam. Si duas habebit, melior adhuc erit: si omnes saluberrima erit. Et

compli=

Quæ sit deterrima

Quæ mala

Quæ melior

Quæ saluberrima

complicatione igitur harum facietis diuersa iudicia, & iudicabitis secundum pondus bonarum, uel malarum conditionum. Et hæc pro moribus explicandis pleuritidis sufficiant. Quarto cõsideratur pleuritis penes motum, id est penes uelocitatem, & tarditatem motus, & hoc est necessarium scire, aliter rectam rationem uictus nesciretis ordinare, quia ex primo Aph. & ex primo de ratione uictus in acutis, & primo Prognost. primo de crisibus semper dirigitur uictus penes tarditatem, & uelocitatẽ motus, & penes longitudinem: uel breuitatem ad statũ, oportet igitur diligenter attendere uelocitatem, & tarditatem motus, quia etiam quoad medicamenta multum refert scire: quis ergo motus est pleuritidis in se consideratæ, ipsa quidem per se considerata inter acutos connumeratur ab Hippocrate in prohœmio libri de ratione uictus in acutis. bene uerum est ut ostendemus, quod & si inter acutos cõnumerãda sit morbosq́ in quartũ decimũ terminantur sit chronica, & ut ad quadragesimum diem transeat, & tandem ad tabem, ita quod ultimus terminus est quadragesimus dies, & similiter alij morbi cum fiunt chronici, ut inquit Galenus & Hippoc. secundo Prognost. ad quadragesimum diem deueniunt. Est igitur morbus acutus, et in quartũ decimũ terminatur, nisi fiat chronicus. Relinquitur modo, ut uideamus, quot modis posit terminari, cum ergo sit inflammatio quoad poßibilitatem tot modis potest terminari, quot inflammari: potest autem quælibet inflammatio, uel

OO iij apostе-

Quælibet Inflammatio potest terminari quinque modis.

apostema, ut uulgares dicunt, quinque modis terminari, uel resoluitur, uel difflatur per halitum, uel mutatur de uno membro ad aliud, & hæc toleratur, dummodo permutetur in ignobile, uel in scyrrhum transit pertinaciter adherens, & fit incurabilis: quintus modus est quod ita pertinax, & maligna est, ut interficiat, & resoluat temperaturam membri, & suffocet calorem innatum, & facit gangrenas & sphacelos, & tandem pereat animal, & his terminis finitur pleuritis, loquor de poßibilitate, nihilominus, si uultis attendere ea quæ circa praxin uidentur, nunquam uidebitis. Nec ego unquam uidi pleuritidem ad scyrrhũ terminari, rationem autem, quare id non contingat, possem quidem adducere, sed nolo digredi in unaquaq; re minima à re nostra: sed plerunq; alijs quatuor terminis terminatur, & sæpißime, & incipiamus à termino feliciori, sicut inquit Galenus de inæquali intemperie ab illo quidem, cum resoluitur: id autem dupliciter contingit, uel resoluitur, quia per halitum difflatur, quod ad locum deuenit, euentosatur aliquo: cum difflatur natura digerit, & utile conuertit in nutrimentum, & reliquum facit, ut per halitum diffletur, uel auertitur, & repercutitur, & ita euanescit, siue hoc fiat à natura, siue ab arte, primus modus proprie resolutio dicitur, hic autem improprie, et illi sunt duo modi, quibus solent terminari inflãmationes, & pleuritides. Et si debent hæc duo fieri intra decimum quartum diem sunt agenda, quia ubi transierint decimum

Si resoluitur

quartum

quartum diem, tunc suppuratur statim, & ista suppuratio dupliciter contingit in pleuritide, uel sicut suppuratur pars materiæ inflammatæ ita excernitur per sputum, & quotidie uidemus sputa saniosa, & durat talis suppuratio usq; ad quadragesimũ diem, et iste est terminus suus in excernendo pure, & simul desinit expuitio excreti purulenti, & inflammatio, uel suppuratur, quia fiat eruptio abscessus, quia inflammatio iam deuenit ad abscessum, & tota multitudo puris iam deuenit ad cauitatem thoracis inter pulmones, & pectus, & cum ibi abscessum faciat, postea materia expuatur, licet mirum sit, quomodo membranam illam duram licet tenuem transeat, & cum ad asperas arterias deueniat materia tam crassa & purulenta, sed naturæ opus est, quæ alia admiranda facit, & merito admirandum est, & appellatur hæc secessio partis Empyema apud Græcos, & si huiusmodi Empyema non purgatur inter quadragesimum diem à die eruptionis abscessus necessario tales phthisici fiunt, & moriuntur, & iste est terminus suppurationis pleuritidis, cuius rei non sum ego author: sed Hippocrates, & Galenus omnium bonorum authores. Hippocrates enim quinto, Apho. octauo, quoniam dicit: quicunq; à morbo laterali detinentur, nisi intra decimũ quartũ diem expurgentur ad suppurationem deueniunt &c. Oportet ergo, ut omnis expurgetur materia, uel necessario transeat ad suppurationem. Quod autem duplex sit suppuratio in illo Commento Galenus de-

quomodo Empiema fiat

clarat, cum uero sit Empyema propter solam suppurationem, & eruptionem abscessus, nisi purgetur, intra quadragesimum diem phthisici fiunt. Hippocrates est author in quinto, Apho. decimo quinto ubi ait. Quicunq; laborantes laterali morbo suppurantur, si intra quadragesimum diem à die eruptionis expurgantur, liberantur, sin minus ad phthisin uertuntur: iste ergo est secundus terminus pleuritidis, quãdo transit ad suppurationẽ, et sunt duo genera: tertius terminus est, quando pleuritis permutatur de uno membro ad aliud, & sæpe ad phrenitidem mutatur. Et hoc accidit, quando inflammatio est in anteriori parte musculorum, & membranæ uersus pulmonem uergentis propter accidentia maxima, & uapores ascendentes ad cerebrum, & propter instantiam uigiliarum, & ob febrem maximam, & si materia fuerit magis pituitosa & fuerit in musculis intimis membranam in consensum trahentibus ad peripneumoniam transit, quia eam materiam pulmo facile recipit, cum sit laxæ substantiæ, cum uero fuerit in membrana primario affecta, & in musculis per consensum à materia subtiliori fit, & ad phrenitidem permutatur, ad syncopam, & ad fluxum alui, maxime cum locus inflammatus fuerit, pars inferior membranæ tendens ad hypocondria, et huius rei partim sunt authoritates in principio libri de morbis, partim Galenus in quarto de causis pulsuum, in cap de pul. phreniticorum, & in libro de ratione uictus, & in Aphorismis. Habetis ergo qua-

go qua-

go quatuor terminos pleuritidis, cum resoluitur, uel suppuratur, uel mutatur, uel interficit propter malitiam inflammationis ob quam rem comprimitur calor innatus, & fiunt gangreni, & sphaceli, communicantur cordi, et sic sequitur uirtutis resolutio, et mortes, similiter conuulsiones. Et hæc sint satis de tota natura indaganda pleuritidis. Relinquitur modo, ut deueniamus ad secundum caput, quia tria requiruntur, antequam ad actum curandi accedamus, primum ut cognoscamus essentiam morbi, secundum ut habeamus signa, quia frustra poneremus uarietatẽ talem, nisi haberemus signa indicantia eam, ideo secundũ gradũ habere debemus, ut deueniamus in cognitionem dictorũ, tertio curationem aggrediamur, & signa quasi per accidens habeantur, quia non faciunt ad curationem, sed tantum ad cognitionem essentiæ morbi, quæ quidem essentia facit postea indicationes. Quis ergo ordo est in progressu signorum? Certe non est alius ordo, nisi ille qui seruatur in cognitione essentiæ morbi, quia sicut se habet consideratio essentiæ ita consideratio signorum. Quis ergo ordo in consideratione essentiæ? Primo ut haberemus de pleuritide uniuersalem conceptum, qui fuit sua defiuitio, & diximus quod est inflammatio membranæ succingentis costas, siue primario affectu, siue non afficiatur, sub hoc communi conceptu pleuritis habet sua signa, perpetuo concomitantia, & quinque ponuntur, primum est dolor pungitiuus, & extensiuus simul, secundum est pulsus du-

De Signis

quinq. concomitantia signa perpetuo

rus

sus ferrinus, magnus uelox & frequens, tertium signum est tussis, quartum difficultas anhelitus, quintum febris, sextum additur signum à Galeno quarto de causis pulsuũ, et est dolor capitis, qui perpetuo pleuritidem, et peripneumoniã sequitur, et hæc signa semper cõueniũt, et in omni pleuritide, sed nõ soli, bene omnia, collectiue sumpta faciunt unam syndromen, quæ conueniat soli pleuritidi, seorsum autem sunt perpetuo sequentia, & omni pleuritidi conuenientia, sed non soli, sed cur sequentur, si rationem non habeatis, sitis irrationales, ideo à natura rei sunt consideranda hæc signa omnia, debetis scire, quod horũ signorũ quædam propter locum affectum, quædam propter affectionẽ, quædã propter utrunq; . propter locum affectum quidem sequuntur ista, primo dolor pungitiuus, & extensiuus simul, secundo durities in pulsu: ista sequuntur, quia locus talis afficitur, quia dicebat Galenus secundo de locis affectis, ubi afficitur membrana, uel neruosa substantia à quacunque materia semper in eo loco præcise, ubi obsidetur & materia incidit, fit punctio ob maximam sensibilitatem loci, ac si terebello uel acu aliqua perfoderetur nihilominus propter materiæ qualitatem substantiæ membranæ in qua non est diuersitas, sicut in musculis, in quibus fit dolor, ac si diuellerentur, quia substantiæ sunt diuersæ, ubi occupatur pars aliqua ibi fit punctio in alijs partibus fit dolor extensiuus ob æqualitatem substantiæ per consensum, & si contingat ut intercipiatur dolor extensiuus, hoc est,

est, quia adhæret oßi, quia aliter dolet, cum est fixa oßi, aliter cum est libera, uariatur enim propter adhæsionem ipsius rei solidæ, & istæ est dolor membranarum. dolor uero neruorum, fibrarum & chordarū est per directum extensus non per latus ambo fiunt extensiui, sed in neruo per longum extensio fit, in mēbrana uero per totam circunferentiam, & huius imaginationis Archigenes, & Galenus primo fuerunt authores. Sequitur autem dolor pungitiuus, quia inflammatio est in membrana, & extensiuus, & si occupabit partes inferiores dolor magis extendetur uersus partes inferiores, si superiores occupabit ad furcula usque extendetur, & hæc ab Hippocrate, & Galeno, habetis in secundo de ratione uictus in acutis, Non fit autem dolor pulsatiuus in pleuritide, quia in membranis non sunt arteriæ ut inquit Galenus secundo de locis affectis, si in musculis etiam esset inflammatio, & per consensum inflammaretur membrana licet sint ibi arteriæ, quia non inflammantur, non fiet dolor pulsatiuus, quia possunt attolli, nec offendent, aut offendentur, sicut contingit cū in musculis exterioribus, uel in cute fuerit inflammatio, tunc enim cum extenditur arteria premitur & premit, et fit dolor pulsatiuus, quia per occursum membri sensibilis percutitur, & ipsa percutit, quia ergo potest arteria libere moueri, quia musculis est concauitas non adest dolor pulsatiuus: Ex hoc sequitur falsum esse dictum Auic. & Pauli: nisi recte intelligatur, qui in extrinsecis musculis pleu

ritidem

Quare pun: gitiuus do: lor

ritidem fieri, dicit q̃ non ueram appellat. Paulus uero hoc non dixit, ſed in fine cum uelit tradere oẽs lateris inflãmationes, inquit poſſe inflammationẽ contingere in muſculis extrinſecis, hæc tamen non dicetur proprie pleuritis: Ex his omnibus eliciunt quod ſit pleuritis, ſed non uera, ſed non eſt ita dicendum, pleuritis autem eſt uera, cum primario affectu inflammatur membrana, & trahit in conſenſum muſculos, & exquiſita appellatur, cum uero muſculi interiores inflammantur, & membranam trahunt in conſenſum pleuritis non exquiſita appellatur. Quæ autem ſint ſigna indicantia pleuritidem non exquiſitam dicemus: Et ſic patet quod dolor pulſatiuus non erit ſiue in mẽbrana, ſiue in intimis muſculis fuerit inflammatio, ſi modo in muſculis extimis adeſſet inflammatio, dolor pulſatiuus eſſet, quia arteriæ percutiuntur, & percutiunt cutim, diſtingueturq; ex dolore pulſatiuo, cum erit inflammatio in muſculis exterioribus, & ſic dolor eſt primum ſignum conſequens pleuritidem, Secundum ſignum ex loco affecto ſumptum eſt pulſus durities, quia cum membranæ duræ ſint trahunt in conſenſum arterias, quoniam in ſimilitudine ſubſtantiæ conueniunt, ut inquit Galenus in ſecundo de cauſis pulſuum: Cum ergo membrana ſit neruoſa ipſa affecta, durities fit in pulſu, & hæc duo ſigna ſequuntur pleuritidem ratione loci affecti, ſerrinitas autem, magnitudo, uelocitas, & frequentia ſequuntur affectiones & inflammationes: ſerrinitas enim eſt una differentia inæquali=

æqualitatis per unam pulsationem, quia duo sunt genera inæqualitatis, una quæ systematica appellatur ex collectione multarum pulsationum, sed una est maior alia minor, serrinitas uerò est inæqualitas, quæ in una pulsatione percipitur, quã differentiam dicunt isti percipere, & quod percipiunt diuersitatem in motu, ideo ex una parte ualide repercutit, in alia uidetur concauitas, ita quod in quatuor uestris digitis percipietis diuersum motum, ac si tangeretis serram, quæ habet dentes prominentes, & cauitates, hanc differentiam nunquam cognoui, quæ si consequitur nulli dubium est, quod ad pleuritidem consequitur, & ab inflammatione, talis igitur, inæqualitas prouenit à multitudine materiæ aggrauantis uirtutem, exemplo baiuli portantis magnum onus, qui inæqualiter ambulat, ut exemplificat Galenus, & ualet ista consequentia, hæc est inæqualitas, ergo multitudo materiæ, & cum adsit inflammatio in pleuritide & natura aggrauetur, ob multitudinem materiæ fit inæqualitas ratione affectionis, durities ratione loci affecti, sequitur serrinitas, quia inæqualiter mouetur arteria: in una parte ualide percutit, in alia non, quia aggrauata: Magnitudo autem frequentia, & uelocitas sequuntur febrem Et notetis quia Galenus in secundo de crisi dicit magnum pulsum sequi pleuritidem, in quarto de causis pulsuũ dixit, quod paruus pulsus sequitur pleuritidem, et reddit rationem, quia cum pulsus durus est, non potest extẽdi, deberet autem extendi ratione febris, & fit uelox

Contradictio Galeni.

lox & frequens, Et sic apparet quædam contradictio in dictis Galeni. Dicatis quod in secundo de crisi comparauit pulsum pleuritici ad pulsum sani, & quia febris ibi est, ideo in pleuritide est magnus pulsus & maior, quam cum esset sanus, magnus autem est non comparatione ad magnum: cum uero dixit paruum esse in quarto de causis pulsuum respectu febris id dixit, quia febris magna debet habere magnum pulsum, & quia paruus est respectu illius febris in qua deberet esse magnus, ideo dixit pulsum esse paruum, non percuntabimini ergo quando uidebitis hanc apparentem contradictionem: Esto igitur pulsus magnus, quia aucta est necessitas, ideo hæc tria sequuntur febrem, quia ex febre augetur calor, magnus fieri debet, & cum non possit supplere cum magnitudine, cum uelocitate supplet, & cum non possit cum uelocitate supplere ex aucta necessitate, supplet cum frequentia, pulsus ergo durus sequitur naturam loci, serrinitas affectionem, magnitudo, uelocitas, & frequentia febrem: Dolor uero capitis inflammationem sequitur, quia euaporationes multæ eleuantur ad caput. Sequitur tertio tussis, difficultas anhelitus, & febris, quæ consequuntur & locum affectum, & affectionem, De tussi manifestum est, sequitur enim quia à loco inflammato qualitas mala calefaciens eleuatur, & percipiens pulmo calorem illum, excitat tussim, quia à puro calore, à frigiditate pura, et à uaporibus etiã tussis fieri potest, cum ergo incalescat pulmo, caliditas illa præter naturam excitat

tat tußim, præterea mali uapores, & ichores delatiæ Destillant.
fere semper ex apostemate, quia pellicula illa tenuis
est cooperiens, ideo sicuti cutis, ideo ichores illi destillant à loco inflammato, & excitant tußim, sequitur
& locum, quia si non esset ibi inflammatio, non esset febris, & si materia ibi non esset, nec haberet tussim, sed difficultatem anhelitus, oportet ergo ut utrunque adsit, difficultas etiam anhelitus ab utroque prouenit, quia inflãmatio cum sit in membrana, & musculi etiam per consensum inflammantur, quoniam inuicem compatiuntur, & inflammari non possunt illi musculi, quin sequatur difficultas anhelitus, quia sunt ad expirationem deputati, & cum sint impediti, non mouentur, & quia in motu dolent, à dolore coguntur retrahi: Quæ autem sit ista difficultas anhelitus paruitas est, quia non potest dilatari pulmo, quia faciunt musculi illi ad dilatationem pulmonis, & cum non poßit dilatari fit uelox, & frequens, ut suppleat neceßitatem, ut de pulsu diximus.

Vltimum signum quod necessario sequitur pleuritidem est febris ipsa. quod autem necessario sequatur, ratio in promptu est, si recte memoria tenetis, quæ diximus, quod .s. pleuritis est inflammatio membranæ succingentis costas, & quoniam sit propinqua cordi, uapores putridi accendunt ad cor calorem, naturalem inficiunt & febrem faciunt, quæ etsi continua sit habet tamen acceßionem de tertio in tertium ut inquit Galenus primo de crisi circa medium, habet autem acces-

Quartum sig: num est Febris.

siones

ſiones de tertio in tertium, quia uera, & exquiſita pleuritis primario affectu in membrana exiſtens à bile, uel à ſanguine bilioſo dependet ideo nõ eſt mirum, ſi, & ſi continua ſit, habeat tamen acceſsiones de tertio in tertium, ſicut reliquæ febres, & ſi ſint continuæ modo à bile dependeant: Talis igitur eſt natura febris conſequentis proxime omnem pleuritidem à quacunque cauſa ſit loquendo de ea, quæ eſt exquiſita, quia aliquando cum uolumus proprie loqui dicimus ueram, & non ueram, quia habet accidentia aliqua pleuritidis, cum uero exquiſitam, & non exquiſitam dicimus, tunc proprie loquimur, Ea enim quæ non uera eſt improprie dicitur pleuritis, & habet accidentia aliqua pleuritidis, non tamen ueram eſſentiam, & hanc Paulus cũ eſt in muſculis extrinſecis appellat tamẽ proprie pleuritidem: Sunt igitur illa ſex ſigna, quæ ſequũtur omnem pleuritidem, ſiue exquiſita, ſiue non exquiſita fuerit, ſiue à ſanguine, ſiue à pituita fuerit, ſiue ab humore melancholico dependeat. Et hæc ſint ſatis quo ad illa ſigna pathognomonica perpetuo unicuiq; pleuritidi aduenientia: Sequuntur modo ſigna diſtinguentia exquiſitam à non exquiſita: iam ſciuiſtis quomodo exquiſita dicitur illa, quæ eſt primario affectu in membrana ſuccingente coſtas, Non exquiſita eſt cum in muſculis intimis eſt inflammatio, ſed trahunt ſecum in conſenſum membranam: ſigna ergo diſtinguentia hanc ſunt illa, quæ in ſexto Aphor. Aphoriſmo quinto ponuntur à Galeno in illo Aphoriſmo, ubi dolores in la-

Signa distinguentia exquisita a non exquisita

teribus,

teribus, & pectoribus fiunt, & in quibuscunque alijs partibus, perdiscendum, quantum differant, ibi declarat, quod distinguuntur primo à dolore, quando pleuritis est non exquisita, & inflãmatio in musculis est, & trahit membranam in consensu, necessario habent præcipuam speciem doloris extensiui. s. propter consensum mẽbranæ, qui extenditur aliquando ad furculã aliquando ad præcordia, aliquando ad utrunq; situm, quem occupat inflammatio, patiunturq; talem dolorem extensiuum per totam membranam, sicuti etiam patiuntur illi, qui habent exquisitam pleuritidem, sed non percipiunt dolorem pungitiuum, & ideo est, quia inflammatio est in musculis non in membrana, præterea dolor non erit acutus, sicut cum membrana primario inflammata est, difficultas tamen anhelitus maior est cum tentant constringere pectus, quia maxime agitantur musculi ex motu illo, cum motus eorum proprie sit constringere, & longe maior percipitur dolor, quàm in dilatatione: præterea quoniam afficiuntur musculi primario affectu pulsum non habent durum, quem dicebamus esse talem perpetuo, cum primario affectu inflammatur membrana, nec serrinitatem illam habet quæ duritiem consequuntur ratione membranæ, & ratione inflammationis: ista sunt signa distinguentia exquisitam pleuritidem à non exquisita: At si in musculis extrinsecis contingat inflammatio, quam Paulus cum non uult proprie loqui, pleuritidem non ueram appellat habet sua signa manifesta,

primo dolore.

Pleuritis q. fit in musculis extrinsecis.

primum est quod nec dolor extensiuus, nec pungitiuus ibi sentitur, quia inflammatio est in musculis exterioribus uersus cutim: præterea si manu dolentem locum prematis per tactum æger dolorem sentiet, & tumorem etiã percipietis, & si fuerint graciles, & tactus exquisitus, & hæc cognitu facilis est, si eam uultis pleuritidem appellare. Præterea nulla erit durities in pulsu, inæqualitatem tamen & frequentiam habebit, & reliquas differentias, serrinitatem non habebit. Et hæc sunt signa distinguentia has inflammationes: quod si non aderit inflammatio, sed flatus inclusus in membrana, uel musculis intrinsecis, uel extrinsecis. uidebitur quod sit pleuritis, sicut contigit D. Marco Antonio Genuæ, qui laborauit circa latus dextrum dolore: Ego quidem cum ex signis uellem considerare, an uera esset pleuritis, uidensq;, quod neque pulsus, neque febris, neque difficultas anhelitus, neque tußis erant tales sicut in uera pleuritide apparent, sed remissa erant admodũ, & febres per interualla erant secundũ quod augebatur dolor, cognoui eam non esse ueram pleuritidem, propterea ei perpetuo uinum exhibui, quia solus eram in cura rexiq; illum sicut regendi sunt illi, qui affliguntur flatu, & febris potius Ephemera erat ratione doloris, quæ remittitur, & euanescit ad remißionem, & euanescentiam doloris. Quomodo autem distinguatur à peripneumonia, & ab inflammatione hepatis dicam loco suo, sunt & alia signa indicantia mores, an scilicet bonorum, uel malorum morum

Signa Indicantia Mores.

rum sit, & perniciosa, nec ne, primum signum sumptum est à loco, & situ loci, quia multum refert, an sit inflãmatio in uno, uel alio loco, si quidem in tẽtioribus partibus tam mẽbranæ, quàm musculorũ fuerit inflãmatio sæuiora accidentia erunt, & ratione loci deterior erit eius natura, maior febris, maior dolor, maior dificultas anhelitus aderit, propter plurimos uapores pulmonem replentes, tremor cordis ex uicinitate inflãmationis sequitur, & per hoc potißimũ signum cognoscetur, ubi fuerit in interiori parte membranæ, uel musculorum super latere opposito non quiescit, immo cũ quiescit maior dolor excitatur, & difficultas anhelitus, & tußis, & ratio est, quia inflammatio existens in parte illa tunc pendet, & irritatur dolor, quia locus inflammatus quietem quærit cum mouetur locus affectus. Si uero quiescit super eodem latere melius quiescit, quia inflammatio inuenit locum, & stratum, super quo quiescit, & mitiora accidentia sunt. Si uero fuerit inflãmatio in parte extrinseca in eo spatio, quando est intra costas, & exteriorẽ partem super latere opposito quiescit, quia tũ habet lectũ, super quo sternitur, et melius habet quoad dolorẽ, tußim, et reliqua accidẽtia, sed si fuerit inflãmatio in parte extrinseca membranæ, & fuerit in ea parte, quæ adiacet oßi, non in spatio intercostali, difficillima est ea pleuritis, quia non potest quiescere in neutro latere, si in affecta comprimitur ab osse inflammatio, & maiori affligitur dolore, si super opposito contingit

quod prius dummodo intrinſecus ſit inflammatio, non in muſculis extrinſecis : iſta ſunt ſigna diſtinguentia malitiam pleuritidis conſiderando locum affectum. Cognoſcitur etiam malitia per ſiccitatem, & humiditatem, appellant autem ſiccam pleuritidem, quæ ſine ſputo eſt in principio, humidã, quæ cum ſputo eſt, illa deterior, hæc mitior. Et ſignum hoc ſumptum eſt à cruditate & coctione, ut habetis à Galeno in ſecundo de ratione uictus in acutis 29. & 30. & primo de criſi. Sumitur præterea cognitio bonitatis, & malitiæ per ſigna à materia ſumpta, & certum eſt quod ubicunq; expuerint rubeum pleuritide affecti, uel ſpumoſum album illa tutior eſt. Si enim rubeum expuitur dominium ſanguinis indicat, & nos oſtendimus, quomodo pleuritis à ſanguine dependens, & pituita ſunt benigniores, ergo diximus ſpumoſum, albumq; ſputum indicare bonitatem pleuritidis, modo fuerit leue, & æquale, et facile excernatur, quia tunc ſpuma nihil incommodi adfert, & indicabit bonitatem, & felicem terminum. Sed ſi fuerit album ſpumoſum, glutinoſum, rotundum, & difficulter excernatur peſſima erit talis pleuritis, & terminabitur, ut plurimum ad mortem, quia craſsities, & uiſcoſitas indicant maximum calorem non concoquentem, ſed adurentem, ideo craſſum factum eſt, & ſignum eſt peſsimum, & ſi difficulter excernatur duo arguit, primo inobedientiam materiæ ex craſsitie, ſecundo imbecillitatem uirtutis in excernendo. Eſt etiam peſsimum, non modo per uiam ſigni,

ſed cauſæ, quia uirtutem debiliorem facit, & hoc ſi=
gnum periculoſam indicat pleuritidem, ſputum uero
citrinum, ſi ita erit citrinum, ut nihil pituitæ uideatur
permiſtum, ſed ſyncerum, peſsimum eſt, præcipue ſi cũ
difficultate excernatur, non eſt ita bonum, ſicut cum
eſt album lene, & æquale, ſed medium eſt, cum uero
nigrum, uel uiride fuerit maximi fœtoris, & cum
difficultate excernatur deterrima erit, & terminabi=
tur ad mortem, per hoc ſignum iudicabunt mores, &
malitiam, & oppoſitum eius. Quæ indicant longitu=
dinem, & breuitatem morbi ſunt illa, quæ numeran=
tur à Galeno in primo de criſibus circa medium, pri=
mum eſt ſputum, in prima acceſsione ſi apparebit, uel
in ſecunda circa quintum diem, quia exacerbatur de
tertio in tertium, decimum quartum diem non tranſi=
bit, ſi non apparebit niſi in tertia, uel quarta acceſsio=
ne producetur ægritudo magis, arguitur præterea
longitudo, & breuitas à materia, ubi habebitis ſigna
inflammationem indicantia eſſe propter pituitam ra=
tione illius materiæ longior erit. Similiter ſi propter
melancholiam, ſi uero à ſanguine, uel à bile ratione
materiæ ſcietis breuiorem, et ita ex ſputo cruditatem,
& coctionem, & materiam cognoſcetis, coctio autem
ſequitur materiam, & facilius mutatur ſanguis, uel
bilis, quàm pituita, & melancholia. Ex his ſequitur Distinctio
diſtinctio quatuor temporum. Modus autem cogno= quattuor
ſcendi quatuor tempora ex ſputi qualitate dependet. temporum
Si in principio nullum ſputum apparet, iam princi=

pium eſt, ſi apparet, & tenue admodum ſit adhuc in principio, & proportionatur ſputum tenue in pleuritide, ſicut in febribus tenuis urina, quæ licet ſubruffa ſit, ſi tamen non habeat nebulam in principio eſt primo de criſi, ſi uero incipiet quodam modo æquale fieri, & expui cum maiori facilitate, tunc erit augmentum, & tantum perſeuerabit, quouſque perſeuerabit lene, æquale album, ſine ſpuma, & cum facilitate excernatur, & tunc erit ſtatus, & tunc dolor perſeuerabit, & maximus, immo inter reliqua ſigna quod ſit in ſtatu illud eſt de quo in primo de ratione uictus trigeſimo tertio. Si applicitis fomentis calidis exterius dolor aſsiduus non ceſſabit indicat pleuritidem eſſe in ſtatu. Eſt autem dolor continuus, quia natura nõ aggreditur partem materiæ, ſed totam, & eſt tunc in maximo conflictu, & propterea accidentia ſunt in ſtatu, & tunc ex applicatione fomentorum fit maior raritas, & magis extenditur, quia ex agitatur materia, & dolor augetur, & credunt ægri tunc fomentum eſſe aduerſum, ſed hoc eſt quia cõcoquit materiam & agitat eam, & reſoluit, & fit dolor, & ſputum perſeuerat, in concoctione minoratur, & accidentia reliqua, & tunc erit declinatio, & ſic ex ſputo cognoſcimus principium, augmentum, ſtatum, & declinationem. Quæritur modo an urina aliquid faciat, an ſit mala uel cocta, uel incocta: quantum ad urinam ſi fuerit bona cum ſuis conditionibus, & cocta in ſubſtantia, in reſidẽtia, in colore, liquore quod ad pleuritidem

Quæritur an urina aliqd faciat

attinet

attinet nihil prorſus facit, quia ſtat quod peſſima ſit pleuritis & inflammatio rebellis, & æger moriatur, & urina bona ſit, quia poteſt totum corpus bene ſe habere, inflammatio autem erit peſſimæ naturæ. Si uero urina malas habuerit conditiones peſſimum eſt ſignum, quia ſi tenuis, & ſubtilis fuerit non habens aliquam aliam malitiam indicat materiam uerſam eſſe ad locum inflammatum, ſicut in phrenitide cũ urina talis apparet contigit, ſi uero fuerit craſſa indicat aliquod dominium humoris malignis, mala eſt, quia indicat cacoethiam eſſe in corpore. quæ ſub ratione cauſæ antecedentis nocebit, quia fluet ad locum inflãmatum, ideo ſemper eſt malum, ſed quod ſit bona quoad inflammationem non eſt bona, quia poteſt contingere, ut dixi quod inflammatio ſit peſſimæ naturæ. Si fuerit aluus ſicca ſemper malum eſt, tum quia auget difficultatem anhelitus, tum etiam quia uapores eleuantur ad locum inflammatum, & quia non excernuntur aggregantur materiæ, quæ poſſunt augmentare inflammationem, ideo oportet, ut aluus ſit mollis, aliquando tamen mollities alui malum eſt ſignũ, quia dicebat Hippocrates ſexto, Aphor. decimo ſexto à morbo laterali, & peripneumonia habito alui defluxus ſuper ueniens malum, ſed hoc non eſt neceſſarium, quia poteſt natura excernere excrementa, & critice moueri, ideo Aphoriſmus abſolute non eſt uerus, ſed cum inflammatio perſeueret in ſua malitia cum peſſimis ſignis, ideo Galenus ponderauit in commento illa uerba. A

A' morbo laterali, et peripneumonia habito. exponit, id est detento, & maxime uexato, quia ubi fuerit maxima inflammatio, & trahatur in consensum hepar, nec posit trahere nutrimentum, & uentriculus ea ratione afficiatur, & continere nõ posit, utrunq; etiam nutrimentum secundum naturam indicat, tunc esse tantam malitiam, ut per consensum deuenerit ad membra naturalia, & ideo nolite ita prompte iudicare, cum in pleuritide fluor subsequitur, sed uideatis an inflammatio sit ex his speciebus, quæ malæ sunt, si uidebitis ex signis malum esse, & malitiam augeri, ex qua sequitur fluor pessime terminabitur, igitur ita limitandæ sunt ægritudines, & sunt sumenda signa ex his, & ab urinis, sicuti diximus. Reliquum est, ut uideamus signa indicantia permutationem ad alium morbum, ut perfectam omnium signorũ notitiam habeatis. Dicebamus secundum Hippocratem, & Galenum, quod permutationes plures sunt cum resoluitur, uel suppuratur, uel permutatur, uel corrumpitur membrum in quo sit. Quinta permutatio quæ ex quo nunquam cõtingit nolo eam considerare, quæ est, cum ad scyrrhum conuertitur. quomodo habebitis signa discernẽtia ægritudinem esse resoluendam? Non habetis alia, nisi ea quæ tradit Galenus quinto, Aphor. octauo. Quicunq; laterali morbo laborantes nisi intra decimũ quartum diem purgentur ad suppurationem uertuntur, cognoscetis ergo, quod non uertitur ad suppurationem, si habebitis signa, quòd inter quartum decimũ purgabitur, & signa

& signa sunt, si in prima accessione, uel secunda sputum apparebit, nisi fuerit peccatum, uel ex parte medici, uel infirmi, & ita pronunciabitis, quod terminabit per uiam resolutionis, si in primis illis diebus non uidebitis hæc, tunc necessario fiet suppuratio, quæ duplex est,

Vt Galenus quinto, Aph. octauo in eo commento dicit una est quæ sicut suppuratur materia in inflammatione ita exit paulatim, & hoc nisi intra quartumdecimũ diem non purgentur, accidit, & necessario talis suppuratio sequetur si trãsierit decimumquartũ diem, nec fiat aliqua eruptio, talem suppurationem habuit Anaxion quem nos sumus curaturi: Alia est species suppurationis dicta à Galeno ibi, quæ fit per eruptionem abscessus in loco inflammato facti, inqua eruptione deuenit materia ad cauitatem pectoris, cognoscitur autem hæc secunda species, quoties transacta decimaquarta die non apparet sputum purulentum, sed cruditas adhuc apparet, & tunc repente dolor desinit, & rigor quidam insuetus percipitur, ut periculum medicis imponatur, & quia rigor superuenit, credunt etiam quod febris cesset, quia dicebat Hipp. A causone habito rigore superueniente tollitur, immo tunc augetur, quia ad pectoris cauitatem materia mouetur. & mutatur pulsus, ad maiorem inæqualitatem duritiem etiam amittit, & serrinitatem, & indicatur tunc eruptionem esse factam & hæc suppuratio nisi intra quadragesimum diem expurgetur, & totum exeat pus,

Duæ species suppurationis 1

2

pus, pertransibit æger ad phisin: His igitur signis cognoscitis permutationem adsuppurationem, cum uero permutatur per uiam permutationis, & transeat ab una inflãmatione ad aliam, de uno mẽbro ad aliũ, habetis sua signa, & loquimur de his, quæ quotidie eueniunt, permutatur autem ad phrenitidem, aliquando ad peripneumoniam, aliquando ad syncopam, aliquando ad fluxum uentris, cum uertitur ad phrenitidem facile erit discernere, incipiunt habere primo uigilias præter consuetudinem, caliditatem circa caput, & dolor capitis augetur cum uigilijs mirum in modum, & tandem delirant, urinæ præterea subtiliores sunt sputum desinit, & difficultas anhelitus non augetur, sed paruus, & frequens est, & ubi incipit delirium fit rarus, & per interualla, rationem aliàs diximus, & sic anhelitus uariatur, & cognoscetis tunc pleuritidem permutari ad phrenitidem, & uos occurretis, signa autem indicantia pleuritidẽ permutari ad peripneumoniam à Galeno quarto de causis pulsuum ponuntur, primum est quod dolor cessat, quia pulmo insensibilis est, & si percipitur erit grauatiuus, sed difficile est percipere talem dolorem, cum non deueniat pulmo ad tantum tumorem, ut membrana uestiẽs pulmonem percipiat grauatiuum dolorem, si tamen percipietur grauatiuus erit, præterea in pulsu differentia est, quia ubi transierit ad peripneumoniam mollis erit, inæqualitas autem fiet maior, quia materia est in membro magis propinquo cordi, ideo magis opprimitur

mitur uirtus, cessat autem durities, & serrinitas. Cum uero ad syncopam permutatur à tremore cordis à pulsu, & à syncopa subito adueniente, & subito suffocante cognoscitur. Cum transit ad fluorem alui iam diximus quod aliquando bonum est, aliquando autem malum, malum autem est cum augmentata est inflammatio, & accidentibus superuenit fluor, qua signum est quod per consensum hepar, & uentriculus, non continent, nec concoquunt quod deberent, & ita facile indicatur à fluxione perseuerante malitia, si ad fluxum alui permutatur, & sit bona cessat dolor, difficultas anhelitus alleuiatur, & reliqua symptomata, quæ pleuritidem sequuntur quæ sunt illa quinque iam enumerata, cum uero ad mortem, & corruptionem mutatur membrum quia pernecat calorem innatum, & gangrenam facit, & sphacelos syncopam & defectus pate fiunt liuiditas faciei patet, & exteriorum, & tunc corrumpitur membrum. Signa uero distinguentia ab hepate, quia de peripneumonia iam dicta sunt à Galeno & pulsus est ille qui indicat, quia in inflammatione hepatis nec durus, nec serrinus est, nec apparet sputum in principio, nec in augmento, præterea trahitur iugulum deorsum, nec percipitur extensio sicut in pleuritide, sed crassus quidam dolor, & hoc considerabimus cum de inflãmatione hepatis seorsum loquemur. Et hæc satis sint pro omnibus speciebus signorum, iam ad indicationes ueniamus, q̃a ille est finis intẽtus, quia omnia dicta sunt ut habeamus rationem medẽdi, quam

habere

ſi habere poſſemus abſque conſideratione ſignorum, et cauſarũ de illis prorſus nullam faceremus mẽtionem, ſed quoniam non poſſumus indicationes ſumere, niſi illa prius omnia cognoſcantur, ideo de illis agimus, indicationes igitur ut ſcitis ab illis decem generibus notis ſumuntur, de quibus alias diximus, tria ſunt tamen potiſsima, quæ indicant quid agendum, & ſunt morbus, locus affectus & uirtus, reliqua ſunt ſicut aer, tempus anni regio, conſtitutio, ætas conſuetudo, tẽperatura, quæ non indicant quia agendum, ſed uel permittunt, uel moderant actiones noſtras quomodo .ſ. & quatenus ſit agendum, incipiamus igitur ab illis generibus, quæ indicant quid agendum, inter omnes principalis eſt morbus, locus affectus ſecundario. Circa indicationes ergo quæ à morbo ſumuntur ita procedemus: Si uolumus curare morbum oportet cognoſcere eſſentiam illius, quia à ſubſtantia rei ſumuntur indicationes, quæ ſi confuſa erit, confuſæ etiam erunt indicationes, ſi diſtincta, erunt etiam indicationes diſtinctæ, & quantum errabitis in eſſentia, tantum errabitis in indicationibus & in curatione, Sed quomodo cognoſcitur eſſentia morbi? primo oportet cognoſcere genus ægritudinis, & quia ægritudinum tria ſunt genera oportet igitur ſcire an ægrotatio ſit, mala complexio, uel mala compoſitio, uel ſolutio continui, quia aliæ indicationes ſumuntur à mala temperatura, aliæ à mala compoſitione, & aliæ à ſolutione continui, ſecundum genus à cauſis efficientibus uel natura-

libus

libus ſumitur, aliter enim curatur ægritudo à bile, ali ter à ſanguine, aliter à pituita, aliter ab humore melancholico, ita quod materiæ faciunt diuerſitatem non paruam indicationũ, Nec deterreant philoſophi quod, idem ſit ſecundum diuerſam rationem cauſa materialis & efficiens, non coincidunt ſecundũ eandem rationem conſiderandi, ſed ſecundum diuerſam coincidunt, & ita cauſæ iſtæ uel efficientes, uel materiales faciunt has indicationes: tertio oportet conſiderare accidentia quæ habent rationem cauſæ quæ duodecimo Therap. ſunt dolor intenſus, & ſyncopa ita ualida, ut niſi occurratis, habeatis rationem cauſæ conducendi ad mortem, et hoc genus conſiderandum eſt, & ab ipſo ſunt ſumendæ indicationes, quarto mores ſunt conſiderandi, aliter .n. curabitis ægritudinẽ mores malos habentẽ, aliter habentẽ benignos, quinto ſumũtur indicationes à motu aliter .n. curabitis ægritudinẽ acutam, aliter chronicã, Sexto à temporibus ſumuntur, aliter in principio, ali ter in fine, ſiue in declinatione, aliter in augmento, aliter in ſtatu curabitis, Septimo locus à termino præ cognito accipitur, aliter enim curabimus ægritudinẽ, quæ ſperatur reſolui, alio modo curabitis, & alia emplaſtra adhibetis, cum non ſperatur reſolutio, & ſi fuerint ſigna ut tranſeat ad ſcyrrhum aliter curabitis, ſunt ergo ſeptem capita conſideranda in conſideratione eſſentiæ, primo indicatio, quæ ſumitur à genere ſiue ſit mala complexio, ſiue mala compoſitio, ſiue ſolutio continui indicat ut remoueatur, ſecunda quæ à

causis

causis ut tollantur accidentia, & cum habeant rationem causæ indicant ut tollantur, quatuor ultima mores, motus, tempus, & terminus indicant rationem & modum agendi, & ista sunt quæ in uniuersum considerantur circa indicationes, quæ à morbo sumuntur. indicatio quæ sumitur à morbi genere sumitur à forma, ut ab ipsa incipiamus: Habuistis quod pleuritis est inflammatio, & quod inflammatio est genus, ideo primo indicationes sumentur ab inflammatione. Hoc cognito oportet ut sciatis quid sit inflammatio, & cum inflammatio nihil aliud sit, nisi tumor feruidus, uel feruor cum tumore cum suo feruore alterans temperaturam, mutans compositionem cum mole, & tumore, cum utroque soluens continuum, cum tumore quidem extendendo, cum feruore mordicando Ex hoc sequitur quod feruor, & tumor in inflammatione causant omnia tria genera ægritudinum & primo malam temperiem, ardorem. s. ut inquit Galenus secundo de ratione uictus in acutis. commentario primo, deinde est mala compositio. i. moles & tumor, tertio adest solutio continui: Hæc omnia sunt tollenda, quia præter naturam sunt, sed quia omnia à feruore, & tumore dependent, hæc secundo, tollenda sunt & quia contraria contrarijs curantur, tolletur feruor suo opposito. s. cum refrigerantibus, tumor uero, quia plenitudo est in loco præter naturam existens cum suo contrario. s. cum euacuatione, igitur inflammatio hæc alterantibus, & euacuantibus indiget, sed quantum ad inflāmationem

a forma :
Inflamatione

Inflamatio
quid

Inflamatio hec
indiget alterantibus et evacuantibus

tionem attinet, omnia habemus requisita, sed quia in cap. de fluxione ostendimus inflammationem ad speciẽ fluxionis reduci, & in qualibet fluxione datur principium, medium, & terminus ultimus, ideo tres sunt termini in inflammatione, primus cum incipit inflammatio, deinde præcedente tempore fit quidem inflammatio, sed partim facta, partim futura est, insignis tumor, sed continuo fluit materia, & maior fit, quintus terminus, cum tota materia iam fluxa est ita quod inflammatio in tribus terminis consideratur, & uariæ sumuntur indicationes, sed incipiamus à termino ad quem iam tota mã fluxa est, nec amplius fluxura est, fit que in summo, nec amplius expectamus nouum accessum, uolumus curare tumorem, cum tota materia fluxa est in duabus indicationibus manebimus: est caliditas præter naturam, & multitudo materiæ: ad feruorem refrigerantibus, ad multitudinem euacuantibus indigemus, & quoad primum incipiemus cum refrigerantibus, sed uideamus an id fieri poßit cum his quæ actu, uel potentia frigida sunt. certe non, quia talia constipant poros, cum autem materia contenta est in loco, & poros constiparetis eritis causa corruptionis membri, quia calor naturalis indigens respiratione, ut euentetur miscetur cum sua materia, & primo locus fiet uiridis, secundo nigrescet, & fiet gangrena, & sphacelos, & occidetis ægrum, Modo dicebam quod erat refrigerandum, uerum est, sed alia arte refrigerabimus non quidem cum his, quæ actu, uel potentia, &

per

per se frigida sunt, sed cum refrigerantibus per accidens, sicut sunt illa quæ faciunt difflare per halitum, sicut cum uultis refrigerare locum aperitis fenestras, ut euentetur, & ita locus inflammatus cum euaporantibus, refrigeratur, & hæc sunt calida, & humida, in primo sicut est chamæmelum, aqua calida simplex. lilia alba, & omnia quæ sunt calida circa primũ, quod si materia fuerit crassa calida, usque ad secundum ut asserit Galenus sint medicamenta: ista igitur sunt quibus debetis uti pro refrigeratione loci inflammati, ex quibus per euaporationem difflabitur materia, locus refrigescet, & simul, & semel euacuabitis, quia unum sequitur ad alterum, ista igitur est uia ubi inflammatio est facta quatenus facta est: Notetis modo Nos indigemus in hac intentione fomentis, quia iam supposuimus quod nec frigida actu, nec potentia, sed calida, uel actu, uel potentia necessaria sunt, fomenta autem diuersa sunt quæ debent reduci ad methodum, sicut fecit Galenus in secundo de ratione uictus in acutis commentario secundo, & hæ sunt differentiæ, uel humida sunt, uel sicca, uel permista ex his, istæ sunt tres, primæ uel sunt mordicantia & acria, uel sine mordicatione, uel mista ex his, quomodo debemus uti his fomentis, & distinguenda sunt ea? Dico quod ea quæ sunt humida, sine erosione ut aqua calida in uesica, uel uase aeneo, aut in spongia conueniunt materiæ biliosæ & acri, quare est hoc? quia contraria contrarijs curantur, materia biliosa acris est indigemus obtundentibus

quælia sint Refrigerantia..

Fomenta

dentibus eam, & quia calida refrigerantibus ideo humidum fomentum faciet compositionem, extinguet acrimoniam et refrigerabit, si fuerit sanguis tenuis fomentum siccũ sine mordicatione erit actu calidũ, quia oportet facere euaporationẽ, & resolutionem, & hoc quia contraria contrarijs curantur, & ideo facietis sacculũ ex milio, & hordeo calefactum moderate quo fomento facietis felicißimam difflationem, quia ita materia postulat, fomenta uero cum acria sint, & sicca, materiæ uentosæ, flamosæ in loco contentæ conueniunt, ut sacculus confectus ex sale, idem etiam potest cinis, Hippocrates tamen utitur sale, si fuerit materia pituitosa crassa in loco contenta humidum fomentum, cum erosione, & mordicatione erit factum, ex orobo, uel hordeo decocto in aqua, in aceto, hoc erit acerrimum. Ex hoc.n. decocto fomentum habebitis humidum, quod habet acrimoniam, & hoc propter materiam pituitosam, & crassam, & ista sunt capita omnium fomentorum, & hoc pacto inflammatio facta, ut facta est semper curatur, & non alio modo, sed quoniam difficile est cogitare an materia sit ita fluxa, et amplius fluxura non sit, & præterea quæ sit materia faciens inflammationem, adhuc forte difficilius est, ideo dicimus quod Hippocrates, & Galenus, duas regulas dederunt, unã propter ignorantiam causæ, alteram propter ignorantiam an materia sit fluxura. Quoad primã ignorantiam causæ regula fuit, ut à leuioribus humidis, deberemus incipere, postea ad erodentia sicca accede-

re, quia si non cognouerimus exquisite materiam melius est, cum humidis leuibus non habentibus efficaciam procedere, quia non lædemus, si non iuuabimus, & si non contulerint signũ est materiam magis crassam esse, secunda regula sumpta per ignorantiam, an sit materia fluxura, inquiunt. Vbi per tempus applicuertiis fomenta, & frustra applicueritis, siue humida sint, siue acria, nolite tentare amplius, quia uel augebitis difficultatẽ anhelitus, sed accedite ad euacuationẽ, quæ materiæ conuenit, ut fluxa est, & hæc indicatio sumpta est ab inflammatione, cum iam facta est, secundus gradus, siue terminus inflammationis est quando apparet tumor in loco, sed leuis calefactio, & modicus dolor, tunc primum principium est, quia fluxio non habet aliquid notatu dignum in loco: quid agendum est, cum eritis uocati, quia scitis inflammationem fluxionem esse, et fluxio est expulsio præter naturam de uno membro ad aliud membrum, ideo requiritur membrum mandans, & membrum recipiens, in nostra autem inflammatione membrum recipiens est membrana succingens costas, membrum mandans est ambitus uenarum pro exemplo. Quoad locum recipientem materiam in hac inflammatione, & in omnibus alijs, refrigerantibus actu, & astringentibus indigemus, totumq́; oppositum facimus quam inflammationi factæ conueniat, quia in facta cum calidis, & humidis procedemus, in hac uero cum frigidis, & astringentibus. Ideo dicebat Galenus secundo ad Glauc. cap. de

causis

causis inflammationum, inflammatione fienda, uel in principio inflammationis nil perniciosius est quàm humidis & calidis uti, quæ opposita sunt, cum facta est, quia ex constipantibus locus non recipiet excrementa, & refrigerabitur, & ex hac refrigeratione calor, qui attrahebat tolletur, & desinet attrahere, quia locus recipit excrementa non solum, quia debilis est, sed etiam quia ibi calor, & dolor est quæ attrahunt ualide, cum frigidis, igitur & siccis corroborabitis membrum, tolletis calorem & dolorem, quæ faciebant ad inflammationem quibus ablatis tolletis inflammationem. Quoad materiam fluentem ad membra recipientia debetis attrahere ad oppositum, quæ auersio cuius generis sit dicemus. Si uero media fuerit dispositio, & materia partim fluat, partim fluxa est, ista inflãmatio erit partim facta, partim futura, quia materia partim decurrit, et partim cucurrit, quoad fluxam indigemus eadē intentione, sicut indigebamus cũ inflãmatio erat facta, calidis. s. & humidis. sed quia fluit adhuc requiruntur remedia, quæ in principio cõueniebant, et ideo cum sit media uult esse quoad locum affectum remedium quod sapiat naturam utriusq; extremi. Ideo medici optime refrigerantia, & exiccantia cum calidis, & humidis permiscent, & accipiunt oleum rosatum omphacinũ cum oleo chamamelino, et accipiunt hyppocistidem rhu obsoniorũ, & tanto magis habent astringentia, quanto magis ad principiũ declinat, & quanto magis ad alterum extremorũ, tanto magis habent

Quõ ad Mam̃ fluentem

calefacientia, & humectantia. Si in medio sunt æqualiter habent astringentia, & calefacientia: quoad membra mandantia ne mandent, habetis quod materia iam deuenit, & fecit tumorem, ideo non tantum debet euacuari per auersionem, sed per deriuationem, immo etiam cum euaporantibus à loco. Cum igitur materia, quæ fluxa est deriuationem requirat, & partim fluxa, partim fluxura est cum uolumus euacuare materiam, quæ mittitur ad locum compendio utimur, tanto magis, quanto ægritudo non dat inducias, quia repit ad membrum, & ad locum nobilem, ideo simul auertimus, & euacuamus, & modus auertendi nõ est simplex, sed mistus cum auersione, & euacuatione, sed hic aliæ difficultates oriuntur. prima est nunquid ubi sit illa inflammatio incipiens nuper, & noua sine tumore, immo sine insigni caliditate, sed tantum cum leui, uestigio caloris debemus auertere, & trahere ad longinquum, quæ est auersio, aut ad locum medium qui conueniens est pro auersione, & euacuatione, secunda est nunquid in auersione faciẽda sit idem latus seruandum, & si fuerit in latere dextro inflammatio, in latere dextro fieri debeat si in sinistro, in sinistro, et hæc est illa quæstio tantum uentillata: ista duo sunt quærenda breuiter, & per capita: quæ utilia admodum sunt ideo attente audiatis, quia habebitis quæstionem non solum de mißione sanguinis in pleuritide, sed in quacunque inflammatione.

Et meam opinionem habebitis, quæ si nõ erit uera,

dubit saltem occasionem inueniendi ueritatem: in præcedentibus, si memoria recte tenetis de ea auersione loquebamur, quam in inflammationibus, uel in quacunque fluxione præseruante dicebamus fieri, ut simul euacuaremus materiam ad locum inflammatum fluxam, & ad oppositũ uerteremus, ideo inciderunt duæ quæstiones, prima fuit, nunquid inflammatione inci- Questio prima
piente, immo in qualibet fluxione, semper debeat fieri auersio eodem modo, an diuersis modis, secunda quæ- Questio secunda.
stio nunquid semper auersio ab eodem latere cum loco affecto, siue inflammato sit facienda. Occasio primæ dubitationis orta est à dubitationibus, & rationibus Tribus modis
difficillimis admodũ, cum. n. auersio fiat ratione fluxio consideratur
nis et fluxio non fiat eodẽ modo semper immo fluxio Fluxio
est, quæ non est præsens, sed timetur potius, ne fiat, 1
quoniam corpus ita plenum est, et membrũ debet esse assuetum recipere excrementa, & corpus ita repletum, ut uideamus fluxionem nisi præcaueatur, hæc debetur auersio Alia est fluxio, quæ præsens est, cũ ma- 2
teria iam incipit defluere, & locum rubefacere, ex dolore, sine tumore. tamen ut iam præsentem uideamus fluxionem, & ista est alia natura fluxionis. Tertio 3
modo consideratur fluxio, prout materia partim fluxa est, & iam fecit tumorem, & partim fluit, & hæc diuersa est ab aliis. Cum ergo diuersæ sint fluxionis naturæ, & nos diximus nunquã uariari indicationes operandi nisi uariatione naturarum. Hic ergo cum uariæ sint naturæ, uidetur etiam quod non sint eodem

modo faciendæ, ideo non sine causa orta est quæstio, tamen etiam si Galenum requirimus nunquam uidebimus aliud dicere nisi quod auersio ad oppositum fiat, & ita Hippocrates loquitur, cum dixit, in auersione seruari κατ' ἴξιν, id est rectitudinem, & κατ' ἰθὺ. Et docuerunt differentiam auersionis secundum diuersitatem situs, ut ab anteriori ad posterius, et è contra, & à dextro ad sinistrum, & à sursum ad deorsum fieri debeat, sed nullam aliam differẽtiam assignarunt & in quanta distantia sit illa rectitudo non declararunt, quod cum desideratur, ut recte declaretur quid sit κατ' ἴξιν seruari, & κατ' ἰθὺ, & an recte Galenus appellat κατ' ἴξιν, & κατ' ἰθὺ. In hac igitur quæstione ita procedemus, ut nullam aliam uiam inueniamus ad ueritatem indagandam rei propositæ, nisi eam, quæ naturam rei contemplabitur à Plat. inuentam, ab Arist. confirmatam, & à Galeno celebratam ideo indaganda est natura rei, quia ex ea nihil habebitis sine ratione. Circa ergo auersionem tria sunt consideranda quæ omnes auersiones connectunt, non tamen necessario, sed quamlibet auersionem aliquo horum connectitur, uel etiam omnia, primum est, ut seruetur debita distantia, quia auersio est motus materiæ de uno termino ad alium fluentis, uel fluxuræ, natura rei indicat, ut sit debita distantia, ut fiat motus, & attractio, quia quælibet attractio debet habere debitam distantiam, quæ sit in tali proportione, ut terminus attractionis ad quem fit attractio, cum termino loci, unde fi

de fit attractio proportionetur, hoc est primũ requisitum in auersione, secundum ut conseruetur consensus quidam uenarum, quia cũ debeat procedere per uasa, & per uenas oportet quod correspõdeant inter se ut una uena non sit uersus orientem, alia uersus occidentem, non dico quod non sit aliquod commercium inter uenas, quia quælibet uena habet cõmerciũ, et quælibet sectio uenæ euacuat à toto corpore, sed dicimus commodum consensum, ita quod dum seruatur proportio inter attrahentem, & attractum fit consensus, ut facile fiat fluxus materiæ ab uno loco ad aliũ locũ, tertium est ipsa rectitudo, iste aũt conceptus rectitudinis non est uniuocus, sed æquiuocus, rectitudo enim debet prius considerari secundũ rectitudinẽ uillorũ, qui sunt in uenis attrahentium, ut ex libro de usu partium, & de Facul. Nat. habetis, ubi declaratur, quomodo uilli longitudinales etiam in naturalibus membris, ut in uentriculo faciunt pro attractione, & proprium munus horum uillorum est attrahere, sicut munus obliquorum est continere, transuersi autem expellunt, rectitudo ergo quæ seruari debet est in triplici genere, primum est fibrarum rectitudo, quia in una attractione non speratur ut fiat ratione doloris, nec sufficit illa, quæ per uacuum, & calidum fit, sed requiritur, ut motus à natura adiuuetur, & motus successiue fiat de uno termino ad alium, ideo ductus fibrarum est considerandus, & quod fibræ perpetuo fluxu terminantur ad locũ fluxionis secundus terminus considerandi re-

ctitudinem est, ut seruetur perpetuo lineæ rectitudo, quia inter attrahens, & attractum debet esse linea recta, quia per lineam rectam breuis, & facillima attractio fiet, & hæc potestis uidere, si inter rem attrahentem & attractam curuam lineam ponatis mediam facientem angulum in medio, ut attrahens sit. A. Attractum. B. anguli uero. C. incipiatq; actio ab. A. ad. B. antequam ad. B deueniat, ad angulum deueniet, & debilitabitur attractio, & quandoque nulla, uel tarda erit, dico autem lineam rectam, ut non intelligatis lineam mathematicam omnino rectam, sed eam, quæ nō nisi paruum, aut obtusum angulum faciat, hæc enim recta dicitur respectu earum, quæ rectum, aut acutum angulum faciunt, et hæc rectitudo maxime refert, per se enim attrahitur spiritus & calor, loco aũt super calefacto attrahitur sanguis per uenas, qui per totũ corpus transpirat: tertia est rectitudo motus naturalis. Scitis enim quod omnis motus naturalis, uel à sursum in deorsum, uel à dextro in sinistrum uel ab ante ad retro, & omnis motus corporum simplicium habet unum horum motuum, & ubi non seruatur hæc situs rectitudo, motus non nisi uiolentus fit: igitur nunquam fieri debet attractio ad duas diametros, quia non seruatur situs rectitudo, & Auicēna inquit quod talis attractio, uel tarda, uel nulla est & uana, & ita tres species rectitudinis in qualibet auersione sunt seruandæ, omnes tamen sane enumeratæ cōditiones quæ sunt debita distantia, consensus uenarum, rectitudo fibrarum, &

rum, & uillorum, & lineæ rectitudo, & situs rectitudo, non sunt omnes necessariæ, sed aliquæ, & si omnes possent contingere in auersione illa esset omnium perfectissima, si non omnes, saltem potiores habeat. Et hoc uoluit Hippocrates enigmatice loquens, cum dixit auersionem fiendam esse κατ' ἴξιν. Voluit dicere hic admodum obscure, id est secundum rectum processum ad motum, ut commode possit fieri processus, & secundum debitam distantiam, in qua seruatur debitus connexus uenarum, & ea rectitudo quæ est secundum fibras, & secundum rectam lineam, & quæ est in finibus, ideo summa breuitate complexus est omnia, & noluit dicere κατ' εὐθὺ, id est secundum rectitudinem sicut Galenus exponit, quia determinaret se ad rem, quæ non est sufficiens pro omnibus requisitis auersioni, si tamen uelletis exponere Galenum per rectitudinem uoluisse intelligere triplicem rectitudinem possetis quidem, sed non possumus euadere quod Galenus non fecerit rem ualde difficilem, uel imperfecte exposuerit, quia non complectitur id quod κατ' ἴξιν complectitur, & si exponitis Galenū prout uerba sonant eius expositio imperfecta erit, si uultis exponere secundum rectum, id est ad triplicem rectitudinem extorquetis Galeni sententiam. Hactenus proprositæ istæ conditiones requisitæ auersioni. Et etiam considerandū quot modis accipiamus auersiones, et quomodo considerandæ sunt. Nemini dubium quod auersio multiplicatur in eodem numero, sicut

modi

Fluxio varie considerationis

Varij modi accipiendi Auersionem

Vnus modus

modi considerandi fluxionem, dicimus enim aliquam dici fluxionem, ut non fluat aliquid, sed timemus fluxuram esse. Sunt enim aliqui homines, qui singulis annis sunt parati incidere in pleuritidē, aliqui in alias inflāmationes in aliquibus partibus corporis, alij in dolorē capitis. Sumus exēpli gratia in uere, & uidemus talem paratum esse ut incidat in ægritudinem talem puta in dolorem capitis intensum scimus aggregatos esse multos uapores, & humores, & caput debile factum, timemus ne fluant ad caput humores, & faciat dolorem capitis: Volumus præcauere, facimus auersionem, talis auersio seruat hanc naturam, ut non sit necessarium, ut incipiat à termino ubi fit attractio, & desinat ad locum suspectum, non terminatur ad eam partem, quia nolumus retrahere à capite, quia nihil fluit nunc, sed uolumus tantum præcauere ne fluat ad caput, & incipimus ab opposita parte, nec terminus ad quem consideratur, ut uelimus motum hunc terminari ad illam inclusiue, uel exclusiue, sed quod materia, quæ solebat precipitare ad caput trahatur ad oppositam partem, & assuescat humor, & fluxio quæ fluebat ad caput fluere ad oppositum, & in hac auersione non est necessarium nisi seruare distantiam. i. maximā in maiori diametro, quæ competat illi auersioni, & ratio est quia nolumus à suspecto membro trahere, quod nihil fluit, ideo nihil debemus retrahere à loco, ideo nō est necessarium ut distantiam debitam, uenarum consensum, fibrarum ductum consideremus quæ habeant propor-

proportionem, & rationem inter duos terminos, sed uolumus ut euacuet à fonte caloris sanguinis, ab hepate. s. non à capite, ideo est auersio diuersi generis ea non curamus nisi distantiam maximam loci, ad quem fit auersio, quia nõ seruatur proportio inter duos terminos: Aliàs est modus accipiendi auersionem, quando non suspicamur materiam esse fluxuram, sed uidemus quod incipit iam fluere, & locus incipit inflammari, & non sumus amplius in metu, nec suspicamur fluxuram, sed iam accessit, ideo oportet uti expeditioribus remedijs, quia iam actu fluit materia, & inflammationem faciet maiorem, nisi prouideatur. In hoc cõsilium medici est, ut consideret terminum, unde incipit attrahere, & terminum, ad quem fluit materia, & prouideat, ut motus incipiens à loco, unde trahit, sit continuus & perpetuus usque ad locum affectum, quo fluit exclusiue, & ita terminet, ut exclusiue perueniat ad locum, & ratio est, si uis trahere humorem, qui actu fluit, & ad locum peruenit, debet motus non deficere, nisi perueniat ad locum affectum, quia si perueniret ad locum affectum non perueniret ad eum exclusiue, sed ad mediam partem, non desineret præcipitatio materiæ, quia motus non terminatur ad locum affectum, & hæc auersio commoda erit, sed si debet terminari ad alium terminum, necessaria sunt multa, in prima auersione diximus distantiam tantum modo seruari oportet autem ut sit uenarum consensus, qui incipiat à loco, unde fiat attractio, & terminetur consen-

sus

Alius modus

sus ad alium terminum, aliter lenta uel nulla esset attractio, præterea necessarium est, ut sit fibrarum ductus, quia nisi fibræ continuarentur, & perpetuus esset ductus ipsarum attractio interciperetur & tarda esset, & nisi esset locus propinquus, & in debita distantia, non fieret cita attractio, ideo debet seruari ductus rectus, & perpetuus ipsarum, credo uos perpetuum ductum fibrarum intelligere: sed ut rectius intelligatis, imaginetis digitum hunc manus esse uenam in dextra, & si ea parte sunt fibræ, quæ ducũtur perpetuo ductu, si essent in decima parte fibræ perpetuæ, & continuæ quæ facerent pro attractione à loco inflammato, & uos traheretis per partem sinistram, non seruaretis ductum fibrarum, quia sunt diuersæ fibræ in dextra, & sinistra parte existentes, & non continua inuicem, ita quod motus non seruaret rectam habitudinem fibrarum, adhuc autem maior consensus fibrarum est animaduertendus, cum postea diuiduntur uenæ in partes alias distinctas, & oppositas seruãda est præterea alia rectitudo, quæ est rectitudo lineæ, q̃a rectitudo lineæ est modus debitus ab uno situ ad aliũ sitũ, ut si incipiat à dextro ad sinistrũ terminetur, uel si à superiori ad inferius, uel ab anteriori ad posterius, quoniã hoc cõmodius erit ꝑꝑ alias indicationes, hæc omnia sunt seruãda, quo ad fieri põt, sed q̃a uario modo se habẽt uenæ in corpore, uariæ etiã fiunt inflammationes, si tñ haberetis uenã, quæ debitam seruaret distantiam, nec nimis excederet, nec nimis pro-

pinqua

pinqua eſſet eò propterea haberetis rectitudinem uenarum, fibrarum, lineæ, & ſitus eligendã, ſed quia hæc ſemper nõ poſſunt ſeruari nec haberi ſeruantur, quæ ſeruari poſſunt, & quanto plures conditiones habebunt, tanto melius erit, & ideo cum animaduertetis in dolore capitis, exiſtẽte dolore in poſteriori parte ſecando uenam in fronte, ſicut Hippocrates ibi, poſteriora capitis dolẽtia in fronte recta uena inciſa iuuat, in hac auerſione ſeruatur rectitudo ſitus à poſteriori ad anterius, ſeruatur debita diſtantia, quia non eſt tam remotum, ut attractio fieri non poßit, nec adeo propinqua ut fiat attractio, quæ dicitur deriuatio, non auerſio, ſeruatur præterea rectitudo lineæ, ita quod ex quinq; conditionibus ſeruãtur tres. ſed nunquid habeat cõſenſus uenarũ, & rectitudinẽ, ac ductũ perpetuũ fibrarũ: ſi recte cõſideremus nõ eſt hic cõſenſus fibrarũ qui requiritur, nec illarũ perpetuus ductus, quia uenæ directæ nõ correſpondent in anteriori, & poſteriori parte, itaque nec rectus ductus fibrarum, nec commodus conſenſus uenarum in hac auerſione ſeruatur, ſed tantum diſtantia debita, ſitus rectitudo, & lineæ, auerſio tamen commode fit, & ratio eſt, ubi incipit motus cum habeat requiſita ad commoditatem principij motus, nam quærit procedere ad terminum, ideo uidemus quod in qualibet parte corporis frictiones fiunt, ut excitetur dolor, aut calor ex diuerſis partibus corporis confluunt materiæ, & faciunt in loco aliquam inflammationem, tantum refert dare occaſionem attra-

ctioni,cum ergo ſeruetur in iſta auerſione diſtantia de bita,rectitudo lineæ, & ſitus,non eſt mirum,ſi naturæ excitatur ad motum qui collaturus eſt, ubi uero retra himus, ut ſæpe contingit ab una manu ad aliam con-currunt in iſta attractione primo rectitudo in ſitu à de xtro in ſiniſtrum, uel econtra ſecundo ſeruatur recti-tudo lineæ, quia ſi uultis diuertere materiam uidebitis rectitudinem lineæ & uenarum ſeruari, etiam debitã diſtantiam, niſi in extrema manu fuerit inflammatio, tunc etiam tota diameter corporis, talis tamen diuer ſio fit,quia reliqua ſeruantur, præterea conſenſus ue-narum, quia uenæ diuaricatæ ad dextrum & ſiniſtrũ deueniunt ad locum communem prope iugulum, ideo habent conſenſum maximum,ideo ſi ſecatur baſilica de xtri lateris ſeruatur conſenſus, non tamen ductus fi-brarum ſeruatur. Si modo fiat phlebotomia à dextro pede ad ſiniſtrum,ſi fuerit inflammatio in parte ante riori pedis dextri fiet neceſſario ex ſaphena interio-ri ſiniſtri pedis, & tunc ſeruatur ductus perpetuus fibrarum, & conſenſus uenarum, & ita commode fiet auerſio, licet ſit diſtantia inſignis, ſeruantur tamen quæ ſeruiunt ad auerſionem. Et ideo ubi anteriorem partem pedis inflammatio occupabit circa talum po-teſtis in diuerſione commode ſanguinem mittere ex ſa phena interiori oppoſiti pedis, ſi uero fuerit in exte-riori parte pedis baſilicæ oppoſitæ ſectio fiet,quia ſer uabitis maiorem ductum uenarum, & fibrarum, & ſic ſeruabitis in ſecundo modo dicta auerſione omnes,

Si fieri potest conditiones, sin minus potiores. Est modo tertia species auersionis cum ita annectimus ut & aliquid uelimus euacuare à loco cum materia partim fluxa est, partim fluxura, & hæc auersio composita est, sicut etiam inflammatio composita est, & quia habemus inflammationem secundum unam partem factam, secundum aliam futuram, ideo secunda materia auersionis debemus uti, propterea debemus facere diuersionem ut auertamus, & euacuemus: Quæritur modo an ad propinquiorem uenam debeamus accedere: Hic notate ubi fuerit plurimũ inflammationis & materia plurima in corpore distantia loci unde trahitur magna erit ad locum attractum si pauca erit plethora, & materia partim fluxa, partim fluxura distantia pauca erit: Exempli gratia existente principio inflammationis & multitudo copiosa sanguinis fuerit in corpore in auersione totius in principio eligimus uenam, quæ trahat ad longinquum, quærimus tamen ad proximam uenam, quando uolumus auertere, & euacuare à loco, & hoc fuit præceptum Auicennæ, & Arabum non aspernandum, & in illa duo seruantur, ductus fibrarum, & consensus uenarum, ideo saphena dextri pedis, & lateris secabitur, facta autem auersione impetuosi sanguinis repente irruentis ad locum inflammatum ex uena propinqua fiet, puta ex basilica dextri lateris, item Arabes uerentur plenitudinem, & impetum sanguinis, & facta sanguinis mißione ex saphena, antequam ad uenam eiusdem

lateris

Tertia species Aversionis

Praeceptum Arabum

lateris se conferant oppositam basilicam secant ne sanguis uersus partem affectam trahatur, & Galenus idem uoluit, licet sub dubio sit locutus in lib. de sanguinis mißione loquens de renum inflammatione, inquit ibi quoniam renes inflammantur, & multitudo sit in corpore, & initium fuerit inflammationis, tutius ex basilica, quã ex saphena mittimus sanguinem: Si uero multitudo non fuerit, sed humor tantum fluat ad renes, & initium fiat inflammationis à saphena fiet, quia hæc magis euacuat à partibus inferioribus, & quia renes connumerantur inter partes inferiores semper attractio fit deorsum in renum inflammationibus excepto isto casu, in quo uult Galenus ut attrahatur sursum ad oppositum, quia habet suspectam materiæ multitudinem, ideo uult trahere sursum, ne per hepar præcipitentur materiæ. existentes in partibus superioribus, & ad renes decumbant, uoluit ergo Galenus licet sub dubio, quod stante initio inflammationis, & materiæ multitudine seruari debeat longitudo, ubi uero non sit multitudo & initium inflammationis debetis deuenire ad eam partem, quæ commode trahat ab uno termino ad alium, Et hæc auersio quantum attinet ad loca affecta fit cum materia partim fluxa, partim fluxura est, & ab eodem loco præcise auertitis, nec locum mutatis, unde mittitis sanguinem, nec mutantur indicationes, quia debemus seruare proportionem inter terminos, & debet cito fieri, quia ægritudo non dat inducias, differunt autem secundum modum operandi,

randi, quia ubi materia incipit fluere, nec inflammatio facta est, sed est replens terminatur ad locum oppositum, sed cum fluit & pro parte fluxa est pro alia inclusiue terminatur auersio ad locum, ideo à loco etiam euacuari materia usque ad sanguinis mutationem debet. i. quousque aliquid educatur materiæ in loco contentæ, quia iam materia fluxa est: in hoc ergo differentia est, cum auersio fienda est pro inflammatione partim facta, partim futura, & pro ea, quæ incipit fieri in utroque seruatur eadem uena, sed modus operandi mutatur, quia ubi ad locum non est fluxa materia exclusiue modus operandi terminatur ad locum affectum, si uero, fluxit, tunc inclusiue terminum & locum affectum attingimus: relinquitur modo quærendum, utrum semper fiat ab eodem latere.

Dicebamus si recte memoria tenetis quod iterum uos non pigeat audire quot modis possumus intelligere hoc quod diximus auersio, & circa quatuor proposita, primum erat debita distantia, quæ tanta debet esse, ut sit sufficiens ad attrahendum ab uno termino ad alium, quæ autem sit mensura, an s. bicubitalis, an tricubitalis nõ potest determinari quia intelligenda sunt & pro ratione humoris fluentis, & temporis, & loci aliquando plus, aliquando minus requiritur: Aliqui tamen dixerunt mensuram esse quandam quæ est de uno humero ad alium, quod non est uerum, ut de auersione à posteriore parte capitis ad anteriorem facta patet in qua non seruatur tanta distantia. diximus secun

Secunda Questio.

do requiri consensus uenarum, quandoq; reliqua adesunt, & non erit consensus uenarum, exempli gratia cũ in pleuritide à latere dextro ex cephalica uelimus mittere sanguinem, ductus fibrarum, rectitudo lineæ, & situs à superiori ad inferius seruatur, consensus uero uenarum minime, quia magis est consensus basilicæ, quàm cephalicæ: ideo magis eligere debemus basilicam, quàm cephalicam, tertio diximus rectitudinem debitam eligendam esse, quam dicebamus in perpetuo ductu fibrarum consistere, in rectitudine lineæ & situs. Quoad rectitudinem fibrarum oportet ut perpetuo ueniant à loco attractionis ad locum attractum, & credo per fibras uos intelligere uillos, qui sunt per longitudinem, & transuersum, & obliquum, reddebamus etiam rationem cur ita esset circa rectitudinem lineæ. Aliquis posset mathematicam lineam intelligere, si posset habere tanto melius esset, sed quia non potest talis rectitudo exquisita esse eligimus uenam, quæ minores habeat angulos ab uno termino ad alium, sicut cum uolumus ire in forũ, si haberemus lineam rectam mathematicam, illam quidẽ eligeremus, quia breuissimum tempus facit, sed quia non potest recta seruari eligimus eam, quæ pauciores angulos habeat, & eam uiam rectam appellamus, quia nulla rectior est, & si habeat duos, uel tres angulos. Et hoc modo debet intelligi rectitudo lineæ, in qua commodior, & citior fit attractio. Vltimo erat rectitudo situs à superiori ad inferius, à dextro ad sinistrum, ab

ante

ante ad retro. De auersione autem triplex [illegible] conceptus, unus erat, cum non fluit materia, sed [illegible]ra est, & in hoc non seruamus perpetuum motũ ab uno termino ad alium, & motus auersionis non terminatur ad locũ, ad quem suspicamur deuenire, sed tantum ad aliam partem, ut assuescat humor fluere ad oppositũ, & fiant cauteria in cruribus, ne repant ad caput humores, qui solebant fluere à toto ambitu uenarum, & replere caput, nec curamus, ut terminetur motus ad caput, sed sufficit, ut terminetur ad inferiores partes, alius modus, siue conceptus erat cum incipit materia fluere, & facit rubeum non tumorem necessarium est auertere, & tunc motus ab uno termino ad alium uenit, id est usque ad locum exclusiue, quia sumus in principio, nec materia fluxit ad locũ, de qua sit curandum, sed fluxa est usque ad locum licet non impleat ipsum, & in hac sunt cõmodissima omnia quatuor iam dicta, quæ omnia si possunt haberi plura uel digniora, quia tanto melius attrahemus, ratio autem cur debeat hæc habere est, quia motus debet de uno termino ad alium terminari, in quo motu ad morbũ sunt ad usum commoda omnia illa. Alia erat auersio, quæ non simplex, sed composita erat ex auersione & deriuatione cum materia secundum partem decubuit in loco, & fecit non solũ ruborem, sed etiam tumorem, tunc duos habemus scopos, unus est ut materiã auertamus fluentem, alius ut fluxam deriuemus, maxime cum ad nobilem locum ex se, uel nobilem ratione ministerij fluxerit,

rit, sicut ad membranam succingentem costas, quæ licet ex se [illegible] nobilis, ratione tamen ministerij, quia mouetur in anhelitu, & tussim concitat est nobilis, ex qua tussi multa, incōmoda sequuntur, & aliquando mors. Ideo oportet præuidere ne aggregetur materia in illa parte. Ex his patet quid debeamus ad secundā quæstionem respōdere, an in inflāmationibus ex eodē semper latere sit fienda auersio: si absolute uultis respondere sine aliqua cogitatione: non esse necessarium potestis, immo aliquando ad oppositum, ut inflāmata altera manu, aut altero pede trahimus adalteram manum, & ad alterum pedem, & inflammata posteriori parte capitis trahimus ad anteriorem, & ita uidetis quomodo fiet auersio secundū omnes dimensiones, & ratio est, quia dum modo seruemus cōditiones iam dictas quantū fieri potest non refert siue ab eodem, siue ab opposito latere fiat, & ita semper debetis conditiones has seruare, sit uena ubi uelit esse, & inflammatio ubi uelit. Sed quoniam in inflammationibus intrinsecis in hepate, uel splene, uel renibus, uel in omnibus uisceribus interioribus contingit, ut uenæ eiusdem lateris seruent ductum uenarum, consensum, debitam distantiam, rectitudinem lineæ, ad idem latus trahimus excepto cum materia decumbit in octo costis inferioribus tunc semper debetis trahere ad latus dextrum. Si uultis obseruare conditiones à nobis dictas, quia si in eo casu nō attraheretis à dextro latere non seruaretis conditiones. In omnibus ergo inflammationibus

intrinsecis

intrinsecis præter eas, quæ fiunt in octo costis inferio ribus ab eodem latere trahetis, quia ductum fibrarum consensum uenarum, distantiam debitam, & omnem rectitudinẽ seruatis, sed ubi fuerit inflãmatio in octo costis quia partes illæ nutriuntur à ramis deriuatis à uena magna, quæ est sine compari sua, quoniam aliæ omnes diuaricatæ, duos stipites faciunt, hæc sola in dextro latere ramificatur. Vbi autem ramificatur indicatũ uobis est ab Excellentißimo Anatomico quòd supra cor, et cum sit in latere dextro, & utrinq; nutriat costas cum suis ramis si uelletis obseruare regulas à me dictas à dextro latere trahetis, & qui contradicit huic rei, ueritati ita contradicet, ac si dicerem ego palium uestrum esse album, quia ergo seruare debetis in omni auersione conditiones illas inflammationibus existẽtibus in illis costis inferioribus. semper à dextro latere fieri debet siue ex manu, siue ex pede trahetis. Et hæc sufficiant de diuersionibus, & ex quo latere: sed quia aliquando corpus ita plethoricum est redundans sanguine feruẽti, ut si deuenietis statim ad auersionem cum deriuatione, quæ fit cum seruatur motus ab uno termino ad alium, quicquid dixerint alij errabitis cum maximo ægrorum detrimento, & uestro dedecore. Exempli gratia eligendo in inflammatione hepatis, uel in pleuritide basilicam lateris eiusdẽ, quia in hac euacuatione de mißione sanguinis duas habetis intentiones, unam ut redundantiam sanguinis feruentis euacuetis, alteram ut trahatis ad oppositum,

postea accedere eodem die, & si ægritudo urgeat facta illa auersione, et euacuatione ad latus idem utrunque facere cum deriuatione, aliter oportebit usque ad syncopam facere phlebotomiam, sed tunc ad mortem ducetis ægrum, quia nõ sufficiet tempus ad concoquendam materiam, & eritis coacti nutrire ægrum, quando non erit opus contra regulas Galeni xi. Therap. ubi in febre putrida non mittit sanguinem, quantum oportet, ita in inflammationibus facere oportet, quia si indicatione à morbo debetis unc. x. sanguinis euacuare octo tantum extrahere debetis, quia alia multa sunt facienda, ideo Auic. dixit, & recondatur sanguis, quia thesaurus est uitæ cum phlebotomas. Galenus autem explicite, & non enigmatice sicut Auic. inquit. Oportet enim alia facere, putredinem curare, & inflammationem, & indigemus temperata uirtute, & alimento: sed ubi putredo non ad sit, nec febris putrida, sed sola inflammatio, tunc usque ad syncopam posset fieri, sicut cum synocham febrem habemus sine putredine incipiente sanguine in feruorem uergi, tunc Galenus statim sanguinem misit usque ad animæ deliquium, et dixit, se iugulasse febrem, ita in inflammationibus ante putredinem, & ante tumorem, quia non indigemus concoctione constante uirtute usq; ad syncopam possetis mittere sanguinem, ita quod in casu isto cum uolumus euacuare, & diuertere indicatione à morbo sumpta posset fieri, sed quis esset tam audax, qui faceret phlebotomiam usque ad syncopam, stante princi-

pio inflammationis cum plethoria corporis, illud ergo somnium nolite imitari: sed ubi fuerit plethoria maxima trahetis ad saphenas pedis, postea ad idem latus, semper rectitudinem seruando. Et ita facietis conscientia uestra, & omnia feliciter succedent. Et hæc erant, quæ attinebant ad indicationes, quæ à genere morbi sumebantur, & quia diximus quasdam indicationes à genere sumi, quasdam à causis, quasdam ab accidentibus, à moribus, et à termino præcognito. Habitis his, quæ à genere morbi sumuntur, de his, quæ à causis sumuntur dicamus. Causæ autem pleuritidis tam exquisitæ, quàm non exquisitæ, ut alias diximus cum causas explicaremus, possunt esse humores omnes, tamen si memoria tenetis, quæ diximus, & quæ à Galeno de inæquali intemperie dicuntur, quomodo fiant inflammationes uidebitis indicationes, quomodo sint euacuandæ, et inflammationes curandæ, fit etiam inflammatio cum sanguis purus, uel mistus alijs humoribus à uenis maioribus ad minores, à minoribus ad minimos quousque ad aliquã speciem deuenerit, & faciat tumorem, & putrescat, ita quod materia semper est mista sanguini, & si aliqua materia esset pura non mista sanguini, quæ euaporaret extra uenas, & faceret tumorem: non esset inflammatio, & accipiatis puram bilem extra uenas facere tumorem herpetes faciet, & nomadas, quæ sunt ulcera depascentia, & potius tumores ulcerosi sunt. Si pituita pura ædema faciet, nisi fuerit cum putredine, quia tum erit cum sanguine mi-

Indicatio nes quae a causis sumuntur. Humores

ſtum, & ſi ab humore melancholico tumor fiet dice=
tur ſcyrrhus, qui & à pituita craſſa fieri poteſt, ideo
puri humores alios tumores faciunt, quàm inflamma=
tiones. Vera ergo inflammatio cum rubedine à ſan=
guinis miſtione fit, bene apparet dominium ſanguinis
aliquando maius, uel atræ bilis, uel alterius humoris, ſi
atræ bilis anthraces facit, ſi bilis heriſypelas, ſi pituita
inflammationes ædematodas. Hæc uolui dicere, ut ſcia
tis unde ſumantur indicationes à materia: in hoc loco
ſanguis purus eſt, uel miſtus fluens per uenas ad lo=
cum faciens inflammationem. Hic ſunt duæ indicatio=
nes, una à materia, altera ab inflammatione, ſuperat
autem ea, quæ ab inflãmatione, ſed ſecum trahit eam,
quæ à materia ſumitur. Exempli gratia ſi pituita erit
cum ſanguine non eritis audaces ad ſanguinem extra=
hendum, ſicut cum bilis fuerit cum ſanguine permiſta
Regula per regulã à Galeno habitã, quod quanto magis diſtant
humores à natura ſanguinis, uel nõ diſtant tanto eri
tis audaciores, uel non eritis, ideo indicatio à materia
eſt miſta cum indicationibus ab inflãmatione, ideo in
omnibus inflãmationibus per phlebotomiã euacuabi=
tis, quia ſemper indicatio ab inflãmatione ſumpta ſu=
perat eam, quæ ſumitur à materia, & ſecum trahit.
Alia ratio eſt Galeni in ſecundo regiminis acutorum.
Regula Vbi fuerit inflammatio cum febre acuta à purganti=
bus medicamentis cauendum eſt & non niſi eas quas
tu cognoueris facillime purgari. Et ideo Galenus ad=
monet nos ne audaces ſimus ſuper pharmaco purgan

te in

te in acutis, quia alterum trium contingit, uel minus euacuabitis, quàm oportet, uel nõ euacuabitis, uel plus euacuabitis, quàm oportet: si plus euacuabitis, quàm oportet subito resoluentur uires ægri, quia euacuatur id, quod non debet euacuari, & statim acuta febre facile est præcipitium in aliam partem ex simili errore, si uero minus euacuabitis excitabitis humores, & spargetis per uenas, & putrescent, & deterior fiet ægritudo. Si non euacuabitis mouebitis humores, & non educentur, & cum materiæ illæ calidæ sint calefacient adhuc magis, & maiorem febrem facient tunc etiam sua ui delibatoria nocebunt, ideo tutius est auertere, & euacuare per phlebotomiam in inflammationibus cum febre acuta, & medicamentis cauere purgantibus: Alia indicatio ab accidentibus sumitur, quæ habent uim causæ, hæc autem indicant quid agendum exempli gratia in pleuritide solet consequi delirium, uigiliæ, maxima tußis, difficultas anhelitus, ut uix poßint anhelare, quibus accidentibus nisi occurratis, delirium in phrenitidem, uigiliæ resoluent uires, tußis ex motu illo faciet maiorem caliditatem in pulmone, ex consequenti maiorem febrem, & dolorem excitabit, ex dolore materia attrahetur, & inflammatio augebitur, nec cessabit motus, prius quàm ueniat ad interitum, difficultas anhelitus causabit ut non possit expirare, & cum indigeat, multa euentatione calor interius augebitur, & tali augmento resoluetur calor naturalis, & uirtutes omnes, ideo istis symptomatibu

Ab Accidentibus indicationes Capere.

Vigiliæ et Delirium tibus occurrendum eſt: quoad delirium, & uigilias, quoniam pendent ab eiſdem cauſis, iiſdem remediis tol lentur, A uaporibus enim calidis & ſiccis utrunque accidens dependet, ideo eadem remedia conuenient: indicationes autem duæ oriuntur, primo indicant, ut repercutiantur uapores illi quoniam naturæ fluxus hoc expoſtulat, alia ſumitur à natura uaporum, qui cum ſint calidi indigent ut refrigerentur, & humectẽtur, ideo oxyrodinum conuenientiſsimum eſt, quia in illo acetum ingreditur quod extinguet caliditatem, uapores reprimet, & ad profundum penetrabit: oleum Roſatum illud idem etiam poteſt, & ſi acres fuerint uapores miſcebimus, ſuccum ſolatri, & portulacæ, ut non ſolum ſua frigiditate obtundant acrimoniam, ſed etiam humiditate ſua occurrant ſiccitati illorum: ideo ſic facere debetis, cum delirium, & uigilias uultis curare, in hoc differt cura uigiliæ, & delirii, quia in delirio magis repercutimus, ideo etiam quod ſiccius ſit quod adhibebitur nihil refert in uigiliis magis refrigeramus, & humectamus, ideo in oxyrodino ad delirium plus aceti, ad uigilias plus olei roſati miſcemus: Quo ad tuſsim ſi uultis indicationes habere oportet primo uidere cauſas facientes tuſsim, hæ aũt ſunt uel multitudo materiæ, uel caliditas uaporum, uel acrimonia materiæ erodentis, quo ad multitudinem cum auertentibus, & euacuantibus occurrendum eſt, & facere auerſiones cum ligatoriis extremitatũ, ne materia in tanta quantitate erumpat ad locum: quo ad acrimo

niam

niam & caliditatem cum emplasticis, ut obtundatur acrimonia, cum refrigerantibus, & humectantibus ad caliditatem occurrere debetis, ideo optimum remediũ est eclegma ex gumi Tragacãthi, et, aqua Nenufaris, uel Violarum, ex gummi Arabico & in potu aquæ Violarum, & syrupus Violatus: Ab oxymelite autem cauendum est, & ptisana hordeacea detur, immo si erit tanta acrimonia, & appareat sputum citrinum farre cocto exquisitißime colatoq; utatur, sicut ptisana colata dando aliquando coctam, aliquando non, ut uoluit Hippocrates, sicut etiam nos in particulari cura dicemus: quo ad difficultatem anhelitus quomodo curabitis eam, nisi cognoscatis, unde fiat, Et nemini dubium est quod procedit ex magno dolore, ex quo non audet anhelare, præterea ex inobedientia instrumentorum, quia indurantur ex intensißimo calore, ideo remolliẽda sunt instrumenta, & remoueri debet dolor, ideo leniendus est dolor oleo amigdalarum dulcium, uiolaceo, & cum pinguedine porcina & butiro recenti, & cum muscilaginibus Altheæ, Maluæ, & omnibus his, in quibus non est excessus caliditatis, & cum ui molliendi, & dolorem sedandi: Et hæc sufficiant quoad indicationes quæ sumuntur à moribus, quia diximus mores malos esse in pleuritide, sicut in alijs morbis, quoniam quidam sunt deteriores, quidam non ita deteriores, peßimi, & mali moris pleuritis est illa, quæ sicca est, deterior illa, in qua sputum apparet uiride, uel nigrum, deterrima, quæ habet dyssenteriam, dete-

rior

Difficultas Anhelitus

rior adhuc magis, quæ habet febrem pestilentialem an nexã, quare omnes ferè interimit, ut Venetijs 1532. accidit: omnia hæc symptomata arguunt malos mores, & eis debetis occurrere: Vbi tußis sicca fuerit, quia scitis, quod tußis sicca non prouenit, nisi à rebellione concoctionis materiæ, quæ uel craßitudine sua, uel frigiditate resistit concoctioni: ideo oportet omni ingenio materiam concoquere, & ad hoc optimum est uti cale facientibus, & humectantibus fomentis, postea his, quæ habent uim incidendi: præterea debemus in potu mollientia, & maturantia exhibere, sicut melicratum, oxymel, ptisanam hordeaceam, & hæc interius sumpta conferunt, præterea habemus etiam quædam arcana, quæ mirabilia putantur, ut bibere oleum amigdalarum dulcium: Sed unum aliud est arcanum habitum à duce Vrbini ad concoquendum, subito pleuritidem pertinacißimæ cruditatis ut unc. iiij. accipere olei de semi. lini, & rasuram dentis apri, & exhibere calidum in potu, Et ego uidi summe desperatos à quodam monacho Sancti Benedicti de Mantua sanari, ualetq; remedium hoc summopere in eo, ubi tußis sicca est, ille tamen in omnibus semper operabatur, & admiranda sequebantur, faciebat emplastrum tale, Accipiebat Ciminum pulverizatum, & succum caulium, & pinguedinem porcinam, & hæc tria calida ponebat super locum, & mira sequebantur.

Vbi Tußis sicca fuerit

Reliquum est ut doceamus indicationes, ubi sunt mali humores cum materia est peßima. quum s. appa-

ret

ret ſputum, uel uiride, uel nigrum, uel rotundum, aut aridum. quantum ad uiride, & nigrum attinet, ſi uultis indicationes ſumere, uobis ſit perpetuum, ut prius naturam rei conſideretis, Et ideo ſi uultis ſumere indicationes cum materia facit malos mores, ut poßitis prouidere: oportet cognoſcere naturã rei, & uidere cur appareat ſputum uiride, aut nigrũ, & cũ uiriditas in ſputo, uel nigredo apparuerit alterum duorum eſt cauſa, uel ſumma frigiditas ratione cuius expuatur nigrum, uel uiride, ſicut etiam contingit cum ſanguis eſt extra in aliqua parte uireſcit pars illa, uel nigreſcit, & in cadaueribus aliquando contingit, uel fit propter ſummam caliditatem adurentem, frigiditas quidem extinguit calorem & ſpiritus tollit, & opaca fiunt omnia, & talis apparet color: Color autem adurens resoluit partes illas, & fit idem effectus cauſis contrarijs, ſi fuerit ſputum uiride uel nigrum propter ſummam extinctionem caloris innati, ad tactum ſumma percipietur frigiditas, & tunc eritis ſine ſpe, & unam habebitis indicationem ut derelinquatis ægrum, ſed ſi fuerit uiride, uel nigrum propter caliditatem adurentem, hic oriuntur tales indicationes, prima eſt, ut calorem præter naturam ardentißimum tollatis ſuo contrario, ideo refrigerari, & humectari corpus debet, quod uero collectum eſt ex aduſto humore ut educatur, non poteſt autem educi commode, niſi præparetur, ideo debet præparari, & ſi ita conſideratur natura rei tres indicationes oriuntur prima ut corpus re-

frigere-

frigeretur, ſecunda ut euacuemus, tertia ut præparemus, quoad primum alterabitis corpus cum aere, cibo, potu, cum ſyrupis, uel potionibus cum eclegmatibus, fomentis: quoad aerem ubi uidetis talem inflammationem uel quemcunque alium feruorem aerem frigidum & humidum eligatis, & ſi tempus erit calidum, frigidiorem locum domus eligetis, & cum aquis deſtillantibus ab alto, cū folijs ſalicum, & populi collectis, antequam à ſole calefiant, & rorem nocturnum exiccauerit, & colligetis in magna quantitate, & in cella uinaria recondetis, & paulatim, ponetis, ut ſemper folia frigida habeatis, quia ſi dimitteretis calefacerent magis, quia putreſcerent, & ideo oportet ut ſæpe mutentur, & cum aruerint tollantur, præſentaneum autem ad alterandum remedium eſt attractio aeris frigidi, & præparatio qua uti ſoleo in uiris ſcilicet continentibus, ut accipiatur uas magnum aqua frigidiſſima plenum, & prope ægrum ponatur, ut ex ea attrahat aerem frigidiſſimum. remedium hoc præſtantiſſimum remedium eſt ad refrigerandum cor, & ad extinguendum calorem adurentem: in uiris autem non continentibus cuſtodes erunt præſentes, ne hauriant aquam, quia tunc deterrimum eſſet: in cibo & potu debetis prouidere ut ſint frigidi, & humidi actu & potentia, & inter reliqua ptiſana hordeacea erit optima, quæ poterit alterari cum folijs lactucæ, Endiuiæ, cum floribus Nenufaris, Violarum, Erit enim præſtantiſſimum remedium ad refrigerationem, potus erit ex hor

deo,

deo, in quo ponetis ea, quæ refrigerant, & humectant, sicut sunt Violæ, flores Nenufaris, quoniam confortāt cor à proprietate, similiter Iuleb Violatum exhibere poteritis actu frigidum, quantum ad potiones erunt illæ eædem syrupus Violatus, de Nenufare, de papauere, quia consequuntur multoties uigiliæ ad tantam adustionem cum aquis Endiuiæ, Violarum lactucæ, & ab his caueatis, quæ recedunt ab humida natura, ideo aquam Solatri, nec aliquid Solatri ponatis in decocto, quoniam hoc eterogeneum est, Nec faciatis sicut medicus ille fecit, qui uolens refrigerare caput Illustrißimæ Ducissæ Vrbiniæ cicutam capiti applicuit, ex qua in conuulsionem incidit, ideo familiaria naturæ eligatis, quæ uim refrigerandi & humectandi habeant, in his igitur immorabimini eclegmatibus etiam ex eijsdē rebus & electuarijs uti poterits, & sæpe exhibere optimum erit, iuleb Violatum cum Zuccaro conditum ex Nenufare, & Violis, Rosis, & omnia ponetis simul, & sæpe de hac re sumat, & parum, fomenta etiā frigida ponetis, & super hepar si oportuerit ubi est fons, sæpe feruoris, & super cor, eruntq; talia, quæ cordi apponentur aromata frigida, renibus etiam apponentur, & fomenta, & linimenta, & olea ex eisdem rebus facta, immo aliqui folia accipiunt Nenufaris, sicut a paludibus extracta sunt, & supra membra inflammata apponunt. Caueatis tamen ab his, nisi ubi adsit maxima adustio, & in hoc requiritur medici summa prudentia: instrumentum autem quo prudens

effici

effici poteſt eſt conſiderare cauſas, et naturam rerum, & indicationes, qui enim hæc conſiderat prudens efficitur: Et hæc ſunt inſtrumenta ad alterandum, ubi maxima erit aduſtio corpus adurens: quantum ad humores illos aduſtos, qui debent excuti, ſi poſſent excuti, excuterentur, ſed quia craßi, & terrei ſunt, debent præparari ut apti fiant Et quia Galenus ſuper illo Aphoriſmo Vbi corpora quis purgare uoluerit oportet fluida facere, inquit quod dupliciter fit præparatio, una eſt præparando humores ipſos, alia eſt uias aperiendo, ut fluere commode poßint, ideo hæc duo agenda ſunt, cum quibus autem inſtrumentis hæc facere poteſtis? Certe cum humor ille craſſus terreus ſit, & non uiſcidus non indiget abſterſione, ſed inciſione, ideo quæ amara ſunt, non conueniunt humoribus aduſtis, immo amara ſunt aduſta, ſimile autem non curatur à ſuo ſimili, ideo cum opus fuerit aduſtos humores præparare, non utemini amaris: quid dicitis de fumoterræ, qui amarus eſt, & celebratus in humoribus melancholicis, quod euacuat, & confert illis humoribus: Moderni ſunt, qui eum celebrant, non tamen rationem aliquam afferunt, niſi uelitis exponere eorum dicta, & excuſare ipſos, quod ideo celebratur, quia euacuat humores aduſtos, Modo hæc eſt alia ratio, quia ſimile attrahit ſibi ſimile: ideo conuenit, quia euacuat, nõ quia præparat, quia præparatio fit cum contrarijs: ideo poteſtis excuſare Modernos, non autem quod præparet humores melancholicos, & ſi Hippocrates dicat ace=

tum,

tum, non esse conueniens humori melancholico ratione siccitatis, cum tamen frigidum sit: quanto minus conueniet calidum siccum: ideo pro concoquendo humore melancholico non utamini syrupo de fumoterræ, ideo non credatis scripturis, quia multi mendacia scribunt: oportet igitur ut concoquatur cum oppositis, & quia materiæ sunt adustæ calidæ, & siccæ oportet ut concoquantur cum humidis habentibus postea aliqualem caliditatem leuem, ideo maxime conueniunt decocta ex lilijs albis, Malua, Liquiritia, quæ habent caliditatem remissam cum humiditate, decoctum etiam Violarum, Maluarum, Altheæ, & seminum suorum, & posset fieri syrupus ex his, decocta in brodio pulli ad contemperandos humores melancholicos, immo iubeo Ego sæpe sic faciendum, cum uolo mederi secundum rationem cũ decoctis his pono aliquid olei amigdalini dulcis, cum modico zuccari, & summo mane exhibeantur pro concoquenda materia melancholica, & ubi per duos, uel tres dies exhibueritis hunc potum cum ratione uictus simili debetis aliquid quod incidat exhibere, sicut fit in humoribus melancholicis concoquendis exterius apparentibus, ut in scyrrhis duris, primo cum mollientibus procedimus, secundo cum resoluentibus, ideo dubitabat Auicenna, & nesciebat soluere, an scyrrhis acetosus uictus, uel syrupus, & acetum conueniant. Videbatur quod sic, quia incidit, & humor crassus indiget incisione. Ex alia parte uidebatur, quod non conueniret, quia exiccat: Dubitatio Auicennæ

conuenit quidem, & si conuenit, conuenit postquam fuerit mollitus humor, non conuenit prius: ideo syrupus de hyssopo conuenit in his maxime morbis, & in pleuritide potißimũ, imo decoctũ hyssopi erit conuenientißimum, quoniam habet uim incidendi humores iam præparatos, & fiet mutua euacuatio, & præparatio, ita quod nonnullis diebus præparabitis, & postea euacuabitis, & rursus idem facietis, & hoc est quod dicebant Moderni, paulatim concoquere, & paulatim euacuare, hoc est faciendum in crudis humoribus adustis. Cum quibus autem euacuabitis? licet Elleborum in pleuritide tradat Hippocr. non tamen cõsulo uobis ut tradatis talia medicamẽta, quia res succederet cum uestro dedecore, & morte infirmi: ideo si uos uultis educere tales humores polipodium modicum Epithimi accipietis, & caßia reliquis est præponenda, quoniam euacuat humores adustos, sine læsione, & humectat, & forte non inuenietis medicinam præstantiorem, quam si cognouissent antiqui, eam reliquis omnibus præposuissent. Hæ sunt indicationes, quæ à malis humoribus pleuritidis sumuntur, cum fiunt ratione materiæ adustæ. Si uero pleuritis cum dysenteria copulabitur, morbus est peßimæ naturæ, quia indicationes sumuntur à malis moribus, est autem peßima prima, quia in dysenteria fit euacuatio maxima, quæ resoluit uirtutem. Nos uero plurima uirtute indigemus, tùm propter maturationem, tùm etiam quia tußi excernendum est, & hoc fieri

fieri non potest nisi constante uirtute, & hæc ratio conuicit Arretheum, ut contradiceret Hippocraticæ sententiæ, qui phlebotomiam usque ad syncopam fieri uoluit in pleuritide: inquit Arretheus, si hoc fieret, uel ad peripneumoniam, uel ad mortem duceret ægrum, istam autem uirtutem dysenteria dissoluit: præterea & tota regione habet curationem oppositam, indiget pleuritis diæta, & ratione uictus humectante, & refrigerante, quoad refrigerationes essent concordes, sed dysenteria indiget emplasticis astringentibus, & tota curandi ratio talis esse debet, in pleuritide autem requiruntur refrigerantia, & humectantia, tenuis substantiæ: præterea omnia medicamenta, quæ conueniunt dysenteriæ sunt aduersa pleuritidi, quia oportet omnia esse sicca, in pleuritide humida. Vnde relinquitur illam curationem esse difficilem, in hoc casu oportet, ut nos declinemus ita ad ea, quæ sunt tenuissimæ substantiæ quoad fieri potest, & sic penetrabunt, & adiuuabunt coctionem, quatenus sunt siccæ substantiæ faciunt constrictionem, quæ non nocet pleuritidi, & poterit corrigere dysenteriam, & diuertere ad uiam urinæ, ideo prouocantia urinam sunt ei conuenientia, & erit optima methodus curandi, quia quæ conueniunt prouocationi urinæ etiam pectori conueniunt, nisi quod quadam tenus sunt humidiora, quæ pectori conueniunt, ut inquit Galenus quinto simplicium. Requitur autem tenuitas substantiæ utrobique: sed cauere debetis cùm prouocantia urinam eli-

getis, & quæ tenuis substantiæ sunt acria, uel acida sint, acria quidem sunt calida sicca, ut semen fœniculi, apij, petroselini, cyminum. Hæc omnia cauenda sunt, quia prouocant tussim exasperant exiccando, & calefaciunt, acida sunt sicut acetum, poma granata, quia exasperant, licet sint tenuis substantiæ, ab astringentibus etiam cauere debetis, quæ prouocant urinam, sicut est pentaphyllon, ideo influxionibus alui conuenit. Quare autem hoc facit non est tempus recensere. Illa ergo obseruabitis, ubi habebitis oppositas indicationes, quæ præcipit Galenus in secundo κατὰ τόπους. Vbi loquitur de dolore capitis uitio stomachi, & distinguit quædam dicta confuse ab Archigene, & quomodo indicationes sumptæ ab oppositis sint complicandæ, & semper ponderare præcipit, an magis urgeat pleuritis, an dysenteria, sicut faciunt nautæ in mari in magno impetu uentorum, declinant modo ad hanc, modo ad illam partem secundum, quod impetus uentorum magis urget. Si uero hoc nautæ obseruant, quanto magis medici? Dicam ego unum exemplum: quod soleo præparare, & est elecma, quòd sæpe, & parum in die, & nocte exhibere iubeo, quod habet succi myrtillorum unc. ij. carnis passularum, carnis pulmularum pinguium, carnis siliquarum quas uulgo carobas uocant, & componere cum unc. ij. penidiorum, & ponere iuleb uiol. q. s. uos habetis in hoc medicamento, quæ faciunt pro dysenteria, & quæ pro pleuritide, et regulam hic habetis, quòd licet sint composita

Elegma Montani.

posita simul emplastica, & quæ tenuis sunt substantiæ emplastica ita confecta sunt, ut habeant uim leniendi pectus, prouocandi spiritum. Myrti enim quamuis habeant astrictionem, habent tamen ita moderatam, quod non prouocant tußim, immo in ægritudinibus pectoris exhibentur, quia non exasperant, idem etiam est de carne dactylorum, astringunt quidem, sed habent pinguedinem quandam, quæ facit ad leniendum pectus, ideo talia astringentia, & emplastica cum componuntur conferunt pectori, & quod dico de hoc exemplo si eritis sagaciores, procedetis ulterius, donec artem assequemini: istæ sunt indicationes cum fuerint complicata dysenteria, & pleuritis. Quando uero pleuritis Epidemia fit, ita quod occurratis pleuritidi Epidemicæ statim apparebunt pustulæ, quas uulgo petechias appellant, in eo casu facile est prouidere, quia non imponit nobis, quia id quod est perpetuum in Epidemijs, quod cauterizat Epidemia est, quod habet causam communem, quia morbus communis quia affectus communis non prouenit, nisi à causa communi, causa est uel à cibo, ut refert Galenus in libro de his, quæ sunt boni, uel mali succi, de quadam penuria, quæ fuit tempore suo, ex qua Epidemia causata fuit, uel ab aquis putrefactis, uel ab aere. quæ propter famem contingit raro euenit, quia raro famem patiuntur, nisi pauperes, uera autem est, quæ omnes occupat, & quandoque diuites magis, quia ocasiores, & delicatiores sunt. Et hæc fit ab aere plu-

Pleuritis Epidemica

rimum humido, quia proxima, & uera causa Epidemiæ est ab aere calido & humido, & tunc fiunt plurimæ putredines, ex qua putredine generantur febres pestilentiales: ideo ubi uidebitis febrem pestilentialem annexam pleuritidi siue sit Epidemialis, siue nō in corpore parato ad putredinem quid faciemus in isto casu? Debetis esse sagaces, & medicus in hoc debet esse sagax, quia indicationes sunt oppositæ, quia febris pestilentialis exiccantibus indiget, quia ibi est maxima putredo, quæ remouetur exiccantibus, quia ab humiditate fit, & cum difflantibus, & aperientibus obstructiones, tam intrinsecas, quam extrinsecas, pleuritis uero (ut dicebamus) non indiget exiccantibus, sed aperientibus quibusdam, ideo oportet, ut inueniatur methodus occurrendi his duabus ægritudinibus, & dum medemini uni, alteri non noceatis: idcirco eligetis primo ea, quæ ita sunt sicca, ut non exasperent, differunt autem ab exiccantibus, quæ conueniunt in dysenteria, quia sicca hæc dicuntur esse aromatica, quia uenenum occupat cor. Et quo ad uictum iubebitis, ut utatur tali uictu, & uere tendente ad frigidum, & siccum alteratum cum frigidis, & siccis, cum aceto, & aqua rosacea, & sandalis omnibus, scilicet rubeis, citrinis, & albis, faciat suffumigiū, et erit optimū pro confortatione cordis, & ad prohibendum obstructiones, oportet autem cauere ab alterantibus aerem, quibus utimur in maxima adustione, quia quæ ita refrigerantia sunt, ualide poros obstruunt.

Acceda-

Accedamus modo ad indicationes, quæ ſumuntur à temporibus morbi: tempora autem ipſius morbi manifeſtiora ſunt, quam quod declarari debeant. Sunt enim principium augmentum ſtatus, & declinatio, & ſic omnes morbi procedunt per iſta quatuor tempora ut patet ex primo de criſi, & etiam ex eo libro, quem ſeorſum fecit Galenus de quatuor temporibus morbi: indicationes igitur, quæ à natura ipſius morbi ſumuntur eodem modo procedunt, quo etiam reliquæ omnes: ſic quidem in iſtis natura rei, ſicut etiam in alijs primo conſiderari debet: quia iſte eſt ſcopus, cui inniti debemus. Conſideranda igitur eſt natura iſtorũ temporum, & ut ordinate ſicut conuenit procedamus incipiemus primo ab indicationibus, quæ à principio ſumuntur ipſius morbi: quia uariæ ſunt, & diuerſæ, quæ à principio, & quæ ab augmento, & quæ à ſtatu, & quæ à declinatione ſumuntur, indicationes igitur, quæ à principio ipſius morbi ſumuntur dicuntur conſiderando naturam rei, ſcilicet quid ſit principium morbi, principium autem ipſius morbi à Galeno, & reliquis optimis quibusq; authoribus tripliciter capitur, uno modo ut eſt principiũ indiuiſibile, et de principio iſto modo nulla prorſus erit mentio, quia ab iſto nulla prorſus ſumitur indicatio, quia iſtud principium nullam habet artem, nullamq; indicationem dat. Reliqua uero duo ſunt animaduertenda, quorum alterum ab iſtis Modernis dictum eſt principium principians, in quo inquit aliquid fluere tempore inſigni, & no-

A Temporibus Morbi

Principium trifariam capitur

1

2

tabili, & istud in tribus, uel quatuor diebus, & ut bene dicebat Galenus ferè in prima acceßione morbi, quandoq; tamen usque ad quartum protenditur. Aliud uero est principium magis artificiosum, quod distinguitur contra reliqua tria tempora morbi, quod sumitur penes concoctionem, & cruditatem ipsius morbi, & ubi incipiunt apparere signa aliqua concoctionis desinit illud principium, & tunc sequitur augmentum. Cum uero signa apparent perfectæ coctionis, tunc sumus in statu. Cũ igitur duplex sit principium: principium principians, & principium quod sumitur penes coctionem, & cruditatem. Videamus quo pacto in istis debemus procedere. Nam pleuritis est inflammatio, inflammatio autem est fluxus, ut scitis, ex quo uidetis quantum nobis deseruiat conceptus ille communis fluxionis ipsius, quẽ superius diffuse declarauimus, quod scilicet fluxio est expulsio materiæ præter naturam de uno membro ad aliud, cum autem pleuritis sit huius naturæ, & principium principians sit inter quartum diem, & non pertranseat, sequetur quod in principio principiante pleuritis erit perpetua fluxio præter naturam de uno membro ad aliud, quia materia eo tempore est in fluxu, & partim fluxa est, & partim adhuc fluit, si igitur necessarium est quod in principio principiante materia sit in fluxu, de nenesßitate sequitur, quod pleuritis perpetuus motus à termino, à quo incipit fluxus ad terminum, ad quem terminatur fluxus: ita natura rei exquisite considerata se-

ta sequetur indicatio curandi, quod scilicet pleuritis sit fluxio materiei perpetuo tendens ad partem inflammatam: in hoc principio tria facere necessarium erit, primo repellere materiam illam, ne amplius ad illum locum tendat, secundo auertere eam ad partem oppositam, tertio euacuare partem iam fluxam, quot autem sint auersionis species, & quomodo fiat iam diximus, quarum una est, quæ terminatur necessario usque ad locum affectum inclusiue, quia debet sequi motus ipsius naturam, cum autem materiæ raptus sit de uno loco ad alium, ita auersio ista debet esse perpetua à termino, à quo incipit fluxio talis, & tendere usque ad terminum ad quem terminatur inclusiue, ita ut euacuet etiam à loco, hoc ita habito apparet in hac inflammatione pleuritis quod sanguis semper ab eadem parte est educendus, quia semper prouidere debemus, ut auersio incipiat à loco, à quo trahimus, & terminetur inclusiue usque ad locum affectum: Et ideo bene dicebat Hippocrates in secundo de ratione uictus in acutis, quod si ab opposita parte mittamus sanguinem uel nullum, uel tardum sequetur remedium, ab eodem latere igitur semper debemus mittere sanguinem quia opus est ut iste motus euacuet à loco affecto, & cito, quod non contingit in auersione primo modo dicta, cum tantum huiusmodi auersione utamur in præseruatione: si igitur scitis quomodo fiunt inflammationes ex libro de inæquali intemperie, & in de tumoribus præter naturam, semper sanguis, & humores

à maiori-

In principio tria agenda

à maioribus uenis ad minores, & à minoribus adhuc ad minores, quouſque ad minimas perueniat, cum autem iſte motus fiat per uenas facillime etiam poteſt euacuari: Quantum uero ad repercußionem, an liceat repercutere unquam in pleuritide in principio, nunquam hoc faciatis, licet indicatio quæ à loco affecto ſumitur, hoc exigeret, tamen caueatis à repercußione in pleuritide, quia plurima damna uobis ſequentur abſq; ulla utilitate, quia ſi uolueritis repercutere, cum membrum affectum ſit neruoſum, repercutientia autẽ ſunt ſtiptica, aſtringentia, & exaſperantia mirum in modum lædetis, Et uos ſcitis ex Galeno in tertio de medicamentis ſecundum genera cap. primo, quantum ſint inimica huiuſmodi neruis, & neruoſis partibus, habetis ultra ipſum Galenum, Auicennam etiam qui in quarta Fen. quarti Tractatu quarto loquens de ægritudinibus neruorum transfert dicta Galeni & inquit, quantopere aſtringentia neruis ſint infeſta: item eſt aliud, quod ſequitur, ſi repercutiẽtibus utimini in pleuritide, quia cum inflammatio prope erit membra nobilißima facile fiet fortaßis lapſus illius materiæ ad mẽbrum nobilius, ut uerbi gratia ad pulmonem, & ſic fiet de pleuritide peripneumonia, quæ deterior eſt ipſa pleuritide, & ſic proijcietis hominem de ſartagine in ignem, & facillimus eſt tranſitus de ipſa pleuritide ad peripneumoniam, ita ut quandoque non poßit euitari: ideo bene dicebat Arretheus: cauene ad peripneumoniam uel ad caſum uirtutis deducas pleuritidem cum

In principio nunquam repercutiendum

tuis repercutientibus, præterea ſi uolueritis repercutere, neceſſariũ erit ut utamini aſtringentibus, aſtringentia autem aſtringunt pectus, & faciant difficultatem anhelitus, & prohibent ſputum, quod maxime nocet ægris: ideo licet in omni inflammatione quatenus inflammatio in principio debemus uti aſtringentibus, ratione tamen loci affecti & materie uenenoſæ nunquam eſt faciendum, ut in pleuritide, tertium quod erat faciendum erat euacuare materiam fluxam in iſto principio principiante: Galenus tamen in ſecundo de febribus ad Glauc. ait nihil deterius eſſe, quàm in principio inflammationis uti euacuantibus, ac aperientibus, qualia ſunt ea, quæ euacuãt à loco, quia tunc plus de materia trahimus ad locum inflammatum, & facit humorem magis putreſcere, & extinguitur quandoque membrum & ſuffocatur eius calor: ideo in principio principiante cauebitis à fomentis, & ab euacuantibus à loco, ita ut in huiuſmodi principio principiante una tantum ſit indicatio operandi, auerſio, & caueatis à repercutientibus, & ab euacuantibus à loco, & aperientibus, quoniam utrunque infeſtiſsimum eſt: ſed dicet aliquis ueſtrum, hoc quod dicis contradicit authoritati Hippocratis qui & ipſe in ſecundo de ratione uictus in acutis in principio principiante iubet calida & aperientia loco applicari ut fomẽtum ex aqua calida, quod habet uim aperiendi, & euacuandi, & applicat in principio, ergo male dixiſti, quod in principio inflammationis non debemus applicare fomenta aperien-

Obiectio

aperientia, & euacuantia à loco: At legatis Galenum in commento, & uidebitis ipsum dicere, quod huiusmodi fomenta, quæ in principio applicantur sunt potius tentandi gratia, quia materia posset esse tam pauca & paucus admodum fluxus, & nulla plenitudo in corpore, & tunc poßetis statim in principio à loco euacuare, quia id quod fluxit indiget euacuatione, & euaporatione: Si igitur non fuerit periculum, & noua materia fluat ad locum tunc raro poteritis, & à loco euacuare, & aperientia applicare: sed ubi urget dolor, & totum sit repletum, & sit periculum, ne materia noua ad locum fluat, & inflammatio augeatur, tunc abstinebitis, ideo bene dicebat Hipp. Et si non iuuerint fomenta, statim remoueas, & accede ad totius euacuacuationem, & sic authoritas Hippocratis non est contra nos: ideo in principio inflammationis stante plenitudine in toto nunquam à loco euacuabitis, sed potius repelletis, nisi sit quod impediat. Et hoc quantum ad indicationes, quæ à principio principiante sumuntur: quantum uero ad principium secundo modo dictum, quod quidem est totum illud tempus, in quo nullum apparet uestigium concoctionis, concoctionis autem inditium est in ipsa pleuritide sputum ipsum, quia cum in sputo apparet aliqua concoctio tunc non sumus amplius in principio. sed in augmento, & hoc habetis à Galeno primo, & secundo de crisi, Vrina non indicat concoctionem quæ fit in pleuritide, sed de ea quæ fit in uenis, & per consequens de febre, antequam

Indicationes a principio 2do modo sumpto.

quam igitur appareat uestigium aliquod concoctionis in sputo in ipsa pleuritide illud dicitur principium, pleuritidis: sed quas indicationes dabit nobis istud principium? dico quod si haberet eas conditiones, quas habebat principium principians daret nobis easdem indicationes, sed quia contingit in isto principio contra alia tempora morbi, ut materia iam sit fluxa, & non amplius fluit, sed pertinaciter adherent, ita ut non poßit concoqui, nec abstergi, sed cruda, incoctaq; permanet, sicut in cura Anaxionis dicemus, cum igitur materia sit iam fluxa diuersas dat nobis indicationes, si enim sit cruda & simus in principio ad concoquendum ipsam accedemus & quid faciemus? cum moderate calidis & humectantibus procedemus, ut cum fomentis à Galeno propositis, cum aqua calida, furfure, & oleo decocto in aceto, cum decocto ex Cymino, Sisamino, liliorum alborũ, Chamæmeli, semi. Cherui, Cymini, Fœnigræci quæ omnia primum caliditatis gradum non excedunt: si uero pertinacius adhæreat materia, & impacta sit quia scitis cum materia est frigida ualde, & crassa in oleo impacta, quod indiget concoctione, cum his quæ secundum caliditatis gradum accedunt: ideo accedatis ad emplastrum de Cymino, & huiusmodi, cum uero uultis concoquere accipietis ea, quæ non excedunt primum gradum caliditatis, sed cum materia fuerit crassa, impacta, pertinaciterq;, accedetis ad Myrrhã: Bdellium, & Ammoniacum, quæ calida & sicca sunt in tertio, & uim concoquendi, & maturandi materias

mpactas

impactas in loco habent: Et talia etiam erunt confectio ex iride, Marrhubio, oleum etiam illud, quod per os sumitur. ſ. amigd. dulc. ſem. lini confert, illud quod dicunt à proprietate occulta trahere puluis ex dente Apri: an uero id faciat à proprietate occulta non poſſum id uobis affirmare. ſed debetis ſemper quantum poteſtis fugere iſtas proprietates occultas, & maxime cum non poßint rationes habere: Vos igitur ſcitis cum ſit os, & ſiccum ad modum, ideo huiuſmodi oſſa in ægritudine à materia craſſa pendente conueniunt, Vnde dicunt craneum humanum Epilepticis conuenire, quia exiccat cerebrum: Cum igitur dens Apri ſitos durißimum habet ſiccitatem, non exaſperantem, ſicut quam plurima aſtringētia habent, cuius indicium leuitas illa, & candor, & albedo illa: habet præterea partes terreas permixtas cū humore aqueo, et aereo, & iſta ſunt adeo connexa, ut faciant cōtinuitatem partium, & tenuitatem ſubſtantiæ, ideo interius aſſumptum exiccat, & cū locus habeat materias impactas, ſi adhibeatur res exiccans tunc facit quod inflammatio & materia illa tumefacta, & extenſa contrahitur, & exiccatur, & ſic non amplius facit ſolutionem continui, ſi placebit ita uobis per cauſas ſpeculari faciatis, & iſta ſunt, quæ poſſunt dici de principio, quocunque modo dicto, indicationes uero ab augmento ſumuntur, ſcitis naturam augmenti, in ipſo enim incipiunt apparere ſigna concoctionis, & ſputa incipiunt excerni, tunc indicatio oritur, quod roboranda ſit uirtus, abſtergen-

Indicatio: nes ab Augmento.

abſtergendum eſt ſputum, incidendumq́; , atque præparandum: Naturam autem roborabitis cum moderate nutrientibus, cum leuiter abſtergentibus, & incidentibus ideo Galenus & Hippocrates apparentibus ſignis concoctionis exhibebant ptiſanam, & oxymel, ut habeat nutrimentum, & uim abſtergendi, & humectandi, quia ex re humida actu & potentia facilitatur ſputum, quod facit ptiſana: Oxymel uero dilutum non aſperum exhibeatur, ut abſtergat, incidat, & mundificet: & corroboramus etiam naturam, quia natura ſi debet expellere materiam per tußim indiget magno motu, ideo opus eſt ut ſit ualida, quod ſit præparando humores: ſed dicet quis ex uobis uidetur male factum exhibere oxymel ſimul cum ptiſana: Dico quod non ſolum exhibetis, ſed prius exhibebant ptiſanam, & ipſa concocta poſtea oxymel offerebant, ita ut oxymel nunquam inueniret ptiſanam crudam, neque econtra: Et Auicenna affert rationem ineptam quidem in quarta primi cap. de aqua hordei, & de ſyrupo acetoſo quia oxymel appellat ſyrupum acetoſum, & dicit quod non ſunt ſimul exhibenda quia aceſcunt in ſtomacho, quia acetum facit aceſcere ptiſanam, igitur cū ptiſana non audent iſti adhibere oxymel, neque acetum, neque uinum propter illam authoritatem, ſed Galenus primo ad Glauc. conficit ptiſanam cum aceto, ut melius penetret, & ratio aßignatur à Galeno in tertio de ratione uictus commento 35. ſcitis inquit ibi, quod non debemus permiſcere oxymel cum ptiſana

quia

quia sunt diuersarum naturarum non possunt conco=qui, nisi cum perturbatione. ideo bene dixit Hipp. & Galenus prius uoluit ut diuiderentur, ne facerent per turbationem in uentriculo: & ita debetis cauere à uarietate cibariorum, quia sunt diuersarum naturarum facient perturbationes in stomacho: Et hæc satis sint dicta quoad indicationes, quæ ab augmento sumuntur: quæ uero à statu eadem prorsus sunt, differunt solum, quia omnia in statu dicuntur augeri, sicut ipsa conco=ctio est aucta, nec indigemus ita abstergentibus, & incidentibus, sed tantum roborantibus uirtutem, ut sit potens ad expellendum, & hoc habuit Hippocrates in primo de ratione uictus in acutis uigesimo quinto, uigesimo sexto, & uigesimo septimo uidebitis: Vbi ait quod ubi est ægritudo circa statum ptisanam exhibendam esse non amplius cremorem, ut uirtus corrobo=retur, & fiat abstersio in pectore, & humectetur materia, sed hæc istos perturbant, quia dicunt Galenus dicit circa statum ægros nutriendos esse, in principio autem minus, quia uult nisi oxymel. s. uel solam mul=sam, & quandoque cremorem ptisanæ: in statu uero ptisanam in substantia exhibet, sed dixit Hippocrates aliàs quod circa statum uictu tenuißimo uti debemus, in principio autem uberiori: sed isti non aduertunt, quantum differant reliqui morbi ab isto: Nam iste morbus pleuritis s. habet circa statum euacuationes iam factas, & apparet motus naturæ, & materia iam concocta est in pectore, & solum expulsione indige=mus,

Indicatio:
ab a Statu

Contradictio

mus, quæ debet fieri à uirtute, ideo debemus ipsum roborare circa statum, quia tunc indigemus expulsione, & non concoctione, ideo cum circa statum præcipiunt nutrimenta non esse exhibenda, hoc ideo est, ne impediamus naturam ab ipsa concoctione, hic autem materia est concocta, ideo bene exhibuit nutrimentum corroborans uirtutem, & cum hoc habetis uim abstergendi humectandi, & leuiter aperiendi: Et ideo bene dixit Galenus nõ chondrus, non far exhibebitur, quia licet chondrus magis nutriat quàm ptisana, crassefacit tamen humores. Nos autem hoc nõ indigemus, ideo chondrus non est bonus, præterea non testiculos gallorum: non oua sorbilia, quæ etiam magis nutriunt, quàm ptisana, et facillime concoquuntur, nõ tamen habent uim illam abstergendi, & mundificandi: ideo licet non noceant, nõ tamen iuuant, quia unam tantũ ex illis operationibus, quibus indigemus, efficiũt, quas omnes à ptisana habemus, ex quo habetis quod in huiusmodi inflammatione in pleuritide cum materia concocta est augendus est cibus: extra regulam omniũ morborum, quia facta concoctione natura quærit expulsionem, ideo corroboranda est. Sed quoniam sunt aliqui, qui neq; ptisanam, neq; oxymel tolerant, tùm propter debilitatem uentriculi, tùm propter alia: tunc Galenus loco ptisanæ exhibet pisces saxatiles decoctos cum Anetho, Marrhubio, et modico salis, nec abhorret sal, sicut faciunt isti, qui dicunt excitare tussim. Verum est si in maxima quãtitate exhibeatur: in parua mun-

dificat, & ſic acetum ſi in maxima quantitate aſſumeretur eſſet mors, ſed in parua iuuat, ita ſal in parua abſtergit, mundificat, et ſputum facilitat. Si uero oxymel nocuerit, loco eius exhibeatis cõfectionem ex iride & Marrhubio hoc modo confectã. Accipiatis rad. iridis drac.ij. Marrhubij M.i. & decoquãtur in aqua uiolarum, uel hordei, uel capillorum Veneris uſque ad conſumptionem tertiæ partis, & cum zuccaro tepidum exhibe, & parum, & ſæpe: ex hoc habebis cõcoctionem, operationem, prouocationemq́; ad tuſsim, & hæc de indicationibus à ſtatu. Quæ uero à declinatione ſumuntur ſunt, ut magis nutrias ægrum, & ut parce ad uini uſum deducas. Vinum enim confert eo tempore, quia prouocat urinam, facilitatq́; ſputum: & hæc ſatis ſint quantũ ad indicationes, quæ ſumuntur à temporibus. Quantũ uero ad indicationes, quæ à motu ſumuntur, quod erat ſextum caput facile iſtæ cognoſcuntur. Vbi enim fuerit uelox motus, ita ut terminetur in quarto tenuiſsimo uictu uteris, ubi ſunt ſigna concoctionis, & ſi in prima die ſputũ apparuerit, & accidentia magna, ratione iſtius motus, tunc tenuiſsimo uictu uteris, ſi uirtus conſentiat, & regio permittat, ſola mulſa uſq; ad ſtatum, in ſtatu uero ad ptiſanam accedas. Quantum uero ad indicationes, quæ à termino præcognito ſumuntur, quantũ faciant uos ſcitis, quia uel reſoluitur inflammatio, uel ſuppurat, & expuitur materia, uel tranſit ad mortificationem membri: debetis prædicere aſtantibus, in termino igitur

tur præcognito debetis esse cauti, & istæ sunt indicationes, quæ sumuntur à morbo, qui habet illa septem capita, quæ audiuistis. Quantum uero ad indicationes, quæ à loco affecto sumuntur: ipse consideratur prout habet talem, uel talem substantiam, ut uerbi gratia, si est nerueus uel carneus, uel mẽbranosus, modus etiam substantiæ, an durus, seu solidus, an laxus seu mollis: complexionem etiam eius consideretis, & cuius operationis sit, an nobilis, seu ignobilis, cuiusq; sensibilitatis, an multum, parum'ue sensibilis, ac insensibilis. Situs etiam consideratur, an in profundo, an in superficie fuerit, an prope, an remote, uias, ductusq;. quos habet perpendere debetis, & per quas uias poßit expurgari: præterea, quas colligantias habeat. Quantũ ad primum, si substantiæ nerueæ, & duræ, & exanguis fuerit, scitis quod remedia, quæ debent applicari dicuntur esse tenuißimæ substantiæ, ut poßint penetrare, si debent iuuare: et sic à substantia membri, elicietis indicationes, ex quibus scietis medicamenta, & prognostica, quia si sit locus affectus nerueus, & materia uiscida scietis, quod ægritudo erit longa, quia materia non potest facile extirpari, ideo substantia membri dat uobis indicationes prognosticandi.

A loco affecto

Sed præcipue considerabitis substantiã ipsius membri, & temperaturam, quia scitis esse regulam Galeni quod exacte tẽperaturam mẽbri debetis cognoscere, quia per tot gradus ei occurremus, per quot à proprio temperamento recesserit: præterea membrum

affectum nequaquam curari potest, nisi ſciueritis cu=
ius temperaturæ fuerit: ut ſi naturalis temperatura
membri fuerit calida, & ſicca, & refrigeratum fue=
rit minori refrigeratione indigemus, quam ſi natura=
lis eius temperatura fuerit frigida, & ſicca. Sed cum
pleuritis ſit in membrana, quæ frigida, & ſicca eſt,
quia uos ſcitis quod omne membrum exangue frigi=
dum eſt, & quia membra ea proportione à caliditate
ſecedunt, qua ratione ſecedunt à ſanguine, quia Gale=
nus in primo & ſecundo de temperamentis dixit ſan=
Contradictio guinem eſſe calidiſsimum, in ſecundo dixit bilem eſ=
ſe ſanguine calidiorem, ſed nunc non eſt tempus ea
proſequendi. Omnia igitur membra, quæ ſanguine
priuantur frigida ſunt, quantum uero ad qualitates
paſsiuas membrana eſt ſicca, non multum tamen. Nam
ſcitis à Galeno in de temperamentis ex Auic. prima
primi quod inter omnes noſtri corporis partes ſicciſ=
ſimus eſt pilus, in ſecundo loco ſunt oſſa, in tertio car
thilagines, in quarto ligamenta, & chordæ, in quinto
membranæ, & tunicæ uenarum, in ſexto nerui durio=
res, in ſeptimo nerui molliores, qui nullam ſiccitatem,
& humiditatem prorſus excedentem habent. Mem=
brana igitur ſicca eſt in gradu tamen remiſſo ualde.
Sed cum ſit talis temperatura debetis cauere ne mul=
tum calefaciatis, quia deduceretis huiuſmodi membrũ
ad aliam intemperiem, ideo propriam temperaturam
debetis exacte perpendere. Membra enim talibus in=
digent remedijs, ne ad contraria deducantur, cum igi=
tur

tur membranæ ſint frigidæ, & ſiccæ, non multum cale facientibus, & humectantibus debemus uti, ne ad oppoſitum reducamus, & malam temperiem in ipſis inducamus. Quantum ad ſuas operationes tegit coſtas, & tuetur eas, & nullam habet operationem, à qua potiſsimas ſumamus indicationes, ratione igitur operationis nulla ſumetur indicatio cum nullæ ſint operationes, niſi quas diximus. Quæ uero à facilitate ſentiendi, quia membrana eſt ualde ſenſibilis, quia neruea, in applicatione remediorum debemus ſemper cauere ab his, quæ mordacitatem aliquam habeant, & ea applicare, quæ careant omni exceſſu qualitatis cuiuſcunque generis, quæ poſsint inducere dolorem, ſiue ſit caliditas, & frigiditas, immo ſitus comprehendit omnes indicationes, & ratione ipſius dirigemur ad opus, membrana enim ipſorum eſt in profundo, & ſupra ipſam ſunt muſculi, & cutis ideo ſi uolumus applicare remedia, debemus conſiderare, quæ ſint intermedia, & quia inter membranam & remedia ſunt media craſſa, ideo multa non timetis, quæ timeretis ſi eſſet expoſita & aperta, ideo non timetis calefacientia uſque etiam ad tertium gradum, & acria etiam, & erodentia, quia non penetrabunt eo uſque cũ ſua acrimonia, ſed qualitates illæ & in cuti & in muſculis relinquent portionem ſui, & imbibentur in ipſis, antequam ad ipſum perueniant, ideo ratione ſitus multa facimus, quæ non faceremus. Et ſcire debetis, ut bene dicebat Galenus in tertio de cõpoſitione medic. ſecundũ genera, quod nihil

magis inimicum neruis humiditate ipsa, quia putrefacit, & destruit totam eorum substantiam, sic etiam caueatis à calidis, & frigidis, quia omnia ista lædunt neruos, & alterant ipsos, & excitant dolorem, quia addunt intemperiem præter naturam, & extendunt ipsos, humiditas uero putrefacit: in casu uero nostro in applicatione rerum humidarum non contingit hoc incommodum, quia licet fomentũ sit actu humidum non tamen statim recipitur in membrana, sed in cuti, & musculis, et sic uidetis quantam nobis situs afferat utilitatem: præterea est regula, quod in omni inflammatione in principio nunquam debeamus applicare ea, quæ calefaciunt dilatant, & digerunt per halitum ex Galeno in secundo ad Glauc. ista autem sunt calida, & humida, ergo à calidis, & humidis debemus abstinere, tamen applicantur in pleuritide, ratio est quia huiusmodi inflammatio in profundo est, & ei statim non occurrunt, sed cuti, et faciunt, quod multa materia difflatur, & caliditas, quæ ad inflammationem peruenit cum tali moderamine accedit, ut nihil attrahat, quia in transitu amittit multũ de uirtute sua, sed ratione situs fomẽta in pleuritide possunt applicari nisi totius plenitudo (ut dixi) obstiterit: sed si mẽbrana exposita esset debet & ab ista cauere, ut dicebat Galenus secundo κατὰ γένη, ubi nerui aperti sunt ab omnibus medicamẽtis cauendum est ab aceto, & à terebynthina, &c. Vbi uero sunt in profundo applicat medicamẽta cum aceto, & euphorbio etiam, quod habet uim corrodẽdi,

Regula

& cor-

& corrumpendi membrũ: consideranda est præterea colligantia membri: quia propter eius colligantiã sæpe cauemus à repercußione, cum tamen perpetuum sit in omni inflammatione repercutere, quia igitur membrana colligatur, & adhæret pulmoni, qui proximus est cordi, ideo caueatis à repercußione, quia quærentes repercutere inflammationem à membrana esset periculum, ne ad ipsum pulmonem repercuteremus: & maius detrimentum faceremus: præterea ductus uiarum maximum habet pondus in indicationibus sumendis. Vos enim scitis membranam nutriri à uenis ramificis à uena caua: quatuor superiores costæ nutriuntur à ramis uenarum, qui deducuntur à uena, quæ est sine pari, quæ in dextro est latere, et omnes deueniunt ad cauam, quæ ad renes descendit, & ad omnes corporis partes inferiores. huiusmodi uiarum ductus dat nobis indicationes in ægritudinibus pectoralibus utile esse prouocare urinã. Et Dios. sæpe utitur hac elocutione: confert ægritudinibus pectoris, ideo et urinã prouocat. Si igitur conferunt pectori, conferunt etiam ad prouocandam urinam, & illa est facilis auersio de pectore ad urinam, quia adest cõmodus uiarum ductus: ductus igitur uiarũ dat nobis indicationes operãdi, ut poßimus imitari naturam. Et hæc quantũ sit de indicationibus, quæ à loco affecto sumũtur. Erat tertium genus unde indicationes uniuersales sumuntur, scilicet uirtus, quæ quandoq; dat indicationes, ut nullum momentum afferat exempli gratia. Vbi bene constat, &

nulla sit suspicio de casu eius, nulla ab ea sumitur indicatio, et utimur medicamētis absq; ulla à uirtute sumpta indicatione, quandoq; tantum momenti habet uirtus ipsa, ut neglecto morbo, reliquisq; omnibus ei attendendum sit, & est cum uirtus affecta est, quia frustra medicus operaretur, quia (ut scitis) natura operatrix, medicus uero minister est tertio Art. med. sed cū uirtus non satis constat, neq; lapsa est totaliter, tunc unus oculus ad uirtutem, alter uero ad morbū habendus est, & sic habetis, quando debetis respicere uirtutem, & quando ab ea sumere indicationes debemus. reliqua uero annexa dant modum operandi, & licentiam, non autem indicationes, ut regio, constitutio, tempus anni, consuetudo, quia si ægritudo dabit indicationes de sanguine mittendo, tempus tamen anni & tempora, & symptoma non permittunt, debemus abstinere, & sic dant licentiam, & modum operandi, & ista sunt dicta, quantū spectat ad indicationes uniuersales.

Particularis Cura

Restat modo, ut ad particularem curationem accedamus, et pollicitus sum uobis casum afferre ipsius Hippocratis in tertia tēpestate tertij Epid. ubi magis ieiunus fuit, quā oportuit: quia illa pleuritis uidetur digna consideratione, & curatione, quia sunt multæ difficultates contingentes circa ipsum: Abderæ Anaxion, qui ad Thracias partes ægrotabat, in febrē acutam incidit dextri lateris assiduus eum dolor cruciabat, tussim habebat aridam, nec primo expuit, sitibundus erat, & insomnis, urinæ boni coloris, multæ, & tenues, sexta

Anaxionis

die

die delirabat sotu nihil remittebatur dolor illum excruciabat, quippe febris intẽdebatur, nec sunt imminuti dolores, simulq; tusses infestabãt, difficulter etiã spirabat: octauo uenam secui, uolumus ægritudinẽ istam curare arte, & methodo, quam docuimus, scitis quid dixerim circa cõsiderationem, & circa essentiã ipsius. Cũ igitur ad ægrum accedetis, ista omnia sunt à uobis cõsideranda: primo cõsiderabitis essentiã ægritudinis, cuius naturæ sit morbus, an in cõplexione, an in cõpositione, uel in solutione cõtinui, secundo causas materiales, & efficientes, tertio mores, quorum morum sit, quarto motum an uelocis motus sit, an tardi quia circa rationem uictus, & circa remedia scietis quomodo debetis regere infirmum: quinto terminum, quẽ sit sortitura, quia si resolutura est pleuritis erit ad suppurationem semel mortificationem, quandoque etiam ad mutationẽ in alium morbum, ut poßit tutari: Vltimo tempora consideranda sunt, nam alia remedia in principio sunt applicanda, alia in augmento, alia in statu, & alia in declinatione: Cum igitur accedetis ad Anaxionem qui pleuritide laborat: Hippocrates dedit signa, quomodo debeatis ipsum cognoscere, & dedi modum, & regulas ipsa cognoscendi: iam posita sunt signa indicantia essentiam morbi, nam iste habet febrem acutam, dolorem aßiduum lateris dextri, tußim siccã, & anhelitus difficultatem, ista sunt quatuor signa essentialia, non ponit autem pulsum, quia cognitio de pulsibus non erat nota tempore Hippocratis Archigenes

Medicus quid primo agere debeat.

Cognitio pulsuum non erat nota tempore Hippocratis

NOTA

genes autem primus fuit, qui pulſus conſiderauit: Hippocrates autem parum, uel nihil de ipſis dixit: quæ autem ſint ſigna indicantia cauſam materialem, nam cauſa materialis erat materia bilioſa craſſa, quam appellant iſti choleram uitellinam maioris famæ permiſtam cum pituita, quia iſta fit ex permiſtione bilis cum pituita, ut uidetur habere in loco de atra bile: ſigna aũt quæ indicant hoc eſſe eſt delirium, quod indicat materiam bilioſam ad caput tendentem, quia corruptio operationis interioris fit à materia calida, torpor uero à materia frigida: ſecundum ſignum indicans bilem erat ſitis uehemẽs, quæ indicat dominiũ humoris calidi, quia ſitis eſt appetitus frigidi, & humidi ut aliàs diximus uobis. tertium ſignum ſunt uigiliæ, quæ à ſiccitate procedunt, quod autẽ materia eſſet cauſſa etiam permiſta: indicant urinæ multæ boni odoris, & tenues, multitudo enim urinarum arguit plurimam materiam humidam pituitoſam, tenuitas etiam euacuationes humoris bilioſi, & pituitoſi: ſed ubi ſola bilis eſt, crocea eſt, cum igitur urina ſit bona & crudiſſima indicat ægritudinem eſſe tardi motus, ideo non potuit terminari niſi in 34. diebus & ſignificat etiam non fuiſſe ab humore ſyncero bilioſo, ſed permiſto, quia ſyncera bilis acutas ualde facit ægritudines: ideo materia iſta faciens pleuritidem erat bilis permiſta cũ pituita Et ſic habetis ſigna indicantia eſſentiã morbi, & deinde ſigna indicãtia cauſam, ſuper ſuntſigna indicantia malitiã, uel benignitatẽ huius morbi: quod iſta

esset maligna erat signum, quia in primis diebus erat cruda, & sexta die delirauit, & fomenta nihil proficiebant, & dolor ipsum excruciabat, & febris augebatur, & tussis, & difficultas anhelitus: præterea tussis sicca hoc signum indicat malignitatem pleuritidis ut habetis ex primo & secundo de crisi, & materia ita in isto fuit pertinax, ut nihil expuerit, nisi in decima septima, quia tunc pauca incocta cœpit expuere, cum aliæ soleant in decima quarta solui. quod autem non esset perniciosa ex opposito erant signa, non aderat sputum uiride, neque nigrum, sed solum crudum, non autem peruersæ naturæ, urinæ boni coloris, quæ licet immediate non indicēt bonum, uel malum, mediate tamen, quia indicāt materiam non esse malam in uenis, quia in pleuritide non est bonum quod sit febris maligna, licet enim cruditas, & concoctio urinæ nō indicent cruditatem, uel concoctionem inflāmationis, tamen ubi est mala indicat in uenis esse humores malos, & deprauatos & febrem malam: præterea quæ facit inflāmationem. licet igitur urina bona non indicet bonitatem inflammationis, seu malitiam, indicat tamen bonitatem febris, & in uenis non esse humores deprauatos: ideo ista ægrotatio fuit media inter ægritudines bonas, & pessimas, ideo euasit licet cum difficultate, et in longo tempore, & cum magno periculo, alia sunt indicantia signa terminum futurum. s. quod debeat ista ægrotatio terminari per sputum quod indicat in xi. febres mitiores aliquantulum, & sudor circa caput, &

Vrina

quæ

quæ à pulmone humidiora, non dicit quod in xi. expuerit aliquid notatu dignum, sed quod tußis humidior facta est, quod indicabat naturam uelle concoquere in decima quarta quia scitis undecimam esse præsagium decimæ quartæ. Vltimo sunt signa indicantia quatuor tẽpora, primo sunt quæ indicant principium quousque appareat signum cõcoctionis, ideo quia in xi. apparuit signum concoctionis, sed occultum, in 17. cœpit expuere, & tunc facit manifestum signum ipsius augmenti, in uigesimo autem cœpit status, sed falsus, quia fuit crisis imperfecta & non uera, fuit autem non uera in 17. quia in xi. & 14. quæ indicant 17. nihil notatu dignũ expuebat: præterea si 17. iudicasset in uigesimo fore crisim imperfectam indicasset, quia nimis tardus erat iste motus, quia nullum signum concoctionis perfectum in xi. & in 14. ostenderat, ideo indicauit in uigesima crisim futuram, sed imperfectã ualde, in 20. sudauit toto corpore, & febre liberatus est, sed cum decima septima non fuerit adiuta ab. 11. & 14. in 20. non potuit fieri perfecta crisis, licet à febre fuerit liberatus, sitibundus tñ permansit, & uires non constabãt, superfuit ideo aliquid de materia: Et uos scitis quæcunque in morbis relinquuntur recidiuas facere solent, ideo cũ in uigesima non fuerit tota materia excussa in uigesima septima rursus febricitauit, & quia curandus erat, & natura minuebat morbum, quia iam cœperat concoquere materiam, & expellere, & quia in concoctione humorum, qui in uenis sunt, solẽt augeri febres

quæ

quæ ægros perturbant, medicos uero peritos lætitia afficiunt, uidentes ſigna concoctionis, & quia illa criſis perfecta nõ fuit in uigeſima: ideo non fuit liberatus in uigeſima ſeptima ſicuti fuiſſet, ſi fuiſſet perfecta, ſed tantum ſubleuatus in uigeſima ſeptima cœpit uerus ſtatus, qui durauit uſque ad 34. & in trigeſima quarta ſudauit copioſiſsime, & febris, ſitisq́; ceſſarunt, & tunc cœpit declinatio. Et ſic in iſto habetis totam naturam morbi, per ſua tempora explicatam: Et ſic habetis in iſto ſigna indicantia eſſentiam morbi, cauſas, mores, & quatuor tempora ipſius. Curandus eſt modo iſte Anaxion. Vos ſcitis ipſum pati pleuritidem ex ſuis ſignis, cui ſi occurritis in principio quod facietis? Audiuiſtis quemadmodum pleuritis eſt inflammatio, & inflammatio eſt fluxio præter naturam de uno membro ad aliud membrum, ideo ſi accedetis in principio cum ſciatis materiam de uno loco ad alium locũ fluere in principio principiante auertetis ipſam, & euacuabitis: ſed dicetis Hippocrates non fecit id quod tu facis, prius fomentis uſus eſt, & non ab euacuatione, & auerſione cœpit, quia in octaua uenam ſecuit, iſta erat dies conueniens euacuandi, ſed difficultas eſt modo, an à nobis imitandus ſit Hippocrates. Nam Galenus quærit in commento cur diſtulerit miſsionem ſanguinis uſque ad viij. cum eſſet mos apud antiquos ultra quartum non mittere ſanguinem, & dicit quia forte non fuit uocatus in tempore.

Sed hanc tanquam ſimplicem, & ueluti coniecturã

quandam

Quid primo agendum

Obiectio

quandam esse cōstat, & ideo ipsam reijciamus, quia si sero fuisset uocatus dixisset, sicut solet facere: non misit autē in quinta, quia erat dies maioris afflictionis, quia pleuritides habent accessiones de tertio in tertium, nec in sexta quia tunc delirauit, & habuit sæua accidentia, ideo necessarium fuit expectare octauā non potuit autem in septima, quia erat dies maioris afflictionis, quia pleuritides habent accessiones de tertio in tertium &c. sed est difficultas, quia non uidetur Galenus bonam rationem afferre, quare tardauerit missionem sanguinis usque ad octauā. Alij uolentes Hippocratē in quarto de ratione uictus, q alterius est, tex. 53. ubi dicit Author ille: Vbi morbi incōstātes fuerint oportet expectare medicamētorū oblationem usque quādo morbus consistat. Super his morbis aliqui dicunt, ideo in primis diebus quatuor non misisse sanguinem quia ægritudo erat cruda, & quia non constabat de morbo & Auicenna in prima quarti idem uoluit Vbi ignoraueris ægritudinem subtilia regimen donec morbus innotescat, quia igitur illa symptomata sunt communia & pleuritidi, & inflammationi hepatis, ideo tardauit, Et sic credunt ipsum optime excusare: sed ista falsa est, quia ipse Hippocrates omnia signa pathognomonica ipsius pleuritidis recenset, præterquā pulsum, & illa omnia indicabant ueram pleuritidem .s. febris continua, dolor uehemens, tussis sicca, & difficultas anhelitus. præterea dicit non misit sanguinem in ipsis quatuor diebus, quia morbus erat crudus, à parti dicam

etiam

etiam in octaua fuisse crudam, quia dicit tantum in xi. inceperunt apparere sputa humidiora: dicet quia magis cognoscebat istud esse pleuritidem in octaua, sed si in octaua nihil accesßit, quod indicaret esse pleuritidē, quomodo cognouit magis esse pleuritidem? ideo ista est uana excusatio: & sic remanet difficultas, Et credo quod si ita in Anaxione nostro faceremus quod erraremus maxime: ideo unum dicam, sed me piget rem tàm difficilem proponere, & contradicere tanto uiro, tamen hoc forte posset dici, quòd Hippocrates in pleuritide, & in omnibus alijs inflammationibus intrinsecis dum incipiunt non cognouit auersionem, sed tantum puram euacuationem, licet Galenus hoc ei imponat: quod autem non cognouerit auersionem in principio principiante cum uolumus simul auertere, & euacuare, si uolumus rectam rationem sequi, & ipsum Galenum, debemus auertere, cum maxime irrumpit, irrumpit autem maxime in principio, ideo prouidendum est, ne fiat apostema, & ne materia eat ad locum inflammatum, quia melius est prouidere ne fiat, quàm factā post modum curare: Vel igitur Hippocrates istam auersionem non aduertit, uel non cognouit, uel non utebatur, & ne gratis uideamus hæc dicere. Videatis Hippocratem in fine primi de ratione uictus in acutis & in principio secundi, ubi dolor apparet in latere, uult statim fomenta applicare, & incipit pleuritidem curare cum fomentis, cum uero non cessat dolor, & iam facta est pleuritis, tunc remoue fomenta, & deue

nias

Error Hippocratis

nias ad lenitionem alui, & ad mißionem ſanguinis, poſt uero eum dat modum, & regulas mittendi ſan=guinem inquit mittas multum uſque ad mutationem ipſius, & ab eodem latere, immo Galenus in commen=to dicit cum uult Hippocrates, à loco affecto euacua=re ſemper ab eodem latere mittit ſanguinem, & in primo de morbis Galenus dicit Hipp. potius dicit mit ti ſanguinem in pleuritide, ut euacuetur locus inflam=matus, cum igitur in Anaxione effluebat ſanguis mul=tus ſicut oportet oſtendit quod eius intentio erat eua=cuare à loco, & idem in ſecundo de ratione uictus in acutis, mittas ſanguinem uſque ad mutationem ipſius: ſi igitur mos Hippocratis fuit in omnibus inflamma=tionibus lateris prius fomentis procedere, ex quibus etiam quod cognoſceret plurimam materiam in loco & in toto, & ex hac ad mißionem ſanguinis accederet & ſicut declarat Galenus & nos declarauimus. ſed reuera alius erat modus medendi tempore Hippocra tis & alius tempore Galeni quid ergo dicendũ. Et ui=deatis curas Hippocratis in libro de morbis, quem ſi uellemus imitari, maxime erraremus: ideo Galenus uolens excuſare Hippocratem quia non uidebatur ei conſonum incipere à fomentis, dicit ita feciſſe Hippo=cratem ut tentaret, an multitudo materiæ eſſet in loco: ergo Hippocrates nunquam cognouiſſet pleuritidem, ſi ratione tentandi proceßiſſet. Galenus tamen ut excu ſaret Hippocratem & ut traheret ad modum ſuum medendi, ſicut etiam fecit de peplo & Veratro, quod exhibebat

Tempore Hyp. erat alius modus medendi tempore Galeni alius his nostra tempestate alius.

exhibebat Hippocrates in pleuritide eodem modo dixit, sic uos considerabitis melius: satis sit nobis dedisse ansam meliora excogitandi. Veniamus modo ad particularem illam euacuationem, quomodo recte curetur secundum illam nostram methodum, quæ est Galeni. Occurritis igitur Anaxioni habenti ea omnia symptomata, quæ Vos audiuistis, quòd etiam esset pleuritis, scitis iam ex suis signis, quod esset maligna non tamen exitialis. Vidistis etiam causas, motum, terminum cognoscendi & totam materiam explicatam habuistis. Quid igitur ei in primo die facietis? Ex indicationibus uniuersalibus scitis esse inflammationem, & per consequens fluxionem, id est expulsionem præter naturam de uno membro ad aliud, cum igitur sit fluxio, retrahendus est iste fluxus, & facienda est auersio. Auersio autem in pleuritide fit per mißionem sanguinis, sicut etiam in omnibus alijs inflammationibus intrinsecis, quia iam scitis ex libro de inæquali intemperie, et in de tumoribus, quomodo fiat inflammatio, cum humor una cum sanguine à maioribus uenis ad minores semper defluit ideo commodißima est auersio per phlebotomiam, quæ seruet ductum uenarũ, & fibrarum, & per commodißimas uenas, commodißimæ autem sunt, quæ sunt in eodem latere, mittẽdus ergo erit sanguis ab eodem latere, & quia dolor erit in latere dextro, mittemus sanguinem à Basilica dextri lateris, quod autem ista sit auersio communis deriuationi, & sit mixta ex his omnibus, ex his potest probari: sed

Nota prima die

antequam hoc faciatis in prima uisitatione lenietis aluum, antequam ipsum cibetis, quia uictus in ista ægritudine, antequam euacuetur facit ad difficultatẽ anhelitus, et suffocationem; lenita aluo, accedetis ad missionem sanguinis sicut diximus, & hoc facimus, ut bene Galenus in quarto de tuenda sanitate, ne humores existentes crudi in primis uenis, & in intestinis trahantur per uenas propter missionem sanguinis, et sic augeant inflãmationem, & febrem, et si tẽpus urget loco clysteris dabitis florem cassiæ, flos.n.cassiæ est clyster totius uentris, & peruenit etiam usque ad uenas meseraicas. Clyster autem non nisi ab intestinis, uel parum supra ratione uacui, & ratione calditatis. At cassia educit omne genus humorum, qui in uijs communibus cõtinentur. Ideo si potestis cassiam exhibere melius est, quam quodcunque aliud: immo sunt quidam medici, qui simul eodem tempore exhibent florem cassiæ, & iubent mitti sanguinem. Et iste est Curtius hac ratione ductus, quia in euacuatione sanguinis poterũt humores ad intra uenas reduci, & tunc per cassiam expurgantur: sed tutius est prius cassiam exhibere, quam mittere sanguinem simul & semel euacuare materiam, quæ citius per uenas meseraicas attrahitur, quam per phlebotomiam, & sequetur incommodum, antequam ei occurratis, quia postquam attracti erunt omnes humores per uenas, tunc cassia à uenis trahet. Sed si tempus urget iubeatis clysterem fieri, & trahetis ab intestinis, & etiam à superioribus partibus ali-

Flos cassie est clister ventris

qualiter

qualiter. His peractis antequam rectam rationem uictus instituatis, & ægrum cibetis oportet tardare per unum diem, & non exhibeatis aliquid quod sit uerum nutrimentum, nisi uirtus deficiat, priusquam aluum cum lenitiuo subduxeritis, & sanguinem miseritis, quia si aliter faceretis causabitis anhelitus difficultatem, ideo in prima die contenti eritis aqua mellis, uel aqua zuccari, uel oxymelite, et postea dabitis cremorem ptisanæ in primis diebus, et quia ægritudo est ualde cruda, ideo uidebitis non posse consequi ante septimã: accedetis ad ptisanã colatam, uel loco ptisanæ panatellam simplicem, & Moderni accipiunt panem simplicem, & abluunt, & ex eo faciunt panatellam, & bona est, & commoda, quia minus nutrit, & refrigerat, & non est ita uiscosa, sicut alia, & habet quasi uirtutem ptisanæ, & si potu eget, quia cauendum est ne augeatur sitis, quia in hoc casu nihil deterius, quia sputum exiccatur, et magis glutinosum redditur, & uirtus deficiet in expellendo, ideo oportet thoracem humectare, & opus est ut bibat suis temporibus, ideo accipietis aquam hordei, in qua est uis abstergendi humectandi, leniendi, & extinguendi sitim, & magis penetrat, quod si cum hordeo imponatis aliquid zuccari tunc maiorem uim mundificandi habebit, quia zuccarum est calidum solum in primo, & etiam remisse, sicut dixit Auic. Galenus autem non cognouit zuccarum, quare dixit parum differre à melle. Sed tota substantia differt ab ipso, alias ostendimus, & quo-

Nota

Panatella

Aqua hordei

Galenus non cognouit zuccarum.

modo eſt calidum, & humidum in primo, ideo uim habet extinguendi, & refrigerandi, & caueatis ab actu frigidis, ſed exhibebitis inter frigiditatem, & tepiditatem, ne nauſeam faciant, ſi eſſent tepida, quia nihil deterius eſt in iſtis ægritudinibus, quam res actu frigidæ, quia magis infrigidant, & conſtipant humores, & magis concoctioni rebelles reddunt. His peractis ſi uolueritis uſum modernorum obſeruare, exhibebitis ſyrupos, ſed tempore Hippo. & Galeni non erant in uſu ſyrupi, & aduertatis quod iſti ſyrupi ſunt exhibendi in aurora, quandoque apud me ſunt deteſtandi, quandoque uero concedendi, quia ſæpe contingit, ut uentriculi aliquorum ſint ita affecti, ut ſemper habeant cruditatem circa aurorã, et tunc cibus debet cõcoqui: ſed ſi tunc exhibueritis ſyrupos, auertetis concoctionẽ, & ideo Galenus quarto de tuenda ſanit. dicebat quod quando humores crudi ſunt in uentriculo, nõ debemus exhibere quippiam quod diſtribuatur per uenas, attenuet, et educat per urinã. Et ego uidi multos qui deteſtarentur ſyrupos hac ſola ratione, quia in ſtomacho aceſcerent, & cauſarent nauſeam, ideo nõ exhibebitis ſyrupos, antequam humores uentriculus excernit, & bene faciunt iſti practici, qui non exhibent ſyrupos ante minorationem, quia nolunt ipſos aliquid crudi in uentriculo inuenire. Si igitur mundus fuerit à cruditatibus poteritis exhibere, & quia Anaxion ſola panatella utetur poteritis ei commodiſsime offerre, quia non erit periculum de cruditatibus in uentriculo exiſtenti-

ſtenti-

ſtentibus, & tunc in iſtis caſibus debetis exhibere ſyrupum qui habeat rationem alimenti, & medicamenti, quia aliter errabitis, ut iuuetur concoctio, cum hic ſit ſumma cruditas. & non debetis quærere concoctionē, & præparationem, ſed tantum corroborare naturā, ut bene concoquat, quia natura prius ſæparat bonum humorem à malo, & crudum ſubtiliat, & diſponit ad excrementum, ut igitur calor naturalis, & concoctio iuuetur adhibebitis ſyrupū, qui dilatet pectus, & prouocet tuſſim, quia cum iſte humor concoctus eſt debet expelli per tuſſim, quia tuſſis eſt proprium inſtrumentum, per quod iſta materia debet expelli, ideo non diſcedetis in hoc caſu ubi materia eſt ad modum cruda à ſyrupo Violaceo compoſito ex mucilaginibus: ſi ſputum fuerit uiride & malignum: ſed in caſu noſtro accipietis ſyrupum de Liquiritia, quæ calida, eſt & humida, in primo, quæ maximopere iuuat in concoquenda materia craſſa uiſcoſa, & iſtum ſyrupum diluetis, & hoc unico ſyrupo tantum eritis contenti: quia hic unica tantum eſt ægritudo, & accipietis etiam decoctum ex Liquiritia, & farfare, quæ refrigerant, & humectant, habentq; proprietatem excitandi tuſſim, & concoquendi, & ideo appellatur tuſſilago: & eodem tempore præparabitis ad lambendum huiuſmodi confectionem: Recip. amigd. dul. unc. ij. Zuccari, unc. ij. & faciatis confectionem, quam teneat & parum, & ſæpe, quia aliter nutriretis, quando non eſſet opus, & faceretis cruditatem, & flatus, & ſymptomata mala,

quia

quia per anhelitum traheret ad pulmonem, & faceret incommoda multa, ideo de istis eclegmatibus parum, & sæpe debetis eis offerre: istis peractis usque ad signa concoctionis, usque ad xi. quia tunc cœperunt signa concoctionis, licet obscura, & tunc accipietis subduplum syrupi de Hyssopo, & syrupi de Liquiritia, unc.i. syrupi de Hyssopo, unc.s. & aquam mulsam uel mellis unc.iiij. Et dabitis mane, & perseuerabitis quo usque appareant signa manifeste concoctionis, & tunc tantundem syrupi de hyssopo, quantum de Liquiritia, Et apparentibus signis concoctionis accipietis aliud electuarium ex iride, & Marrhubio, & ad tenuationem humorum procedetis: Hic essent multa dicenda, quæ nunc omittemus. Postea expectabitis statum & licet in uigesimo die à febre fuerit liberatus, remansit tamen tußis cum siti, & imbecillitas ad omnes motus, & ultimo diximus, quæ relinquuntur in morbis recidiuam facere consueuerunt: Vtrum modo ubi facta est crisis imperfecta, & fuit liberatus à febre liceat nunc euacuare, necne? aliàs docebo: Credo tamen quod non esset bonum, & quod melius esset declinare in optimam uictus rationem. Cum autem in uigesima septima accesserit febris, & in trigesima quarta facta fuerit perfecta crisis cum optimis signis, tunc in uigesima septima usque ad trigesimã quartã, debetis procedere cum syrupis, & cum ptisana sola, & expectare uerum statum, & perfectam crisim, & non impedire aliquomodo motum naturæ.

Quæstio

FINIS.